COMPENDIUM

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

e

Præcipuis scholasticis antiquis et modernis redactum

AUCTORE

MANZONI CÆSARE

Philosophiæ et Sacræ Theologiæ doctore
Ecclesiæ Cathedralis theologo
Theologiæ Dogmaticæ et Sacræ Scripturæ
in Seminario Laudensi professore

WITHDRAWN

Quodcumque satum est, hoc idem... excolatur et observetur, hoc idem floreat et maturescat; hoc idem proficiat et perficiatur.

(S. VINC. LIRINENS., *Common.*, c. 23).

VOLUMEN II

complectens tractatus

De Deo Uno = Trino = Creante = Elevante

EDITIO ALTERA AUCTA ET EMENDATA

230
M296c
v.2

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

AUGUSTAE TAURINORUM
EX LIBRARIA A SS. CORDE JESU
Jo. B. BERRUTI

1910

Nil obstat quominus Volumen II *De Deo Uno - Trino - Creante et Elevante* typis mandetur.

Aug. Taur., die 24 Augusti 1910.

VINCENTIUS CUMINO, *Curatus, Rev. Deleg.*

V.° Imprimatur.

Taurini, die 24 Augusti 1910.

† CONST. CASTRALE, *Vic. Gen.*

Quae iura a lege sunt, auctor sibi reservat.

Torino 1910 — Stab. Graf. Ditta Eredi Botta

296c
2
13426

EMINENTISSIMO PRINCIPI

CARD. ANDREAE CAROLO FERRARI

MEDIOLANENSIS ECCLESIAE ARCHIEPISCOPO

QUOD SINGULARI BENEVOLENTIA

VOLUMEN SIBI DICARI PERMISIT

VENERATIONE AC GRATI ANIMI SENSU

AUCTOR

D.

L'ARCIVESCOVO
DI
MILANO

R.mo Sig. Can. e Professore,

I trattati De Deo uno in essentia - De Deo trino in personis - De Deo creante - De Deo elevante che la S. V. si compiacque di comunicarmi, sono una splendida prova di quella scienza teologica, che Ella, sig. Professore, dopo di averla attinta alle Università Romane, gloriose della tradizione scolastica, volle gelosamente mantenere e custodire nel patrio seminario. In tanto oblio del passato, non è un male, anzi è un bene che il giovane Clero inizi la sua carriera scientifica coll'apprendere la dottrina severa delle Scuole e sopratutto quella di S. Tomaso, anche se espressa in formole, che potrebbero a taluni sembrare viete. Il giovane Clero poi si troverà stimolato a proseguire i suoi studi nelle dottrine dei Padri, abbracciando in tal modo tutto il corso del magistero perenne della Chiesa; perchè se non è compito di un trattato elementare di Teologia l'introdurre di proposito lo scolaro nello studio della Patristica, però nell'egregio e poderoso suo lavoro di Teologia scolastica, lo scolaro troverà assai opportunamente quelle citazioni di passi, che servono non tanto ad esporre chiaramente e nella sua intensità il pensiero patristico, quanto a richiamare l'attenzione dello scolaro ad un più largo studio sulle opere dei Padri.

Le invio pertanto congratulazioni sincere e coi sensi di affettuosa stima, e con gli auguri delle benedizioni celesti godo di riaffermarmi

di V. S. R.ma

Milano, 16 giugno 1907.

Dev.mo

✠ ANDREA C. Card. Arciv.

R.mo Signore
Can. Dott. Cesare Manzoni
Prof. nel Seminario Vescovile
Lodi.

INDEX

TRACTATUS IV - DE DEO UNO IN ESSENTIA

PROOEMIUM 1

CAPUT 1 - *De existentia Dei* 2

Art. 1. De cognoscibilitate divinae existentiae 2
Art. 2. De ineptis viis ad Deum 15
Art. 3. De argumentis quo Deum esse evincitur 31
CAPUT 2 - *De divina natura* 46

Art. 1. De metaphysica essentia Dei 47
Art. 2. De omnimoda Dei simplicitate 54
Art. 3 De infinita Dei perfectione 62

CAPUT 3 - *De divinis attributis* 70

Art. 1. De attributorum distinctione 70
Art. 2. De divina immutabilitate 75
Art. 3 De divina immensitate 79
Art. 4. De divina incomprehensibilitate 85
Art. 5. De divina aeternitate 88
Art. 6. De divina unitate 92

CAPUT 4 - *De divina operatione* 95

Art. 1. De scientia Dei in genere 95
Art. 2. De objecto divinae cognitionis 98
Art. 3. De medio divinae cognitionis 109
Art. 4. De omnipotenti Dei voluntate 116
Art. 5. De naturali Dei providentia 131
Art. 6. De voluntate salvifica 136
Art. 7. De praedestinationis et reprobationis existentia 143
Art. 8. De praedestinationis et reprobationis modo 151

TRACTATUS V - DE DEO TRINO IN PERSONIS

CAPUT 1 - *De Trinitate in unitate* 160

Art. 1. Notiones praeviae 160
Art. 2. De inscrutabilitate mysterii SS. Trinitatis 171
Art. 3. De divinitate trium Personarum 175
Art. 4. De Personarum distinctione 185
Art. 5. De consubstantialitate divinarum Personarum 189
Art. 6 De explicita Trinitatis confessione 193

CAPUT 2 - *De processionibus et relationibus divinis* 199

Art. 1. De processionibus divinis 200
Art. 2. De relationibus divinis 217

TRACTATUS VI - DE DEO CREANTE

CAPUT 1 - *De rerum omnium origine* 226

Art. 1. De causa efficiente 227
Art. 2 De creatione 234
Art. 3. De causa exemplari 244
Art. 4. De causa finali 247

CAPUT 2 - *De mundo visibili* 252

Art. 1. De mundi antiquitate 252
Art. 2. De hexaemero mosaico 256
Art. 3. De transformismo 266
Art. 4. De mundi conservatione et eversione 277

CAPUT 3 - *De Angelis* 282

Art. 1. De angelorum existentia et natura 283
Art. 2. De angelorum operatione 292

CAPUT 4 - De homine 297

Art. 1. De corpore humano 297
Art. 2. De operatione animae humanae 307
Art. 3. De origine et natura animae humanae 314
Art. 4. De humano composito 326

TRACTATUS VII - DE DEO ELEVANTE NATURAM

CAPUT 1 - *De naturae elevatione in genere* 338

Art. 1. De supernaturalis ordinis notione 339
Art. 2. De possibilitate utriusque ordinis naturalis et supernaturalis . . 345

CAPUT 2 - *De elevatione angelorum* 347

Art. 1. De sanctis angelis et de daemonibus 348
Art. 2. De angelorum custodia 355
Art. 3. De impugnatione daemonum 360

CAPUT 3 - *De elevatione et lapsu humanae naturae* 369

Art. 1. De protoparentum justificatione 372
Art. 2. De dono integritatis 377
Art. 3. De dono immortalitatis 383
Art. 4 De scientia originalis justitiae 388
Art. 5. De peccato Adae 390
Art. 6. De existentia peccati originalis 396
Art. 7. Qua ratione contrahatur originale peccatum 405
Art. 8. De originalis peccati reatu culpae et poenae 407

Appendix archaeologica 415
Index alphabeticus 417

THESARIUS

THES. 1. *Hominem posse Deum certo cognoscere* — 1 *docet Scriptura.* — 2 *testantur Patres, et* — 3 *suadet ratio* 7

THES. 2. *Deus a nobis potest cognosci ut a mundo distinctus; quare Pantheismus respuendus omnino est* 10

THES. 3. *Licet* — 1 *contra Traditionalistas sit affirmanda* naturalis *cognoscibilitas divinae existentiae; haec tamen non est veritas* per se nota — 2 *ex immediata intuitione Dei, ut blaterant Ontologi,* — 3 *vel ex ideis innatis ut docent Innatistae: nec logice concluditur* — 4 *argumento a priori S. Anselmi* — 5 *vel ex solius intellectus et voluntatis virtute, ut contendunt Immanentistae* . . . 19

THES. 4. *Naturalis Dei cognitio ex mundi consideratione causalitatis via est deducenda* 34

THES. 5. *Deum esse invicte probatur* — 1 *ex motu creaturarum,* — 2 *ex notione causae et effectus,* — 3 *ex notione entis contingentis et necessarii,* — 4 *ex varietate entium,* — 5 *ex partium mundi perfecta armonia* 37

THES. 6. *Deus est* — 1 *ipsum esse per se subsistens,* — 2 *in hac autem* aseitate *constituenda est ratio metaphysica divinae essentiae* . . 50

THES. 7. *Deus non solum est* — 1 *purissimus spiritus omnis materiae expers, sed* — 2 *simplicissimus, ita ut nulla sit in eo realis vel rationis compositio* — 3 *nec cum ceteris ullatenus possit in compositionem venire* 55

THES. 8. *Deus* — 1 *perfectissimus est,* — 2 *nulla creaturarum perfectio ei deest,* — 3 *imo essentialiter infinitus existit* 66

THES. 9. *Divina attributa invicem et a divina essentia distinguuntur* — 1 *ratione,* — 2 *non autem realiter,* — 3 *neque formaliter scotistico sensu* 73

THES. 10. *Deus est prorsus immutabilis* 77

THES. 11. *Deus* — 1 *est ubique,* — 2 *imo vere immensus* . . . 82

THES. 12. *Omni creaturae Deus est incomprehensibilis* . . . 86

THES. 13. *Deus est aeternus* 90

THES. 14. *Deus est absolute unus* 93

THES. 15. *Deus est summe intelligens* 97

THES. 16. *Deus* — 1 *perfectissime seipsum comprehendit* — 2 *et cetera omnia; unde* — 3 *secreta cordium,* — 4 *futura,* — 5 *et futuribilia eum non latent* 100

THES. 17. *Medium objectivum Deo necessarium pro cognitione creaturarum — 1 est divina essentia adaequate inspecta, quae — 2 formaliter considerata inducit cognitionem possibilium, — 2 prout vero identificatur cum divina voluntate patefacit existentia* 111

THES 18. *Futurum liberum sive absolutum sive conditionatum Deus — 1 non cognoscit in eorum causis, — 2 neque in seipsis, — 3 neque in sua aeternitate formaliter inspecta, — 4 neque in decretis absolutis vel conditionatis; sed — 5 futuribile intuetur in sua essentia prout est imago entis liberi, — 6 futurum prout sua voluntate statuit futuribilium conditionem in actum deducere* 118

THES. 19. *Est in Deo — 1 voluntas, qua — 2 seipsum primario, cetera secundario vult; — 3 licet autem mala physica Deus indirecte velit, — 4 peccata nullo modo vult, sed — 5 tantum permittit* . . . 121

THES 20. *Duo sunt praecipua attributa divinae voluntatis: — 1 omnipotentia — 2 et libertas* 126

THES. 21. 1 *Omnia subsunt providentiae Dei, — 2 qui de creatura rationali specialem curam habet* 133

THES. 22. *Etiam post Adae peccatum Deum vera et sincera voluntate velle omnium salutem — 1 docet Scriptura, — 2 testantur Patres et — 3 confirmat ratio* 138

THES. 23. *Datur — 1 aliquorum — 2 gratuita praedestinatio* . . . 147

THES. 24. *Datur — 1 reprobatio aliquorum, sed — 2 non debetur antecedenti Dei voluntati positivae* 149

THES. 25. *Electio ad gloriam — 1 non est post praevisa merita, ut volunt Molinistae, sed — 2 neque independenter a meritis ut Thomistae contendunt* 155

THES. 26. *Reprobatio — 1 nullo modo pertinet ad voluntatem antecedentem, — 2 sed praevisionem peccati consequitur* 156

THES 27. *Trinitatis dogma — 1 ex graeca philosophia vel ex orientalibus religionibus non est evolutum, sed — 2 verum fidei mysterium revelatione tantum innotescere potuit* 172

THES. 28. — 1 *Pater est Deus, — 2 Filius est Deus, — 3 Spiritus S. est Deus* 178

THES. 29. *Pater, Filius et Spiritus S. sunt tres personae realiter distinctae* 186

THES. 30. *Pater, Filius et Spiritus S. sunt una substantia divina seu unus Deus* 189

THES. 31. *Explicita divinae Trinitatis professio — 1 in Scripturis et — 2 apud Patres antenicaenos testimonium habet* 194

THES. 32. *Filius — 1 procedit — 2 vera generatione — 3 a solo Patre* . 207

THES. 33. *Spiritus S. — 1 non generatur, sed — 2 a Patre Filioque — 3 unica spiratione procedit* 209

THES. 34. *Mundus et omnia quae in eo sunt, — 1 non fortuito atomorum concursu coaluerunt, sed — 2 a Deo — 3 liberrimo consilio facta sunt* 229

THES. 35. *Mundus, utpote Dei opus, — 1 vera bonitate non caret, — 2 et licet absolute optimus non sit, — 3 secundum quid tamen ultimam possibilem perfectionem attingit* 232

THES. 36. *Mundum esse a Deo per creationem — 1 ex pluribus Scripturae testimoniis — 2 maxime vero ex Gen. 1. 1 evincitur, — 3 testantur Patres, et — 4 probat ratio* 239

THES. 37. *Causa exemplaris mundi est Deus ipse* 246

THES. 38. *Ultimus finis mundi est gloria Dei extrinseca* 250

THES. 39. *Mundus non existit ab aeterno, sed in tempore factus est* . 255

THES. 40. *Expositio — 1 mytica sive pura, sive evoluta, reprobanda est, — 2 symbolica, liturgica, poëtica et idealistica solido fundamento caret, — 3 quae vero dicitur cosmogoniae popularis parum consentire videtur inspirationi Scripturae* 260

THES. 41. *Expositio — 1 litteralis antiqua sustineri nequit, — 2 eam vero, quae audit litteralem recentiorem, ceteris praeferendam ducimus* . 262

THES. 42. *Transformismus rigidus — 1 sicut repugnat fidei, ita — 2 scientiae contradicit, — 3 nulloque solido fundamento innititur* . . 268

THES. 43. *Etiam transformismus mitigatus admitti nequit* . . . 272

THES. 44. *Omnia, quae creavit, Deus omnipotenti sua virtute conservat* 280

THES. 45. *Mundus — 1 non annihilabitur, sed — 2 renovabitur* . . 281

THES. 46. *Existunt — 1 angeli, — 2 puri spiritus, — 3 hominibus praestantiores* 287

THES. 47. *Corpus — 1 Adami et — 2 Evae immediate a Deo processit, — 3 totumque genus humanum ab Adamo et Eva ortum duxit* . . 302

THES. 48. *Homo est — 1 intelligens, ac — 2 vere liber* 310

THES. 49. *Anima humana, quae est — 1 spiritualis et — 2 immortalis, — 3 a Deo creatur, — 4 cum corporibus infunditur* 317

THES. 50. *Homo — 1 constat duplici tantum elemento, scil. corpore et anima intellectiva, quae — 2 corporis est vere et per se forma substantialis* 335

THES. 51. *Supernaturale est — 1 donum omnimo indebitum naturae, — 2 quod proinde naturae viribus conosci nequit* 343

THES. 52. *Status — 1 supernaturalis, — 2 non minus quam naturalis possibilis est* 346

THES. 53. *Adsunt — 1 angeli boni qui in gratia Dei perseverando aeternam felicitatem sunt adepti; — 2 adsunt et mali seu daemones qui, a supernaturale ordine — 3 propria culpa lapsi, aeternis poenis juste sunt addicti* 351

THES. 54. *Datur angelorum — 1 custodia, quae — 2 ad solos fideles vel praedestinatos nequit coarctari* 358

THES. 55. *Datur diabolica impugnatio — 1 tum moralis per tentationes, — 2 tum physica per infestationem transeuntem et — 3 permanentem* 365

THES. 56. *Adam, cum creatus est,* — 1 *accepit gratiam sanctificantem* — 2 *sibi indebitam* 374
THES. 57. *Protoparentes* — 1 *a Deo receperunt donum integritatis* — 2 *quod est indebitum humanae naturae* 380
THES. 58. *Protoparentes* — 1 *donati sunt immortalitate,* — 2 *quod fuit donum praeternaturale* 385
THES. 59. *Adam,* — 1 *violando divinum praeceptum.* — 2 *grave peccatum commisit* — 3 *quo originalem justitiam amisit.* 394
THES. 60. *Teste Apostolo Rom.* 5. 12 *sqq., datur peccatum originale, seu* — 1 *verum aliquod grave peccatum* — 2 *quod omnibus inest,* — 3 *distinctum a peccatis personalibus,* — 4 *et a peccato Adae,* — 5 *a quo tamen derivatur* 397
THES. 61. *Peccatum quod omnes naturali origine ex Adam contrahunt, plena docet Traditio et ratio suadet* 401
THES. 62. *Peccatum originale* — 1 *non est quaedam forma substantialis mala,* — 2 *neque concupiscentia, sed* — 3 *gratiae sanctificantis privatio ex Adae inobedientia inducta* 409
THES 63. *Originali peccato* — 1 *non debetur poena sensus, et ideo* — 2 *parvuli sine baptismo decedentes non cruciabuntur in inferno* . 411

THEOLOGIA SPECIALIS

TRACTATUS IV.

DE DEO UNO

IN ESSENTIA.

1. **Prooemium.** Fontibus divinae revelationis statutis et agnito organo, quo fides incorruptibiliter servatur et infallibiliter docetur, ad proprium objectum theologiae, quae est *scientia Dei,* properare oportet, ut sciamus *quis* sit Deus et *quid* pro homine fecerit. Jamvero in unoquoque prius occurrit *esse,* dein *operari:* quaestionibus ergo de creatione et redemptione nostra illam praemittimus, quam antiqui stricte *Theologiam* vocabant [1] et moderni *De ipso Deo* inscribunt. Porro in humilitate, cum timore et tremore accedimus ad montem sanctum Dei, ubi inter nebulas et corruscationes aliquando Dominus allocutus est famulum suum Moysen; scimus enim quod *scrutator maiestatis opprimetur a gloria* [2]. Deus non est *longe ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur et sumus* [3]: ipse non penitus faciem suam abscondit, siquidem per ea, quae facta sunt, innotescit [4], dicente Psalmista: *coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annuntiat firmamentum* [5]; tamen *dum peregrinamur a Domino* [6], *in hoc caliginoso*

---

[1] Vol. 1 n. 1.
[2] Prov. **25**. 27.
[3] Act. **17**. 28.
[4] Rom. **1**. 19-21.
[5] Ps. **18**. 2.
[6] 2 Corinth. **5**. 6.

loco [7] nos latent *profunda Dei,* qui inhabitat lucem inaccessibilem [8], et facile in errorem prolabi possumus. Te, ergo, Domine, qui *cognitionem tuam* finem creationis [9], redemptionis [10] et beatitudinis nostrae [11] constituisti, humiliter deprecamur, ut cor nostrum ita illuminare et confirmare digneris, ut cum sobrietate ad te perveniamus *qui eras et quis es et qui venturus es* [12]. De Deo agentes, ea prius explicabimus quae illum attinent prouti est *Unus in essentia,* quaestionibus vero *an* sit, *quid* sit, et *quomodo* sit, satisfaciemus quatuor capitibus: 1 *De divina existentia,* — 2 *De essentia Dei,* — 3 *De attributis Dei,* — 4 *De divina operatione.*

CAPUT I.

De existentia Dei.

2. **Capitis divisio.** *Existentia Dei* in praesenti non consideratur prout *in se ipsa* cum divina essentia identificatur, sed *quoad nos* prout Deum esse cognoscimus. Porro certam et naturalem Dei notitiam impugnarunt ATHEI et PANTHEISTAE *factum* negantes, TRADITIONALISTAE, ONTOLOGI et MODERNISTAE *viam* perveniendi ad Deum corrumpentes, SEMIMODERNISTAE *argumentorum,* quae Scholastici hucusque adduxerunt, vim impugnantes: ut ergo quaestio de divina existentia clare absolvatur, praesens caput in tres articulos dispescimus: 1 *De cognoscibilitate divinae existentiae.* — 2 *De ineptis viis ad Deum* — 3 *De veris argumentis quibus divina existentia vindicatur.*

ART. 1 — DE COGNOSCIBILITATE DIVINAE EXISTENTIAE.

3. **Multiplex Dei cognitio.** Res quaelibet potest innotescere cognitione propria et analogica, clara et obscura, vera et falsa. Cognitio *propria* habetur cum rei essentia secundum intrinseca constitutiva attingitur, sive haec intuitive percipiantur, sive per effectum univocum [1]; *analogica,* cum res indirecte tantum seu

---

[7] 2 Petr. **1**. 19.
[8] 1 Tim. **6**. 16.
[9] Act. **17**. 26-7.
[10] Joan. **17**. 3.
[11] 1 Joan. **3**. 2.
[12] Apoc. **4**. 8.
[1] V. g. cum natura patris agnoscitur in filio.

per ordinem ad alia, quae ejus naturam non aequant, agnoscitur, eaque potius existentiam quam rei essentiam assequimur : cognitio est *clara,* cum objectum sic attingitur, ut a quovis alio manifeste distinguatur; *obscura* seu etiam *initialis,* cum obiectum apprehenditur sub generica quadam ratione, in qua animus non quiescit, sed ad novas inquisitiones movetur : cognitio dicitur *vera,* etsi inadaequata, cum respondet objecto cognito, atque ideo exprimitur propositione cuius praedicatum subjecto convenit, *falsa* cum objecto non respondet, unde praedicatum repugnat subjecto propositionis. Cum agitur de cognitione Dei, quaestio instituitur de cognitione *vera, analogica,* et terminative *clara:* de cognitione *vera,* quia error non est cognitio sed potius cognitionis defectus, qui ad fundamentum fidei et morum non potest ordinari : de cognitione *analogica,* quia deducitur via causalitatis ex mundo qui causam primam non aequat : de cognitione terminative *clara,* quia obscura quae ex mundi aspectu statim oboritur, si onus inquirendi imponit, non sufficit ad promulgationem et sanctionem legis naturalis; obligationes quippe graves et certae ex certis principiis procedunt.

4. **De nominibus Dei.** Licet in demonstratione, quae scholastica voce dicitur *quia,* et habet pro objecto rei *existentiam,* enucleata explicatio objecti non sit praemittenda sed concludenda, nominalis tamen quaedam ejus ratio efferri debet, ut quaestionis argumentum innotescat [2]. Porro communis ratio divinitatis apud omnes populos semper fuit notio *primi entis omnium causae,* quod latine dictum est *Deus* et *Dominus,* graece Θεός et Κύριος, *hebraice* אֲדֹנָי (*Adonai*), אֵל (*El*), quod plurali majestatico sonat אֱלֹהִים (*Elohim,* poëtice אֱלוֹהַּ = *Eloach*) et יְהוָה (*Jehovah* seu melius, ut modo ab eruditis legitur [3], *Jahve*); quibus nominibus absolutis adiectiva aliquando copulantur, ut cum dicitur *Eljon, Schaddai, Kadosch, Zebaoth.* Jamvero DEUS, nomen

---

[2] « De nulla re potest sciri *an sit,* nisi quoquo modo de ea sciatur *quid sit,* vel cognitione perfecta vel cognitione confusa ». S. THOM. *Super Boët. De Trinit.* c. 2 q. 2 a. 3.

[3] Juxta massoreticam punctationem legitur יְהוָֹה *Jehovah,* sed notum est Massoretas יהוה apposuisse vocales vocis אֲדֹנָי *Adonai,* quam loco illius nominis legere solebant hebraei : moderni interpretes ex grammaticae regulis et judaica interpretatione proprias vocales consonantibus supponentes legunt יַהְוֶה *Jahveh* vel, relicta ultima *h* quiesciente, *Jahve.*

ex sanscrito *Deva* a radice *dyu* (lux) vel *div* (lucere) derivatum [4], supremum ens exhibet uti lucem veram quae illuminat omnem hominem [5]. DOMINUS vox est latina exprimens dominium seu proprietatem rei, et dicitur de Deo, quia omnium creator et gubernator, unus est verus et absolutus mundi possessor. ΘΕΟΣ probabilius [6] est a θεᾶσθαι (*providere*) Deumque exhibet, qui scientia omnia cognoscit et providentia omnia gubernat. ΚΥΡΙΟΣ idem est quod *Dominus* et de solo vero Deo enuntiatur. ADONAI in Scripturis, et maxime in Pentateucho, per antonomasiam dicitur de Deo vero; plurali majestatico ex אָדוֹן (*'Adon = haerus, possessor*) derivatum, ideam exhibet Creatoris et Domini omnium. EL diversimode explicatur: probabilius ex verbo אוּל (*'Ul = potens fuit*) deducitur, Deumque praebet omnipotentem. ELOIM et ELOACH sunt formae ex *El* derivatae, quae etiam de falsis diis enuntiantur. JAHVE est nomen incommunicabile, cui reverentiae causa in lectione Scripturae hebraei substituebant *Adonai*. De origine hujus nominis non conveniunt auctores: quidam ex verbis Exodi [7] putant primitus revelatum fuisse Moysi in monte Horeb; alii ex contextu testimonii Exodi, ex etymologia vocis, et ex nominibus, quae ante Moysen ex *Jahve* sunt composita, aestimant a prima antiquitate fuisse notum, Mosaico vero tempore ejus significationem eventu esse comprobatam [8]. Quod vero attinet ad nominis significationem, omnes concedunt derivari a verbo הָיָה (*haiah*) vel melius ab antiqua forma הָוָה (*havah = fuit*); sed alii explicant de esse *mere historico* [9], alii lege conversionis (praeteriti in futurum) explicant de *ineffabilitate* Dei [10], alii ex forma *hiphil*, quae notionem causalitatis imbibit, explicant de Deo prout *esse facit* res, unde concludunt ad notionem *creatoris* [11], alii tandem intelligunt de esse *existentiae*, prout Deus est ille cujus essentia est *esse* seu existere. Haec ultima sententia tum proprietate linguae, tum auctoritate Patrum et interpretum uti *vera* et *certa* est retinenda [12]. Porro ex notione *esse* existentiae (τοῦ ὄντος)

---

[4] Cf. PESCH n. 106; JANSSENS Vol. 1 p. 505.

[5] Joan. **1**. 9; 1ª ep. **1**. 5.

[6] Alii derivant ut *Deus* a sanscrito *deva*, ex quo factum est Διός et dein Θεός .

[7] Exod. **6**. 2-3. *Ego sum Dominus* (Jahve), *qui apparui Abraham, Isaac et Jacob in Deo omnipotente* (tamquam EL SCHADDAI): *et nomen meum Adonai* (JAHVE) *non manifestavi eis*. Cf. HUMM. in *h. l.* p. 71-4; FRANZ. p. 271-2; JANSSENS p. 515.

[8] CORNELY *Comp. Introd. in Sacr. Script.* Diss. IV § 5 n. 6; PESCH n. 112.

[9] DELITZSCH apud *Pesch* n. 113.

[10] P. LUDOV. A LEONE apud *Janssens* p. 506.

[11] DE LAGARDE apud *Pesch* l. c.

[12] PESCH *l. c.*; CORNELY *Comp. Intr.* Diss. IV § 5 n. 6; HUMM. in *Exod.* p. 52.

proxime sequitur ratio *immutabilitatis* [13] et consequentis *fidelitatis* in promissionum adimplemento : et quia ordo supernaturalis divinis *promissionibus* innititur [14], ulterius nomen *Jahve* Deum exhibet *auctorem ordinis supernaturalis,* unde in Scriptura praefertur cum de redemptionis opere agitur [15]. Quod attinet ad adjectiva, ELION significat Deum *altissimum,* SCHADDAI Deum *omnipotentem* sibique sufficientissimum, KADOSCH Deum *sanctum,* ZEBAOTH Deum *exercituum* seu *victoriae* [16].

5. **De atheismo.** Ut ipsum nomen indicat, ATHEI vocantur qui divinam existentiam non agnoscunt, dividi vero solent in *practicos* et *theoricos.* Dari atheos *practicos,* qui « nolunt eum *recognoscere,* quem ignorare non possunt » [17], ac vivunt quasi venter Deus eorum esset [18], omnes lugemus. Quod ad *theoricos* attinet, distinguendum est inter atheos *negativos* et *positivos.* Athei *negativi* dicuntur qui nullam ideam vel suspicionem Dei habuerunt, *positivi* qui expresse Deum esse, vel posse a nobis certo cognosci, negant. Porro athei *negativi,* qui invincibiliter Deum ignorant, inter eos qui rationis perfectum usum habent non sunt; testibus enim Scriptura et Patribus idea Dei tam facilis est et obvia, ut nullius intelligentiam fugiat. *Positivi* utique esse possunt; cum enim perfecta notitia Dei rectum rationis usum supponat, potest quis ex voluntatis imperio hujusmodi rectum judicium impedire, mentem avertendo a consideratione argumentorum quae Dei existentiam ostendunt, atque convertendo ad difficultates quae Deum esse impugnant vel argumentorum vim impetunt : hoc modo non solum ore, sed firmo mentis judicio, cum stulto a Psalmista improbato, quis dicere potest *non est Deus* [19]. Porro ad atheismum positivum diversa via pervenerunt POSITIVISTAE seu MATERIALISTAE et AGNOSTICI; illi cum HOBBES, LOCKE, DE CONDILLAC, HUME, A. COMTE, STUART MILL, MOLESCHOTT, BROFFERIO, etc., spiritum negantes, cognitionem tantum

---

[13] Absoluta *praesentialitas* excludit praeteritum et futurum; sine praeterito autem et futuro, quibus fit transitus de uno in aliud, quaelibet mutatio repugnat.

[14] 2 Petri **1**. 4.

[15] CORNELY *l. c.* Diss. V § 7 n. 3 sqq. JAHVE a LXX vertitur Κύριος et a Vulgata *Dominus.*

[16] De tota hac quaestione vide PETAVIUM *De Deo* VIII c. 8 et 9.

[17] TERT. *Apol.* c. 17.

[18] Phil. **3**. 19.

[19] Ps. **52**. 1. Multi verba Davidis explicant de atheo *practico,* eo quod dicat in *corde* et non in *mente;* verum *cor* in Scripturis, cum figurate adhibetur, *animum* significat atque interdum de sola voluntate, interdum de solo intellectu usurpatur; ad quem ultimum sensum hic nomine *insipientis* determinari apparet. Cf. CORNELY *ad Rom.* I. 23 p. 88.

sensibilem posuerunt, qua profecto nemo Deum apprehendere dixerit [20]: hi, scepticismo CARTESII et criticismo KANT innixi, licet mentem agnoscant, ejus cognitionem cum H. SPENCER, RENOUVIER, HUXLEY, WUNDT, NEGRI, COSTA, CANTONI, etc. ad notitiam phaenomenorum eorumque relationum coarctant, quare causam primam *extraphaenomenalem* [21] non esse, vel a nobis detegi non posse, blaterant [22]. Cave tandem ne omnes, qui materialismo et agnosticismo nomen dedere, reputes firma persuasione cum Pharahone dicere *nescio Dominum* [23]; generatim error non mentis est, sed cordis, et Deum esse negant quia judicem formidant; quare, cum passionum aestus imminuitur et, approximante morte, mundi illusio evanescit, Domini memorantur, et, licet ad veram conversionem raro perveniant, generatim cum Anthioco omnipotentiam Dei recognoscunt [24]. Hinc SENECA dicebat atheos saepe mentiri [25] et BAYLE « vanitatem magis quam conscientiam in eorum disputationibus locum habere » [26].

6. **De Pantheismo.** E diametro contra atheismus dividitur PANTHEISMUS, qui omnia Deum esse blasphemat. Quintuplex agnoscitur pantheismi forma: *a) evolutionis,* qua existentia mundi explicatur transformatione divinae substantiae, quae processu temporis perficitur: *b) emanationis,* qua de substantia Dei nata est mens et ex mente anima mundi, mundusque ipse: *c) ontologismi,* qua ex principio SPINOZA, quod *determinatio est negatio,* identificatur entitas seu realitas creaturarum cum entitate divinae substantiae, a qua solum differre dicitur exclusione ulterioris perfectionis: *d) idealismi,* qua omnis realitas Dei et creaturae reducitur ad fictionem mentis, quae cogitando creat obiectum suum: *e) volitionis,* quae existentiam rerum tribuit imperio voluntatis, quae habetur uti suprema ratio cognitionum nostrarum. — Formam *evolutionis* docuerunt STOICI duce ZENONE et renovarunt LEOPARDI, MAETERLINCK, ED. PICHARD ac POSITIVISTAE; formam *emanationis* proposuerunt NEOPLATONICI duce PLOTINO; forma *ontologismi* patronos nacta est SPINOZA, HUME et ROSMINI; forma *idealis* patres habuit FICHTE, HEGEL, SCHELLING; forma *volitiva* est exposita a

---

[20] Cf. TIL. PESCH *Inst. Log.* n. 1618-32.

[21] KANT apud *De San* De Deo Uno n. 32.

[22] Vol. I n. 65; BALLER. *Il Princ. di caus.* p. 44 sqq.; FARGES *L'idée de Dieu d'après la raison et la science* p. 28.

[23] Exod. 5, 2.

[24] 1 Machab. 6, 10 sqq.

[25] SENECA *De ira* I.

[26] BAYLE *Dictionnaire Historique chrétien* art. *Des Carreaux;* LIBERATORE *Metaph. Spec.* p. 3 n. 16; HONTHEIM *Theod.* n. 615 sqq.; JANSSENS I p. 98.

SCHOPENHAUER, HARTHMANN et NIETZCHE [27], quibus consentiunt MODERNISTAE [28].

7. **Errores — Veritas.** Divinam existentiam vel saltem ejus cognoscibilitatem diversa forma, sed eadem re, impugnant, ut ex modo dictis patet, ATHEISTAE et PANTHEISTAE. — **Veritas** est proposita in CONC. VATIC., quod contra Atheos definit: « S. q. d. Deum unum et verum atque omnium Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine *certo cognosci* non posse; a. s. » [29]. Contra Pantheistas vero ait: « S. q. d. unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; a. s. ». « S. q. d. res finitas... e divina substantia *emanasse;* aut divinam essentiam sui *manifestatione* vel *evolutione* fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod *se se determinando* constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; a. s. » [30].

THES. 1. *Hominem posse Deum certo cognoscere — 1 docet Scriptura, — 2 testantur Patres, et — 3 suadet ratio.*

8. **Prima pars.** *Dei cognoscibilitas probatur ex Scripturis.* **Argum. 1.** *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum... deos putaverunt... A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri... Si tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum: quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?* [31]. Testimonium agere DE COGNITIONE VERI DEI constat, nam loquitur *a*) de illo Deo qui ab idololatris ignoratur, *b*) qui in singulari dicitur *Deus,* imo τὸν ὄντα, scil. ens necessarium, *Jahve; c*) qui ab idolis sive manufactis sive non manufactis contradistinguitur, atque *d*) omnibus creaturis praestat, utpote qui *e*) omnium est *creator, artifex* et *Dominus*. Sermonem autem esse de COGNITIONE CERTA et non tantum probabili, constat *a*) ex nomine quo signatur, dicitur enim *scientia,* quae est cognitio certa: *b*) ex verbo *cogno-*

---

[27] HONTHEIM n. 688-740; JANSSENS I p. 222-225; VI p. 88-120. HERGENRÖTHER, *Stor. Un. d. Chiesa* I, p. 60; 299 seqq.

[28] Vol. 1 n. 27.

[29] CONC. VATIC. *Dei Filius* § 2 cn. 1; cp. 2 et 4.

[30] CONC. VATIC. *l. c.* § 1 cn. 3 et 4.

[31] Sap. **13.** 1-9.

scibiliter videri, quod ex analogia ad corporalem visionem adhibetur de re clara et manifesta: *c*) ex comparatione cum *aestimatione mundi,* qui a sapientibus certitudinaliter attingitur: *d*) ex corollariis, quae deducuntur; sic enim vera notitia Dei est omnibus parata, ut, qui ea caruerint, *querelam* [32] habeant, eis *ignosci non debeat* et *inter mortuos sit eorum spes;* ex sola autem probabili notitia grave onus agendi non sequitur, sed ulterioris tantum inquisitionis obligatio. **Argum. 2.** Sapientiae consonat PAULUS qui, Romanis idololatriae facinus improperans, ait: *Veritatem Dei in injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles* [33]. Apostolum non loqui de confusa quadam notitia divinitatis sed DE COGNITIONE VERI DEI evidentissimum est; ut enim taceamus *a*) nomen Dei in singulari de solo vero Deo in Scripturis enuntiari [34], Apostolus *b*) de illo Deo agit, qui *sempiterna virtute* et *divinitate* auctor est omnium, *c*) qui a falsis diis, quos idololatrae colunt, distinguitur, *d*) cujus cognitio est inaestimabilis thesaurus ab impiis in injustitia detentus [35]. Loqui de COGNITIONE CERTA constat: *a*) quia eam dicit *manifestam;* manifestum vero habetur quod in actu (*subiective*) vel in potentia (*obiective*) perspicuum et certum est: *b*) quia *invisibilia Dei* juxta Apostolum per ea, quae facta sunt, *conspiciuntur;* conspici vero seu videri dicuntur, quae clara ideoque certa cognitione percipiuntur: *c*) tandem Apostolus vocat *inexcusabiles* eos, qui vera cognitione Dei carent; non possunt autem vituperari et damnari illi qui rem dubiam vel probabilem non constituunt fundamentum totius ordinis moralis [36].

---

[32] Scil. *reprehensionem, culpam,* ut explicat A. LAPIDE.

[33] Rom. **1.** 18-20.

[34] FRANZ. *De Verb. Incar.* p. 13-16.

[35] Sic explicat CORNELY *veritatem in injustitia* detinent: « Veritatem sponte quasi se offerentem mentibusque eorum illucescentem velut captivam reprimunt impediuntque, ne clare cognita virtutem suam exerens vitam moresque ipsorum regat ac moderetur ». *Com. in Rom.* p. 79.

[36] Quo sensu Apostolus vocet *inexcusabiles* idololatras dubitatur: quidam, attendentes partic. *quia* vers. sequentis, ethnicos dicunt inexcusabiles eo quod non glorificaverunt Deum, quem cognoscebant. Communissime explicant de *ignorantia:* sunt inexcusabiles « quia per ignorantiam excu-

9. **Secunda pars.** *Deum ab homine certo posse cognosci testantur Patres.* Profecto potest certo cognosci quod homini est tam *facile* ut omnibus intellectum habentibus sit promptum, tam *obvium* ut abscondi nequeat, tam *commune* ut congenitum et innatum dici queat: atqui de cognitione veri Dei haec affirmant Patres: ergo. *a*) « *Nimis stolidus* est, inquit GREG. Naz., qui hucusque non progreditur sponte sua et naturalibus obsequens ostensionibus » [37], ut habeat illam Dei cognitionem, quae, ut alii loquuntur, inest omnibus « qui, non omnem plane pudorem exuerunt adversus veritatem » [38], nec *pecoribus* coaequati sunt [39]. *b*) « Haec, inquit CYPR., est summa delicti, nolle agnoscere, quem *ignorare non possis* » [40] quippe, ut ait AUG., « haec est vis verae divinitatis, ut creaturae rationali, ratione jam utenti, non omnino ac penitus possit abscondi; exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem » [41]. *c*) « Quisnam, sic ARNOB., est hominum... cui non sit ingenitum... esse regem ac dominum, cunctorum quaecumque sunt, moderatorem? » [42]. — Porro Patres loqui de VERO DEO contextus et verba, quae de creatore mundi agunt, aperte docent; quare TERTUL. clamabat: « O testimonium animae *naturaliter christianae!* » [43]

10. **Tertia pars.** *Verum Deum posse certo cognosci probatur ratione.* Nam *a*) incognoscibilitas divinae existentiae repetenda

---

sari non possunt » (S. THOM. in *h. l.* lect. 7). Haec altera sententia *a*) consonat contextui, siquidem part. *ita ut* rationem inexcusabilitatis refert ad praecedentia, in quibus non est sermo de facto cognitionis, sed de ejus possibilitate: *b*) duce CHRYS. praefertur a Patribus: *c*) servatur a codicibus et versionibus, cum Vulgata post verbum *inexcusabiles* signantes punctum: *d*) apprime consonat historiae, siquidem ethnici notitia veri Dei carebant. Et si quaeris cur Apostolus dein dicat ethnicos *cognovisse Deum,* respondet CORNELY Paulum redire ad v. 18 atque totum humanum genus considerando, damnare idololatras, quia a pristino monotheismo defecerunt; quae quidem generalis defectio viam indicat, qua etiam nunc singuli in idololatriam prolabuntur, scil. veritati jam cognitae vel se ultro offerenti resistendo.

[37] GREG. Naz. *Or.* 28 n. 16.

[38] CYRIL. Alex. *Strom.* V.

[39] HIERON. *epist.* 60 n. 3.

[40] CYPR. *De idol. van.* c. 9; MINUT. Fel. in *Oct.* c. 18; LACT. *De div. inst.* II n. 1.

[41] AUG. in *Joan.* tr. 106 n. 4; TERT. *De Spect.* c. 2.

[42] ARNOB. *Adv. Gent.* I c. 23.

[43] TERT. *Apol.* c. 17.

foret vel *ex parte ipsius Dei,* qui intelligibilitate careret, vel *ex parte nostrae mentis,* quae ratione suae limitationis illum apprehendere non posset, vel *ex defectu medii,* quo mens in Dei notitiam veniret: atqui *Deus* est summe intelligibilis, quia intelligibilitas sequitur rationem entis, quae in Deo est infinita: *mens nostra* est quidem impar ad Dei cognitionem *propriam* quae immediatam visionem objecti supponit, sed non *ad analogicam,* siquidem objectum adaequatum nostrae mentis comprehendit totam rationem entis, ideoque etiam existentiam Dei: non deest *medium cognitionis,* quia creaturae, quae a nobis percipiuntur, nexu causalitatis, ut infra probabimus, manifestant existentiam Dei sub ratione entis perfectissimi et creatoris mundi: ergo. *b*) Adde notitiam veri Dei esse necessariam ad vitam moralem agendam, cum ex ea pendeat cognitio ultimi finis et principium moralis obligationis [44]: atqui natura in necessariis non deest: ergo naturali virtute homo Deum potest cognoscere. *c*) Ceterum universalis divinitatis cultus probat naturalem cognoscibilitatem supremi auctoris et domini mundi: atqui huic notioni Dei opponi falsas concretizationes idololatriae potest ostendi: ergo.

THES. 2. *Deus a nobis potest cognosci ut a mundo distinctus; quare Pantheismus respuendus omnino est.*

11. **Ex Scripturis.** Nam Deus in allatis testimoniis *Sapientiae* et epist. ad *Romanos* proponitur uti IPSUM ESSE ac mundi ARTIFEX qui *ex suis operibus,* seu *per ea quae facta sunt,* potest agnosci; severissime vero improperantur qui *aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt* [45]: atqui *ipsum esse* ab esse participatum apprime distinguitur, et artifex cum suo opere confundi nequit, pantheiste vero ignem, aquam, citatum aërem, solem, lunam et stellas Deum habent: ergo. Ceterum universa Scriptura clamat contra pantheismum. Cum mundi origo accurate describitur, ita exhibetur ut *in principio* (h. e. in tempore) coeperit opere Dei, qui non de sua substantia eduxit illum, sed efformavit de materia invisa, quam de nihilo traxerat [46]. In Sacris Litteris, ut ex toto tractatu *De Deo* appa-

---

[44] CLEM. Alex. *Strom.* V; Vol. 1 n. 42-3.

[45] Sap. **13.** 2.

[46] Gen. **1.** 1 sqq.; Act. **17.** 25; Rom. **11.** 34-6. De creatione mundi infra agemus.

rebit, Deus est unus, simplicissimus, perfectissimus, immutabilis et aeternus; mundus vero multiplex, mutabilis, malos quoque a bonis separandos et aeterno igni addicendos complectens. Hinc ISAI. idololatras insectatur : *Cui similem fecisti Deum ? aut quam imaginem ponetis ei ?* [47]. *Ecce gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae reputatae sunt... omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei* [48]. PAULUS vero cum PSAL. Deum opponens mundo, scribit : TU *in principio terram fundasti : et opera manum tuarum sunt coeli.* IPSI *peribunt,* TU *autem permanebis, et* OMNES *ut vestimentum veterascent...* TU *autem idem ipse es* [49]. — **Patres** non solum docent cum AUG. quod « non est Deus corpus, non terra, non coelum, non luna, non sol, non stellae, non corporalia ista » [50], quippe, ut ait AMBR., « Deus complectens omnia, nusquam ipse confusus (est), penetrans omnia nusquam ipse penetrandus » [51] ; sed hujus distinctionis rationes plurimas adducunt, et ex ea calumniam atheismi a christianis removent. ORIG. arguit *ex spiritualitate,* qua probata, concludit : « Haec me decuit disputare... ut Dei essentiam a rebus omnibus genitis secernerem » [52]. IREN. *ex creatione,* siquidem « Ipse (Deus) omnia libere fecit... Altera autem sunt quae constituta sunt, ab eo qui constituit, et quae facta sunt, ab eo qui fecit » [53]. HILAR. *ex immutabilitate,* nam cetera sunt mutabilia et imperfecta, Deus, utpote *ipsum esse,* est immutabilis [54]. HIERON. *ex aeternitate : « Cetera* quae creata sunt, ait, etiamsi videntur esse, non sunt : quia aliquando non fuerunt; et potest rursum non esse, quod non fuit. Deus solus, qui aeternus est, hoc est, qui exordium non habet, essentiae nomen vere tenet » [55]. Idololatrorum calumniam de christianorum atheismo ex distinctione Dei a rebus creatis explodit ATHEN. : « Nobis, qui Deum *a materia disjungimus,* ac plurimo utrumque *intervallo distare demonstramus,* nonne immerito atheo-

---

[47] Isai. **40**. 18.

[48] Isai. **40**. 15-7; Job. **11**. 8 sqq.; 3 Reg. **8**. 27.

[49] Hebr. **1**. 10-12; Ps. **101**. 26-8.

[50] AUG. in *Joan.* tr. 23 n. 9.

[51] AMBR. *De Fide* I c. 16.

[52] ORIG. *De Orat.* n. 23.

[53] IREN. *Adv. Haer.* III c. 8 n. 3; AUG. in Ps. **85** n. 12.

[54] HILAR. in *Ps.* **2** n. 13; AUG. in *Joan.* tr. 23 n. 9.

[55] HIER. *Epist.* 15 n. 4. « Quoniam *semper* est Trinitas, inquit ATHAN. ep. *ad Serap.,* nulla est in ea creatura ».

rum nomen imponitur? »[56]. — **Ex ratione,** nam Pantheismus destruit omnem ordinem physicum, moralem et theologicum. *Destruit ordinem physicum* quia conscientiae testimonium, quotidiana experientia et omnis scientia testantur vel supponunt realem distinctionem nostri a ceteris, necnon substantiarum multitudinem et varietatem, quae a pantheismo negantur: *destruit ordinem moralem* quia, ablata distinctione rerum, nullus manet superior et vindex actionum nostrarum, libertas vero est nomen inane, ubi caeco fatu omnia evolvuntur: *destruit ordinem theologicum* quia omnia argumenta quae ducunt ad cognitionem Dei, Deum manifestant non solum distinctum a mundo, cujus est creator et gubernator, sed omnino diversum; quippe movens immobile, ens necessarium, causa prima, perfectissima substantia et mundi artifex, in immensum distare debet a suo effectu contingenti, imperfecto et moto[57].

12. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Allata testimonia *Scripturae* et *Patrum* non loquuntur de sola possibilitate cognoscendi Deum sed de cognitione obvia, quae omnibus inest: atqui non omnes habent notitiam *veri Dei:* ergo frustra adducuntur in nostra quaestione. **Resp.** An et quo sensu SCRIPTURAE loquantur de cognitione *quae omnibus inest,* sufficienter diximus in thesi[58]; quoad PATRES nota eos duplicem notitiam veri Dei distinguere: unam confusam, qua Deus attingitur in ratione cujusdam entis extramundialis, nobis superioris; aliam magis expolitam, qua verus Deus intelligitur infinite perfectus, creator et finis omnium. Primam, quam vocant ingenitam et necessariam, eo quod sponte ex visione mundi oritur, omnibus tribuunt; alteram, quam ex attento studio creaturarum derivant, non omnibus concedunt, sed iis, qui naturalibus non abutuntur facultatibus. Porro hujusmodi duae cognitiones etiam in sententia Patrum nec adaequate distinguuntur, nec origine differunt; altera enim est prioris evolutio et complementum, utraque vero ex mundi consideratione naturali rationis lumine deducitur; prima *veluti immediate* et necessario, altera *ope ratiocinii* Deum considerando uti causam exemplarem, cui perfectiones suarum imitationum deesse nequeunt[59].

13. **Objic. 2.** Ante omnem demonstrationem praemittenda est notio subjecti et praedicati[60]: atqui in demonstratione existentiae Dei praemitti nequit notio subjecti, quia notio *propria* supponit intuitionem,

---

[56] ATHEN. *Leg. pro Christ.* n. 4.
[57] Cf. HONTHEIM *Theod.* n. 714-40.
[58] Cf. supra notam 31.
[59] FRANZ. *De Deo Uno* p. 98-104; DE SAN n. 28.
[60] ARIST. *Analyt. post.* I c. 1.

analogica e creaturis *post* notitiam existentiae concluditur : ergo. **Resp.** Cum de existentia rei agitur, notio praemittenda non est perfecta et concreta, sed hypothetica et inadaequata; argumentum enim huc redit : *si existit res, cui haec determinata notio convenit* (v. g. animalis rationalis), *existit illud* (homo) *de quo agitur : atqui... ergo.* Porro in probatione existentiae Dei notio praemittenda est generica ratio *causae primae* omnium entium, siquidem sub nomine *Dei* omnes intelligunt supremum auctorem mundi, ex cujus notionis evolutione omnia divina attributa omnesque proprietates Dei (naturaliter notae) eruuntur, ut in decursu tractationis patebit : atqui generica et hypothetica ratio *causae primae* potest efformari antequam notio concreta existentiae eius habeatur : ergo sine circulo vitioso vel principii repetitione institui potest demonstratio de existentia Dei.

14. **Objic. 3.** Magis distat Deus ab humano intellectu, quam spiritus a sensu : atqui spiritus nullatenus percipi potest a sensu : ergo. **Resp.** *Nego suppositum.* Cum de cognitione agitur, non occurrit distantia *entitativa,* de qua procedit difficultas, sed *intelligibilitatis,* quo modo magis distat spiritus a sensu, quam Deus a nostra mente; sensus enim non potest objectum percipere nisi cognitione *propria* [61] quae fundatur in proportione entitativa; mens percipit etiam cognotione *analogica,* qua superior ab inferiori inadaequate quidem, sed vere, attingitur.

15. **Objic. 4.** Si Deus cognosceretur analogice seu per alia, cognosceretur *inductione* vel *deductione :* atqui non *inductione,* quia creata increatum non continent; non *deductione,* quia, cum pejorem semper sequatur conclusio partem, necessarium ex contingente, infinitum ex finito non sequitur : ergo [62]. **Resp.** « Deum esse cognoscitur *deductione.* Neque contra hoc est hexameter logicorum : *Pejorem sequitur semper conclusio partem.* Hic enim nihil dicit quam conclusionem esse *particularem* vel *negativam* vel mere *probabilem,* si altera praemissa talis est. Qui huic principio alium sensum tribuit, debet probare illud pro eo sensu adhuc valere. Insuper ens absolutum non in sola conclusione habetur, sed in ipsis praemissis; sic enim argumentamur : *Si existit ens ab alio existit absolutum : atqui existit ens ab alio : ergo existit ens absolutum.* Si autem quis dicat nos ex effectu numquam posse concludere ad causam, quae effectum perfectione superet, id falsum esse obviis exemplis ostenditur. Ex horologio enim concludo existere hominem artificem, qui fecit illud; is autem horo-

---

[61] Cum cognitio *sensitiva* sequatur contactum quantitativum, quo objectum actuat sensum, semper est *immediata* et consequenter *propria.*

[62] FRANCK *Dict. des sciences phil.* p. 493.

logio perfectior est. Similiter is, qui elementa creavit, elementis perfectior est, quum haec vi creativa careant » [63].

16. **Objic. 5.** Certitudo existentiae Dei fundatur in infallibilitate nostrae mentis : atqui infallibilitas mentis ante notitiam existentiae Dei non constat, siquidem probatur ex perfectione creatoris : ergo. **Resp.** *Nego min.;* licet enim rectitudo mentis nostrae sit effectus divinae providentiae, quae proinde in favorem ejus potest adduci; haec tamen rectitudo independenter a notitia divinae providentiae constat conscientiae testimonio, communi sententia et repugnantia conclusionum quae ex absoluta nostra fallibilitate sequerentur [64].

17. **Objic. 6.** (*Pro Pantheismo*). Cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente : atqui res exteriores in mentem venire non possunt : ergo omnis cognitio mentis evolutione absolvitur. **Resp.** Objecta exteriora in mentem veniunt per eorum *similitudinem,* qua intellectus ad externorum notitiam ducitur. *Quomodo* haec similitudo seu species efformetur in intellectu, difficile est dictu [65], sed *factum* conscientiae testimonio et immediata evidentia innotescit, atque studio progressus cognitionum nostrarum confirmatur [66].

18. **Objic. 7.** Si res ab invicem substantialiter differrent, aliqua entitate different, quippe contra ens nihil tantum dividitur : atqui res entitate differre nequeunt, quia ens est generalissima ratio omnibus communis : ergo. **Resp.** Notio entis, eo ipso quod est generalissima, non est univoca sed analogica, unde in diversis realiter differt; licet enim ens perfici nequeat *additione* novae entitatis, ut propositum argumentum evincit, perficitur meliori ejusmet *concretizatione* [67]. Profecto homo

---

[63] HONTHEIM *Inst. Theod.* n. 38.

[64] Si intellectus *per se esset* fallibilis, de nulla re certitudinem assequeremur, et ideo rationabiliter nec in physico nec in morali ordine quidquam agere valeremus.

[65] Scholastici cum S. THOMA sic explicant. Objectum externum immediate agit in sensum externum, puta in oculum, propriam imaginem sensibilem efficiens : ex hac prima objecti perceptione producitur in phantasia *species sensibilis.* Haec illuminatur ab intellectu agente atque, a notis individuantibus expoliata, fit *species intelligibilis* immediate informans intellectum possibilem, qui elicit *verbum* in quo intellectus objectum percipit. Immediatam hanc perceptionem sequitur *reflexio,* qua intellectus seu mens proprietates objectorum considerat et judicia efformat, quarum aliqua sunt immediatae evidentiae et constituunt thesaurum *principiorum,* de quibus nemo potest dubitare; alia sunt *conclusiones,* in quibus ex mentis inconsideratione error potest contingere.

[66] Revera infans est tamquam tabula rasa, quae paullatim scribitur; qui vero aliquo sensu carent objectorum respondentium cognitionem propriam non habent.

[67] « Secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantum expri-

non est *plus ens* quam animal, sed est *melius ens*, quia in homine ratio entis explicatur etiam sub notione rationalitatis, quae in animali deficit.

19. **Objic. 8.** Deus est ens infinitum : atqui praeter infinitum nihil est : ergo. **Resp.** *Neg. min.* Nam notio *infiniti* alia est a notione *totius*. Infinitas est perfectio absoluta non relativa, neque infert possessionem numericam vel formalem perfectionum aliorum entium [68], sed eminentiorem tantum et virtualem, ut ex dicendis de perfectione Dei patebit.

ARTIC. 2 — DE INEPTIS VIIS AD DEUM.

20. **Status quaestionis.** Vindicata cognoscibilitate Dei, procedendum est ad dignoscendam viam, qua ad Deum possumus pervenire. Porro cognitio cujusvis rei vel deducitur ex terminorum analysi seu consideratione et dicitur *a priori* vel acquiritur objecti manifestatione et dicitur *a posteriori*. Iam age : objecti manifestatio multipliciter concipi potest : primo ex aliorum *relatione*, secundo *intuitione*, tertio *ideis innatis*, quarto *deductione objectiva*, quinto *deductione subjectiva*. Qui *Deum esse* ex terminis notum habent argumentum anselmianum aedificant, qui ex aliorum tantum relatione innotescere autumant *Traditionalistae* vocantur, qui ideam Dei innatam ponunt *Innatistas* audiunt, qui ex subjecti consideratione eruere conantur, nuncupantur *Immanentistae*, qui ex mundi consideratione causalitatis via Deum esse ostendunt *Scolasticorum* agmen constituunt : illi a veritatis tramite deflectunt, hi unicam veram viam sequuntur ; de illis in hoc articulo, de scholasticorum argumentis in sequenti.

21. **Argumentum Anselmianum.** S. ANSELMUS aestimavit divinam existentiam erui posse ex ipsa *notione* Dei, qui communiter apprehenditur ut *id quo majus nihil cogitari potest*, siquidem, ait, « quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel

---

munt *ipsius modum* (v. g. ens ut planta, ut animal, ut substantia, ut accidens), qui nomine ipsius entis non exprimitur ». S. THOM. *De Verit.* q. 1 a. 1.

[68] Profecto perfectiones *mixtae* in ente perfectissimo esse nequeunt *formaliter*, unde si Deus v. g. esset corpus, neque spiritualis neque immutabilis foret. Hinc jam ARIST. *Phys.* III c. 6 notionem *infiniti* a notione *totius* apprime distinxerat.

in intellectu solo est, potest cogitari esse et in re : quod majus est » [1]. Hoc argumentum aequivalenter renovarunt S. Bonav., Scotus, Cartesius, Leibnitz : S. BONAV. procedit ex notione veritatis, quippe *ens existens in se* est fundamentum totius veritatis, unde in cognitione cujusvis veri apparet : atqui ens *in se* seu *necessario* existens ab ordine rerum abesse nequit : ergo [2] : SCOTUS procedit ex *possibilitate* Dei, siquidem « efficiens primum si est possibile, est in re » [3] : CARTESIUS procedit ex notione *infiniti* quia putat notionem infiniti ex finitis non deduci ; si ergo datur notio infiniti, infinitum ipsum existit [4] : LEIBNITZ procedit ex notione *essentiae* Dei ; essentia enim, quae est existere, non potest non esse : atqui essentia Dei est ipsum existere : ergo [5].

22. **Traditionalismus.** Ex falsa notione effectus peccati originalis, quod ita corrupisse naturam aestimarunt, ut naturali vi homo factus sit impotens ad veritatis cognitionem, REFORMATORES et JANSENISTAE notitiam Dei deduxerunt ex influxu gratiae, TRADITIONALISTAE ex primitiva revelatione. Porro Traditionalistarum alii sunt *rigidi* qui cum HUET, BAYLE, DE BONALD, DE LAMENNAIS, BAUTAIN, etc. omnem cognitionem, alii *mitiores* qui cum P. VENTURA, BONNETTY, UBAGHS veritates morales in genere, praeprimis vero notionem divinitatis, ex primitiva revelatione derivari autumarunt [6].

23. **Ontologismus.** Nomen accepit a GIOBERTI, qui *primum ontologicum* esse *primum logicum* aestimavit. E diametro contra idealismum constitutus, cognitionem ab objecto vult determinari secundum *omnem cognitionis modum,* quapropter, quia nos cognoscimus Deum esse omnium rerum principium, hoc ipso modo ontologi eum directe attingi dicunt a nostra mente ; ita ut Deus sit primum objectum a nobis detectum, quo cetera cognoscimus. Praecursoribus EUNOMIANIS et AËTIANIS, qui essentiam Dei *sub ratione entis* videri a nobis blaterabant [7], necnon BEGUINIS et BEGUARDIS saec. XIII, qui naturali virtute *ex visione Dei* hominem beatificari putabant, ontologismus propositus est a

---

[1] ANSELM. *Prosl.* c. 2. *NB.* Quidam ab apriorismo S. Anselmi argumentum expedire conantur ; sed post S. THOM. JANSSENS p. 101 sqq. negantem sententiam vindicat.

[2] BONAV. 1 *Dist.* 8 p. 1 a. 1 q. 2.

[3] SCOT. 1 *Dist.* 2 q. 2 n. 14.

[4] CARTESIUS apud *Janssens* p. 113-4. Idem sophisma renovarunt GRATRY et GÜNTHER argumento *metalogico,* quo intuitione a ratiocinatione independenti putarunt ex notione *finiti* percipi *infinitum.* Cf. HONTHEIM n. 100.

[5] LEIBNITZ apud LAMY *De la démon-Cartes. de l'exist. de Dieu.* De universa quaestione cf. JANSSENS p. 101-18.

[6] Apud TIL. PESCH *Inst. Logic.* III n. 1683-7 ; HONTHEIM *Inst. Theod.* n. 62-6 ; JANSSENS I p. 121 sqq.

[7] PESCH II n. 53.

MALEBRANCHE, GIOBERTI et ROSMINI : ille dixit nos Deum attingere sub ratione *idearum universalium*, quae deinde sensationibus concretizantur; GIOBERTI affirmavit nos nebulose Deum intueri uti *creatorem*, qui sua voluntate se ipsum dicit; ROSMINI voluit nos videre Deum sub ratione *entis initialis* (seu *idealis*) quod idem esse in Deo et in creaturis docuit. Ontologis annumerantur BRANCHEREAU, JUL. FAVRE, HUGONIN, ROTHENFLUE, MAMIANI, etc. [8].

24. **Systema idearum innatarum.** Ontologismo proximus est systema *idearum innatarum*, qua humana cognitio assimilatur angelicae. A PLATONE inventum qui intuitionem idearum archetyparum fecit medium cognitionis rerum visibilium, et diversimode excultum a CARTESIO, KANT [9] et LEIBNITZ [10], hoc systema evolutum est a ROSMINI qui innatam dixit notionem *entis idealis*, ex qua, mediante sensatione, rerum notitia efformatur [11]. Simpliciori forma idearum infusarum eumdem errorem professi sunt THOMASSINUS, KLEE, STAUDENMAIER [12], KUHN [13], GIOVANZANA [14] etc. qui ex Patribus et ex Scripturis rem evincere conati sunt.

25. **Subjectivismus seu immanentismus.** Ut Ontologi peccaverunt *excessu*, ita *defectu* erraverunt SUBIECTIVISTAE, qui murum construentes inter cognoscentem et cognitum, cognitionem nostram non ex rebus sed ex principio nobis intrinseco deducere voluerunt. Adumbrati ab *antiquis philosophis* qui dicebant « nihil esse *album* aut *nigrum*, nisi quando videtur; neque *saporem* esse nisi quando gustatur » [15], Subjectivistae apparuerunt medio saec. XVIII diversimode originem cognitionum nostrarum explicantes. SENTIMENTALES certitudinem cognitionis derivarunt « *ex instinctiva* quadam propensione (REID), vel *ex fide* (JACOBI), vel *ex inspiratione* quadam sive sensu divino (GRATY), vel *ex persuasione*, nescio qua, pure subjectiva (COSH) » [16]; CRITICI eam deduxerunt ex nativa vi intellectus et voluntatis. Patre KANT in duas familias sunt divisi : quidam, ex principiis rationis purae ultimas conclusiones deducendo, devenerunt in *criticismum idealogi-*

---

[8] Apud SCHIFFINI *Metaph spec.* 1 n. 271; PESCH n. 54; HONTHEIM n. 50; JANSSENS I p. 92-3.

[9] TIL. PESCH *Inst. Log.* n. 1636.

[10] TIL. PESCH *Inst. Log.* n. 1645.

[11] Cf. SCHIFFINI *Metaph. Spec.* I n. 283.

[12] Apud DE SAN *De Deo Uno* n. 27.

[13] Apud PESCH *l. c.* n. 28.

[14] Cf. Opusc. meum *Della cogn. natur. di Dio* p. 7 sqq.

[15] S. THOM. *Metaph.* XI. lect. 11.

[16] TIL. PESCH *Inst. Logic.* n. 784. Addi possunt BEATTIE, OSWALD, DUGALD STEWART, HAMILTON, FRIES BOUTERWECK, SCHLEIERMACHER de quibus videbis eumdem auctorem n. 1658; *Hontheim* n. 72; *C. Pesch* n. 32.

cum, quo cognitum identificatur cum cognoscente, qui dum cogitat vel vult creat res [17]; alii vitam dederunt *criticismo reali,* quo, admissa reali existentia rerum, horum notitia derivatur ex synthesi et antithesi principiorum seu categoriarum mentis, vel ex postulatis rationis practicae. Primum systema amplexi sunt FICHTE, SCHELLING, HEGEL, SCHOPENHAUER, etc. [18], alterum KANT, HERBART, HERM. FICHE, HARTMANN [19]. Systema Kant renovarunt NEO-CRITICI seu IMMANENTISTAE qui, causalitatis principio *theoretice* vel saltem *practice* (quatenus de facto exceptiones patiatur) impugnato, admiserunt quidem objectivam quamdam certitudinem cognitionum rerum sensibilium et phaenomenorum, sed negarunt certam notitiam causarum seu substantiarum. Consequenter existentiam Dei vel penitus non agnoverunt vel deduxerunt ex enuntiatione mentis et voluntatis imperio, scil. ex quodam interno *desiderio,* vel *naturali* decentiae et convenientiae *sensu,* et veluti necessarium *postulatum* totius ordinis moralis. Inter neo-criticos enumerantur SPENCER, RENOUVIER, HUXLEY, WUNDT, PAYOT, SECRETAN, LACHELIER, BOUTROUX, NEGRI, CESCA, CANTONI, etc.[20]. Immanentistis accesserunt MODERNISTAE qui, cum neo-criticis rationis *autonomia* seu independentia proclamata, negarunt possibilitatem cognoscendi objecta per directum vel indirectum influxum externarum rerum, quarum notitiam derivarunt ex congenita *interna experientia* et *voluntate* aut *instinctu divino.* Modernismo subscripserunt BLONDEL, LABERTHONNIÈRE, CH. DENIS, MANO, LOISY, E. LE ROY, HOUTIN, FONSEGRIVE, BRUNETIÈRE, etc.[21].

26. **Errores — Veritas.** Erroribus dogmaticis profecto adscribendi sunt TRADITIONALISMUS [22], ONTOLOGISMUS [23] et IMMA-

---

[17] « Nulla esiste, inquit RENSI in *Coenobium* n. 1, fuori della percezione e del pensiero ».

[18] TIL. PESCH *Inst. Logic.* n. 71-3, 608 not. 2, HONTHEIM n. 711-3.

[19] TIL. PESCH n. 69, 608 not. 2.

[20] Cf. de his RANZOLI *Dizionario di Scienze filosofiche* art. *immanenza, volontarismo, intellettualismo;* I. FONTAINE S. J. *Les infiltrations Kantiennes* etc. p. 137-49, BALLERINI *Il principio di causalità,* passim.

[21] Cf. Vol. 1 n. 19.

[22] TRADITIONALISMUS *purus,* qui simpliciter negat possibilitatem naturalis cognitionis existentiae Dei, post CONC. VATIC. est haeresis; *mitigatus,* qui naturalem demonstrationem a primitiva revelatione dependentem facit, proximus haeresi habetur, siquidem Conc. cp. 2 docet revelationem non esse necessariam ad ea quae *in rebus divinis* humanae rationi per se impervia non sunt. Traditionalismus etiam mitigatus expresse est dam. a *S. C. I.* 3 *Jun.* 1843. Cf. DE SAN n. 34.

[23] ONTOLOGISMUS, qua parte in rosminiano systemate subaudit *pantheismum,* est haeresis proscripta in CONC. VATIC. *Dei Filius* § 1 cn. 3; qua vero parte ponit *immediatam Dei visionem* damnatus est a CONC. VIEN. *pr. 5 Be-*

NENTISMUS [24] de quibus diximus. — **Veritas** definita est in CONC. VATIC.: « S. q. d. Deum nostrum, *per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine* certo cognosci non posse; a. s. »[25].

THES. 3. *Licet* — 1 *contra Traditionalistas sit affirmanda* naturalis *cognoscibilitas divinae existentiae; haec tamen non est veritas* per se nota — 2 *ex immediata intuitione Dei, ut blaterant Ontologi,* — 3 *vel ex ideis innatis, ut docent Innatistae: nec logice concluditur* — 4 *argumento a priori S. Anselmi* — 5 *vel ex solius intellectus et voluntatis virtute, ut contendunt Immanentistae.*

27. **Prima pars.** *Naturali virtute et non sola revelatione Deum esse certo potest cognosci.* Revocanda sunt testimonia data in prima thesi. **Ex Scripturis.** Nam in SAPIENTIA *a*) qui Deum ignorant, non dicuntur *mali* et *perversi,* sed μάταιοι... φύσει *stulti natura,* scil., ut FRANZ. explicat [26], *naturali sua facultate abutentes: b*) notitia Dei judicatur *facilior scientia* naturae: et *c*) media cognitionis *naturalia* proponuntur, scil. *consideratio mundi adspectabilis.* APOSTOLUS *a*) docet quod invisibilia Dei cognoscuntur *per ea quae facta sunt;* et *b*) affirmat quod notitia existentiae Dei necnon infinita ejus virtus et divinitas sunt *notum Dei,* quod in hominibus est *manifestum;* attributum autem evidentiae rebus fidei non convenit, siquidem teste eodem Apostolo, fides est argumentum *non apparentium* [27]. *c*) Accedit finis pericopae, nam Apostolus vult

---

guin.; ut enim notat BILLOT (*De Deo Uno* p. 27-8), effugium de visione obscura et confusa adversarios non juvat; quippe substantia cognitionis *visivae* est in immediata apprehensione objecti. Porro in sua formali ratione damnatus est a *S. C. I.* 18 *Sept.* 1861, quae 7 prop. ontologicas proscripsit, quarum 2 et 3 sic sonant: « Esse illud, quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus, est esse divinum ». « Congenita Dei tamquam entis simpliciter notitia, omnem aliam cognitionem eminenti modo involvit, ita ut per eam omne ens, sub quocumque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habeamus ».

[24] IMMANENTISMUS et MODERNISMUS damnati sunt a Pio X enc. *Pascendi* ut omnium haereseon conlectus.

[25] CONC. VATIC. *Dei Filius* § 2 cn. 1. *NB.* MODERNISTAE in *Il Program.* p. 105-6 dicunt se damnationem Concilii effugere, quia *impulsus animi,* quo Deum esse cognoscimus, inter ea communeratur, *quae* a Deo *facta sunt.* Sed facile reponitur, quod ceteroquin et ipsi concedunt, CONC. non loqui de impulsu animi, sed de ratiocinio mentis, quae *ex mundo* visibili Dei existentiam arguit: porro verborum sensum in definitionibus esse immutabilem vidimus Vol. 1 n. 510.

[26] FRANZ. *De Deo Uno* p. 41.

[27] Hebr. **11.** 1.

probare *necessitatem Evangelii,* quae profecto non concluditur ex abusu fidei sed ex abusu naturae, ut scil. qui mediis naturalibus vitam honestam non duxerunt, auxilio fidei et gratiae peragant. — **Patres** cognitionem Dei opponunt *revelationi,* tribuunt *naturali facultati,* et *naturalibus mediis* explicant. *a*) Hoc, inquit CYR. Alex., Deus « *non docendo...* sed *creando* unicuique eorum, qui in existentiam vocati sunt, semen sapientiae, sive cognitionis Dei immittit » [28]. Et TERT. : Divinam cognitionem ethnici « nullis libris Moysis debent : ante anima quam prophetia ; *animae* enim a primordio conscientia Dei *dos est,* eadem nec alia in Aegyptiis et in Syris et in Pontis » [29]. *b*) Naturali facultati notitiam Dei tribuunt Patres, quos supra audivimus eam dicere congenitam et innatam, ita ut *rationi utenti* nequeat abscondi et *nimis stolidus sit* qui ad cognitionem Dei non perveniat *sponte sua* [30] : quare TERT. in testimonium Dei advocat animam gentilium, « non quae scholis formata sapientiam ructat, sed simplicem, rudem, impolitam et idioticam, qualem habent, qui *ipsam solam* (scil. naturam) *habent... Magistra natura,* anima discipula »[31]. *c*) De mediis naturalibus plura infra dicemus ; revocasse nunc sufficiat GREG. Naz. qui divinam cognitionem tribuit *naturalibus obsequenti ostensionibus* [32], cui consentit ATHAN. dicens quod « Deus naturam creatam suo Verbo tam apte composuit, ut *ex operibus* ab homine cognosci posset » [33]. — **Ex ratione.** *a*) Nam, ut vidimus, nil obstat ex parte *objecti,* neque ex parte *potentiae,* neque ex parte *medii* ut noster intellectus ex creaturis horum auctorem dignoscat. *b*) Ceterum traditio, quae dicitur necessaria, vel est divina vel humana. Si *humana,* frustra invocatur ; quod enim semel humana virtute factum est, iterum fieri potest : si *divina* revelatio foret necessaria simul et impossibilis ; *necessaria,* quia natura exigit notitiam fundamenti totius ordinis moralis, qualis est cognitio supremi legislatoris et incorruptibilis vindicis ; *impossibilis,* quia credere ei non possumus, quem esse ignoramus [34]. *c*) Adde traditionalismum falso inniti principio ; licet enim originali peccato homo in natu-

---

[28] CYRIL. Alex. apud *Franz.* p. 101 ; CHRYS. *Ad pop. Ant.* hom. 9 n. 2.
[29] TERT. *C. Marc.* I n. 10.
[30] Supra n. 8.
[31] TERT. *Testim. animae* II n. 5.
[32] GREG. Naz. *Or.* 28 n. 16.
[33] ATHAN. *C. Gent.* n. 35.
[34] BILLOT *De Deo Uno* th. 1 p. 19 sqq.

ralibus vulneratus sit, jacturam patiendo praeternaturalium quae naturam perficiebant, ipsam tamen naturam non amisit; unde intelligere potest ea, quae in naturali facultate sunt posita, cujusmodi est divina existentia.

28. **Secunda pars.** *Non datur in hac vita immediata Dei visio, ac proinde Ontologismus admitti nequit.* **Ex Scripturis.** *Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc conosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* [35]. In hoc testimonio Apostolus opponit non secundum intensitatis gradum, sed *secundum speciem,* cognitionem Dei rerumque divinarum, quae habetur in vita praesenti, illi, quae in futura reservatur: atqui proprium et distinctivum characterem cognitionis vitae futurae Apostolus constituit in immediata visione Dei: ergo visio Dei in hac vita non datur, nec proinde naturalis esse potest. CONCLUSIO est manifesta; quod enim est proprium aeternae beatitudinis [36] supernaturale est nullique in hac mortali vita, dum peregrinamur a Domino, concessum [37]. MAJOR facile explicatur, nam *a)* non dicit Apostolus quod cognitio praesens in altera perficietur, sed *evacuabitur* (v. 10), non secus ac modus cognoscendi et judicandi parvulorum deponitur in aetate perfecta, quando res alio omnino modo aestimantur (v. 12). *b)* Accedit quod progressus a minori ad majus repugnat cognitioni, qua, teste Apostolo, Deus in altera vita cognoscetur eodem modo (*sicut*), quo ab Ipso cognoscimur; si enim differentia esset secundum gradum, Apostolus tribueret beatis non solam *visionem* sed *comprehensionem* Dei, quod plane repugnat [38]. MINOR. Nam Apostolus cognitionem vitae futurae eam dicit, quae est *facie ad faciem:* atqui sive metaphoram spectes, sive usum communem et scripturalem [39],

---

[35] I. Corinth. **13.** 12.

[36] Apostolum adv. *tunc* signare aeternam beatitudinem, constat *a)* ex toto contextu, qui agit de evacuatione fidei complenda in altera vita, *b)* ex vers. 10 ubi legitur: *cum venerit quod perfectum est,* et *c)* ex parallelismo cum 1 Joan. **3.** 1. Cf. CORNELY in *h. l.* p. 404.

[37] Non obstat Apostolum loqui de cognitione *fidei,* quae proprium veluti fastigium tenet in dono scientiae et prophetiae (CORNELY in *h. l.*); quod enim de fide dicitur, *a fortiori* valet de cognitionibus naturalibus. Ceterum Apostolus a particulari quaestione ad generale principium transiens non opponit fidem visioni, sed cognitionem *hujus vitae* cognitioni *futurae.*

[38] CORNELY in *h. l.* p. 404 et 407.

[39] Cf. 2 Corinth. **3.** 18. OBJIC. In Scripturis visio Dei tribuitur *Jacob*

visio facialis, cum de intellectu agitur, est cognitio intuitiva seu immediata : ergo. CONFIRMATUR, nam cognitio hujus vitae dicitur ab Apostolo δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι (*per speculum in aenigmate*) : atqui vis prep. διὰ et relatio duorum nominum ostendunt visionem specularem esse *cognitionem mediatam*[40] : ergo immediata cognitio Dei nullo modo haberi potest in hac vita, sed est propria futurae, cum, Deo apparente, *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*[41]. — **Ex Patribus** in primis afferri potest *consensus negativus,* etenim ne unus quidem adest, qui hujus vitae immediatam Dei visionem doceat, sed omnes loquuntur de cognitione quae ex rebus creatis via causalitatis deducitur. *Positiva* testimonia praebent qui nostram thesim contra Eunomianos vindicarunt. Sic v. g. ATHEN. affirmat mundi magnitudinem, ordinem et splendorem « pignora esse colendi Deum ; *invisibilia enim ex visibilibus* intelliguntur »[42]. ATHAN. docet genus humanum cognitionis Dei omnino exors futurum fuisse, *nisi Deus per creaturas*

(Gen. **32**. 30), *Moysi* (Exod. **33**. 11 ; Deut. **34**. 10) et *Paulo* (2 Corinth. **12**. 2 sqq.) cum in terris vitam nostram agebant : ergo visio facialis non est propria beatorum. RESP. In objectis testimoniis non est sermo de visione ipsius Dei, sed de *apparitionibus;* unde videre *faciem Dei* est videre Deum sub humana specie, ita ut non solum appareant inferiores partes, puta pedes vel posteriora, sed facies, quod ad visionem Dei admissis generatim non dabatur (Exod. **24**. 9-10). Ceterum non repugnat vocem *improprie* sumi de altiori quadam contemplatione, quae raptu obtinetur (S. THOM. 1 p. q. 12 a. 11 ad 1 ; PETAV. *De Deo* VII c. 12 ; HUM. *in Exod.* p. 327 ; KNAB. *in Joan.* p. 90 ; JANSSENS Vol. 1 p. 472-5). Tanta autem est vis hujus locutionis, ut non pauci *Scholastici,* Patribus pluribus innixi et duce S. THOMA, inde concluserint Moysen et Paulum vidisse Deum per essentiam (S. THOM. 1 p. q. 12 a. 11 ad 2 ; 2-2 q. 175 a. 3 etc.) vel saltem hoc esse probabile (CORNELY *in 2 Corinth.* **12**. 2 p. 319).

[40] Revera graec. ἔσοπτρον non est fenestra tabula cornea clausa, quae graece dicitur διόπτρα, sed speculum metallicum. Porro in speculo metallico duo quidem attenduntur, *mediatio* visionis et ejus *obscuritas;* sed cum sola obscuritas consideratur, nomen ἔσοπτρον non suscipit prep. διά, quae cum genitivo constructa (δι' ἐσόπτρου) instrumentum significat, sed accipit prep. ν , uti videri potest in Jac. **1**. 23. — Adde obscuritatem cognitionis hujus vitae Apostolum exprimere altera voce ἐν αἰνίγματι ; *enigma* enim est sermo obscurus vel visio obscura, uti patet ex Num. **12**. 6 ; ne ergo dicamus Apostolum frustra multiplicasse verba, fatebimur in visione speculari non attendisse obscuritatem cognitionis, sed *mediationem,* quae ceteroquin speculari visioni magis congruit.

[41] 1 Joan. **3**. 2.

[42] ATHEN. *Leg. pro christ.* n. 4-7.

sese manifestasset [43]. « Nulla creaturarum intelligentia, inquit CYRIL. Alex., potest ullo modo complecti divinam substantiam, eo quod omnem superet mentem et omnem intelligentiam excedat..., ut *a se ipsa sola* id quod est suapte natura cognoscatur » [44]. Et GREG. Naz. : « Quemadmodum nulla ratione fieri potest, ut quis, quamlibet gressum urgeat, umbram suam praecurrat... ; ita *impossibile est iis, qui sunt in corporibus, sine corporibus omnino conjungi spiritualibus* » [45]. — **Ex ratione.** *a*) « Cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae. Si igitur modus essendi alicujus rei excedat modum naturae cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis... Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum *esse subsistens,* sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cujuslibet intellectus creati, quia nulla creatura *est* suum *esse,* sed *habet esse* participatum » [46]. MAJOR. Nam cognitio esse nequit a solo intellectu qui, cum sit facultas necessaria, si sibi soli sufficeret, *omnia, simul* et *semper* in actu cognosceret ; ut ergo aliquid in se ipso dicat, hoc debet ei uniri, secundum illud AUG. : *Ab utroque notitia paritur a cognoscente et cognito* [47]. Porro cognitio est actus vitalis cujus terminus (*verbum mentis*) in cognoscente manet : ergo conjunctio cum re cognita fieri debet per hujus accessum ad mentem. MINOR. Nam experientia et ratio docent quod *quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.* Sane aqua quae in vas effunditur, huius figuram sumit ; lux per vitrum transiens ejus colorem mutuatur ; materia non est indifferens ad quamlibet formam, sed materia secunda est apta ad formas accidentales, prima ad substantialem illam ad quam agentium influxu est praeparata. Nec aliter esse potest. Profecto receptum comparatur ad recipiens sicut actus ad potentiam ; susceptione enim recepti, recipiens transit de potentia in actum : atqui potentia et actus, ut ex metaphysica scimus, sunt relativa

---

[43] ATHAN. *C. Gent.* n. 35.

[44] CYRIL. Alex. *Thes.* n. 32.

[45] GREG. Naz. *Or.* 28 n. 12-3 ; JUST. M. *Apol.* 2. n. 6 ; GREG. Nyss. *C. Eunom.* XIII ; CHRYS. in *Joan.* hom. 15. 1 ; GREG. M. *Moral.* 27 c. 5 ; in *Job.* **36.** 25 ; DAMASC. *De Fide Orth.* I c. 12.

[46] S. THOM. 1 p. q. 12 a. 4.

[47] AUG. *De Trin.* IX c. 18.

et sibi proportionata: ergo receptum proportionari debet recipienti. — CONCLUSIO est manifesta; si enim intelligibile proportionari debet intellectui, in quo recipitur, proportionari etiam debet (seu in natura convenire) ipsi intelligenti, cujus intellectus est facultas. Itaque objectum proprium intellectus humani sunt tantum res quae conveniunt in natura seu perfectione cum ipso homine; tales vero non sunt angeli et Deus, sed essentiae rerum materialium. — *b*) In particulari contra ONTOLOGISMUM nota ipsum viam sternere rationalismo, eclecticismo et pantheismo: *rationalismo,* quia ex naturali Dei visione sequitur proportio inter mentem et veritatem per se subsistentem, atque ideo cum omni cognoscibili: *eclecticismo*, quia, summa veritate immediate percepta, « mens nostra erroris capax esse non potest, et diversae et oppositae philosophorum opiniones sunt semper quaedam partes ac veluti facies veritatis, quod ajunt eclectici »[48]: *pantheismo,* quia si ens, quod in contemplatione mundi cernimus, est divinum esse, etiam res mundanae, quas immediate intuemur, sunt divina substantia seu Deus.

29. **Tertia pars.** *Naturalis Dei cognitio non est per ideas innatas.* Nam **Scripturae** numquam provocant ad immediatam Dei cognitionem, quae contra idololatras principalioris fuisset efficaciae; imo docent per creaturas cognosci *invisibilia Dei,* nec invisibile diceretur quod ab exordio vitae ideis innatis cognosceretur[49]. — Quoad **Patres** *a*) revoca quos dedimus in altera parte; non enim solum *visionem* intuitivam Dei impugnant, sed docent aliam viam non dari, qua ad Deum perveniamus, nisi *per creaturas:* ceterum *b*) contra Platonem expresse ideas innatas excludunt[50]. — **Ex ratione,** nam systema idearum innatarum, *a*) contradicit *experientiae,* qua videmus infantes paullatim ex visione

---

[48] POSTUL. AD CONC. VATIC. *cont. ontol.* § 10.

[49] « Sicut *visibilitas* Dei non potest esse nisi intellectualis, it et praedicatum *invisibilitatis* in Scripturis accipi debet non solum pro oculis corporeis, sed pro oculis mentis (v. g. 1 Tim. 1. 17; Joan. 1. 18; 6. 46), nisi quando ex contextu aliud demonstraretur... Itaque etiam in loco, de quo agimus, *invisibilia* Dei non sunt solum invisibilia oculis corporeis, sed invisibilia etiam intellectui humano; dicuntur tamen videri ratione humana adeo ut opponatur negatio visibilitatis immediatae et affirmatio visibilitatis mediatae ». FRANZ. *De Deo Uno* p. 40.

[50] Cf. TERTUL. *De anima* c. 16 et 24.

rerum suas ideas efformare, eos autem, qui sensu aliquo carent, cognitionibus illi respondentibus privari: *b*) frustraneum reddit admirabilem *nexum facultatum,* quibus homo per sensibilia ad intelligibilia progreditur: *c*) repugnat *varietati sententiarum,* quae sunt de una eademque re: *d*) in peculiari quaestione de cognitione Dei omni *fundamento caret,* ut ex difficultatum solutione apparebit.

30. **Quarta pars.** *Deum esse a priori demonstrari nequit.* Quomodocumque enim argumentum proponatur, duplici ex parte claudicat: primo quia ponit *per se notam* ideam quae est fructus ratiocinii, et secundo quia transit ab ordine ideali ad realem. Profecto Deum esse *id quod majus cogitari nequit,* vel *ens infinitum,* vel *ens cujus esse est existere,* verissimum est, sed non est immediatae evidentiae; unde a pluribus ethnicis ignoratur et ex simpliciori notione primi motoris et auctoris mundi concluditur: non ergo licet ex illo sine circulo vitioso divinam existentiam concludere. Sed etiam data tali idea Dei, nondum *realis* existentia obtinetur sed *hypothetica* tantum, si nempe a parte rei existat objectum a tali idea repraesentatum; plura enim a nostra mente concipiuntur quae realitate objectiva carent. Nisi ergo prius probetur existentia illius entis, *quo nihil majus cogitari potest,* nullo modo ejus necessaria existentia evincitur. Argumentum itaque S. Anselmi, ut dicerent scolastici, concludit *quoad se,* sed non *quoad nos,* qui objectivam realitatem talis ideae non intuemur [51].

31. **Quinta pars.** *Divina existentia ex immanentiae principiis non probatur.* Ut taceamus etiam immanentistarum systema contradicere **Scripturae** et **Patribus** qui, ut ex praedictis jam constat, et ex dicendis melius apparebit, sola via causalitatis ex mundo visibili invisibilia Dei innotescere docent, manifeste repugnat **rationi** siquidem supernaturalem ordinem destruit, subjectivismum inducit, et Deum falsum assequitur. *Destruit ordinem supernaturalem* quia Deus ab exigentiis animae creatus intra limites earumdem exigentiarum continetur, nec quidquam docere vel praecipere valet, quod conditioni nostrae naturae non sit proportionatum ideoque naturale [52]. *Inducit subjectivismum* quia, negato principio causalitatis et cognitionibus revocatis ad solam no-

---

[51] Cf. HONTHEIM n. 93.

[52] Cf. Vol. I n. 27.

titiam phaenomenorum, realitas rerum mundanarum, existentia aliorum hominum, ipsaque moralitatis principia nihil aliud sunt quam partus phantasiae, quibus deest objectiva veritas, quaeque esse vel abesse reputantur prout lubet vel juvat. *Falsam notitiam Dei ingerit,* siquidem certitudinem existentiae labefactat et ejus naturam corrumpit. Labefactat *certitudinem* realis existentiae [53], quia probari nequit nexus inter exigentias animi et objectivam realitatem rei necessariae [54], unde Deus inventus *probabilis* tantum vel *hypotheticus* erit, plane insufficiens ad officia nostra erga ipsum firmanda. *Corrumpit Dei naturam,* quia animi inclinationes sunt diversae, et ideo unusquisque sibi efformabit Deum proprium, ita ut contrariae conceptiones Dei et oppositae religiones simul sint verae, quo nil absurdius [55]. CONFIRMATUR. Nam, si juxta modernistarum placita vera est habenda sententia quae plebium suffragia colligit, de immanentismo actum est, siquidem « hominum pars maxima hoc firmiter tenet tenebitque semper, sensu solo et experientia, nullo mentis ductu atque lumine, ad Dei notitiam pertingi numquam posse » [56].

32. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1** (*Contra 1 part.*). Constat experientia notitiam Dei per parentes primitus haberi: nulla ergo traditionalismi cum fide divina repugnantia. **Resp.** Etiam

---

[53] Profecto existentia mere *subjectiva* « fructus interni sensus et actionis, si quidem ludendo est apta, nihil admodum homini confert, cujus scire maxime interest sit necne extra ipsum Deus, cujus in manus aliquando incidet ». PIUS X Enc. *Pascendi.*

[54] Qui Deum *naturae auctorem* agnoscunt, ex veris exigentiis naturae merito concludunt ad existentiam rei necessariae; siquidem repugnat divinae sapientiae dare suae creaturae desiderium insatiabile: sed qui nec Deum esse cognoscit, ex solo desiderio animi nil evincit; probare enim non potest desiderio vel necessitatibus reale objectum respondere.

[55] Omnes religiones esse veras MODERNISTAE ultro concedunt. Cf. Vol. I n. 27.

[56] PIUS X Enc. *Pascendi.* Ut supra n. 41 jam notavimus, pro existentia Dei argumentum aliquando deducitur *ex necessitatibus privatis et publicis,* quatenus, Deo sublato, totus ordo physicus et moralis, quies, pax et prosperitas individui et societatis ruunt, Deo autem principio et fine mundi admisso, omnia firmantur. Qui hujusmodi argumentis inhaeret, ut modernistarum labem non incurrat, debet *a*) argumenta, quae ex causalitatis principio deducuntur, non impugnare; *b*) potius ad modum congruentiae et confirmationis, quam ineluctabilis efficacitatis rationes intrinsecas adducere; *c*) Deum considerare non uti merum *postulatum* horum bonorum, sed uti veram et unicam causam sufficientem.

dato filios a parentibus fidem suscipere, non sequitur *sola fide divina* notitiam Dei explicari; cum enim suscipi non possit verbum ejus, qui ignoratur, pueri *humana auctoritate* parentum de Dei existentia et auctoritate deberent certiorari antequam fidem susciperent. Quod si in infantibus humana notitia praecedit revelationem, saltem primus homo ante revelationem Deum naturaliter cognovit: unde mere *de facto* et per accidens, et non de jure et per se homo in praesenti ordine providentiae Dei notitiam ex traditione hauriret [57]. Verum neque *de facto* simpliciter est concedendum infantes a parentibus cognitionem Dei derivare; ut enim scite notat BILLOT, « eruditio parentum vel magistrorum non requiritur nisi *ad excitandam* confusam illam notionem, quam de Deo habet omnis homo eo ipso quod ratione utitur, et cognoscit se non esse a se, nec a parentibus ut a principio primo, sed a causa suprema erga quam, totus quantus est, obligatur » [58].

33. **Objic. 2** (*Contra 2 part*). Dicit Scriptura: *Omnes homines vident eum* (Deum), *unusquisque intuetur procul* [59]: atqui *visio* dicitur de immediata cognitione: ergo. **Resp.** Visio, cum de spirituali cognitione sumitur, non necessario dicit cognitionem immediatam [60] sed potius certam et *manifestam,* quod de naturali cognitione Dei profecto valet. Quia tamen hujusmodi cognitio facilis et obvia non attingit divinam essentiam, sed potius existentiam, sic ab inspirato auctore comparatur visioni rei, quae a *longe* conspicitur, cujus scimus *quod sit,* sed ignoramus *quid sit.*

34. **Objic. 3.** Illud, quod omnes in cognitione rerum primo percipiunt, est *ens purum:* atqui *ens purum* est Deus: ergo. **Resp.** Ontologi saepe equivocant in nomine *entis,* quod alia omnino ratione dicitur de Deo et de creaturis. Ens, cum de creaturis enuntiatur, exhibet confusam notitiam realitatis quae *intensive* est minima, *extensive* summa; cum vero de Deo dicitur, exhibet notionem *intensive* summam, scil. praesentiam totius realitatis, *extensive* minimam, quia uni tantum convenire potest [61].

---

[57] Adde Dei notitiam non solis infantibus et rudibus *certam* esse debere, sed adultis et sapientibus, quibus humana traditio et parentum auctoritas non sufficiunt.

[58] BILLOT p. 20 in nota. Sicut nempe terra non producit germen, sed pullulare facit; ita parentes notitiam Dei non infundunt sed fovent.

[59] Job. **36**. 25.

[60] Ne confundas *visionem* quamcumque cum *visione faciali.*

[61] BILLOT *th.* 3 p. 37 sqq.; FRANZ. *th. 24* p. 287 sqq. *NB.* An prima cognitio sit formalis *notio entis,* merito dubitatur; probabiliter enim est *essentia determinata rei perceptae,* de qua analogica ratio entis abstractione efformatur.

35. **Objic. 4.** Cum veritas sit *adaequatio rei et intellectus* [62], non est vera nisi cognitio, qua res apprehenditur secundum quod est in se: atqui in se esse participatum est *post* ens imparticipatum, quod est Deus: ergo omnis vera cognitio est post cognitionem Dei. **Resp.** Difficultas confundit cognitionem comprehensivam cum vera. Ut res *comprehendatur,* seu secundum omnem suam intelligibilitatem attingatur, necesse est ut cognoscatur etiam secundum dependentiam a sua causa, quae proinde latere nequit; sed ad *veritatem* cognitionis sufficit ut ea, quae de re apprehenduntur, ei competant, etsi in re alia inveniantur, quae mentis aciem aufugiant.

36. **Objic. 5.** *Propter quod unumquodque tale et illud magis:* atqui Deus est *propter quem* omnia cognoscimus: ergo. **Resp.** Effatum est de ordine ontologico, scil. de causa quae perfectionem effectus eminentiori modo continet [63], quare inepte effertur de ordine logico seu cognoscendi. Quia Deus est *causa* cognitionis nostrae, est profecto summe intelligens et summe intelligibilis; sed ipse non est *medium obiectivum* nostrae cognitionis; et ideo non repugnat alia ante ipsum a nobis percipi [64].

37. **Objic. 6.** Omne ens creatum est in potentia: atqui potentia non intelligitur nisi per actum: ergo ens creatum non intelligitur nisi per actum purum, qui est Deus. **Resp.** Ens creatum non est *pura potentia,* sed habet aliquam rationem actus, secundum quam est directe intelligibile: prout vero agnoscitur limitatum et potentiale includit ordinem ad superiorem actum, imo ad Deum, sed haec relatio attingitur *implicite,* explicite enim solum ope ratiocinii ex limitatione entis deducitur.

38. **Objic. 7.** AUG. docet nos « omnia in luce primae veritatis cognoscere et *per eam* de omnibus judicare ». « Si, inquit, ambo videmus verum esse quod dico, *ubi* quaeso id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me, sed ambo *in ipsa,* quae supra mentes nostras est, incommutabili veritate » [65]. **Resp.** AUG. non secus ac ceteri Patres docet Deum « inveniri *per creaturas* » et demonstrari ornatu coeli, fulgore dispositioneque siderum, fructificatione terrae, atque consideratione boni limitati, quod ab infinito procedere debet [66]; unde apertis verbis affirmat visioni aeternalium rationum « rationalem animam *non omnem* et quamcumque sed quae pura et sancta fuerit [67] esse ido-

---

[62] S. THOM. 1 p. q. 21 a. 2.

[63] Cf. SCHIFFINI *Princ. Phil.* n. 686.

[64] S. THOM. 1 p. q. 88 a. 3 ad 2.

[65] AUG. *De Trin.* XII c. 2; *Confes.* XII c. 25; *De Civ. Dei* VIII 7-8; *Solil.* I 1.

[66] AUG. *in Joan.* tract. 2 n. 4; *Serm.* 141 n. 1; *In Ps.* **26** enar. 2; *De Civ. Dei* XI 10 etc.

[67] Scil. anima beata.

neam » [68]. — Quod attinet ad objecta testimonia, dicendum nos omnia intueri in rationibus aeternis *exemplariter* et *efficienter*. Et primo quidem *exemplariter* quia, cum ens participatum sit ab ente per essentiam, etiam veritas nostrae mentis est ex consonantia cum divina veritate : unde qui consentiunt in veritate, non eam percipiunt intuitione alterutrius mentis, sed ex uniformitate ad divinam et incommutabilem veritatem [69]. *Efficienter,* quia Deus creatione rerum et collatione intellectus est causa cognitionis nostrae : unde sicut dicimus nos videre res *in sole,* quia *per solem* res fiunt visibiles, ita dicimus *in Deo* nos res cognoscere, quia *per Deum illuminamur* [70]. Porro principium vel causa cognitionis non percipitur ante objectum cognitum, sed potius reflexione deducitur, unde « sicut ad videndum aliquid sensibiliter non est necesse quod videatur substantia solis; ita ad videndum aliquid intelligibiliter non est necessarium quod videatur essentia Dei » [71].

39. **Objic. 8.** « Non ens, inquit BONAV., non potest intelligi nisi per ens, et ens in potentia nisi per ens in actu, et esse nominat ipsum purum actum entis : *esse igitur est quod primo cadit in intellectu,* et illud esse est purus actus. Sed hoc non est esse particulare, quod est esse arctatum, quia permixtum est cum potentia : nec esse analogicum, quia minime habet de actu, eo quod minime est. Restat igitur quod illud esse est *esse divinum* » [72]. **Resp.** Sententia theologi non ex operibus asceticis desumitur sed ex philosophicis et dogmaticis; in his autem S. BONAV. ipsam possibilitatem immediatae visionis Dei in hac vita excludit [73]. Revera nostram quaestionem *ex professo* tractat in commentario Sentent., et primo exponit sententiam eorum qui visionem divinae essentiae absolute repugnare dicunt nec haberi in coelo, eamque damnat uti haereticam. Dein transit ad contrariam opinionem eorum qui putant Deum in hac vita videri, et ait : « haec positio, etsi non sit adeo veritati adversaria sicut prima, nihilominus tamen dictis sanctorum non consonat » ; atque allatis pluribus rationibus, concludit : « unde si quae auctoritates illud dicere inveniantur quod Deus in praesenti ab homine videtur et cernitur, non sunt intelligendae quod videtur *in sua essentia,* sed quod in aliquo *effectu inferiori* cognoscitur, nisi *fortasse* in his qui *rapiuntur*... qui specialitate privilegii statum viatorum praetergrediuntur » [74]. Negata cognitione Dei intuitiva, procedit ad

---

[68] AUG. *Lib.* 85 *Quaest.* 9 c. 66.

[69] Cf. S. THOM. *De Veritate* q. 10 a. 6 ad 6.

[70] Cf. S. THOM. I p. q. 84 a. 5.

[71] S. THOM. I p. q. 12 a. 11 ad 3.

[72] BONAV. *Itin. mentis in Deum* c. 5.

[73] Argumentum *in se* inspectum aequivocat in notione *entis in actu,* ut iam vidimus n. 37.

[74] Merito S. BONAV. non concedit absolute eos, qui rapiuntur, immediate Deum videre, communius enim, ut vidimus not. 39, negatur.

veram cognitionem explicandam et distinguit inter statum *innocentiae* et conditionem nostram *post peccatum*. Homini innocenti quidam dedere visionem Dei *semiplenam* « verumtamen *nec sic* intelligendum est quod homo in statu innocentiae videret Deum in sua essentia... Unde in SOLO STATU GLORIAE videbitur Deus *immediate*, in sui substantia, ita quod nulla erit ibi obscuritas : in statu vero innocentiae et naturae lapsae videtur Deus *mediante speculo*, sed differenter, quia in statu innocentiae videbatur per *speculum clarum*, nulla enim erat in anima peccati nebula ; in statu vero miseriae videtur *per speculum in aenigmate ;* aenigma enim, sicut dicit Aug. [75], est similitudo obscura » [76].

40. **Objic. 9** *(Contra 3 part.).* APOSTOLUS dicit *notum Dei* Deum ipsum *manifestare*, et JOAN. Verbum Dei *illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum :* atqui cognitio accepta a Deo contradistinguitur ab illa, quae humana virtute acquiritur : ergo cognitio Dei est immediate a Deo seu innata [77]. **Resp.** Sicut Salvator noster « aliquando nos sermonibus, aliquando vero operibus admonet » [78] ; ita et Deus verbis et rebus loquitur. Nonne *coeli enarrant gloriam Dei et opera ejus annuntiat firmamentum ?* [79]. Nunc autem de qua divina manifestatione loquuntur Paulus et Joannes ? Sensus Apostoli apparet ex part. *enim*, quae ostendit *invisibilia Dei* cognita *per ea quae facta sunt* esse *notum Dei*, quod Deus in nobis manifestavit : Joannes vero loquitur de revelatione *supernaturali*, qua Deus, quantum est ex parte sui, docet omnem hominem viam salutis, etsi plurimi, aures obturantes, non audiant [80].

41. **Objic. 10.** Patres cognitionem Dei dicunt *insitam, consertam, congenitam* [81] : ergo non est acquisita. **Resp.** « Notio Dei primitiva et adhuc confusa a SS. Patribus *naturae insita* appellatur non eo sensu, quo recentiores quidam de *ideis innatis* loquuntur. Patres enim illam Dei notitiam cum ipsa rationali natura consertam dicunt, quod *a*) *naturae insito lumine b*) velut *sponte* concipiatur ex obvia rerum munda-

---

[75] AUG. *De Trin.* XIV.

[76] BONAV. *II Dist.* 23 p. 1 a. 1 q. 3. Si quaeris quomodo originali peccato obscuratum sit *speculum*, in quo Deum videmus, BONAV. respondet contigisse « propter obnubilationem intellectus et pejorationem rerum ». *I Dist.* 3 p. 1 a. 1 q. 2.

[77] GIOVANZANA. *Filosofia della rivel.* I p. 360 ; *Sulla esposiz. di un punto* etc. p. 6.

[78] GREG. M. *in Evang.* hom. 17.

[79] Ps. **18**. 2.

[80] KNABEN. *in Joan.* p. 74-6.

[81] THOMASSINUS, KLEE et STAUDENMAIER (apud *De San* n. 27) citant *ex graecis* JUST. M. *Apol.* 2 n. 6 ; CLEM. Alex. *Strom.* V c. 13, c. 14 ; GREG. Naz. *Or. theol.* 2 n. 6 ; n. 13 ; DAMASC. *De Fide Orth.* I 3 ; *ex latinis* TERTUL. *Test. animae* c. 1, 2, 5, 6 ; *Apol.* c. 17 ; *Adv. Marc.* I c. 10 ; CYPR. *De idol. van.* IX ; ARNOB. *Adv. Gent.* I c. 33 ; HIER. in *Tim.* **1**. 10, *Gal.* **1**. 16 ; HILAR. in *Ps.* **52** ; AUG. in *Joan.* tr. 106.

narum consideratione citra inquisitionem philosophicam et citra institutionem positivae revelationis; adeoque distinguunt *notitiam insitam*, non ab acquisita simpliciter, sed tum *a cognitione excultiori* per diligentiores subtilioresque meditationes, tum maxime a cognitione perfectiori, quae *revelationi* debetur » [82].

42. **Objic. 11** (*Contra 5 part.*). Dei experientia cognitionibus, quae physicis experimentis subjacent, connumerari non potest, ac proinde nequit comprobari scientia et conscientia humana: ergo ex solis necessitatibus immanentibus debet deduci [83]. **Resp.** *Neg. antec.*, nam rerum notitia non acquiritur sola sensibili experientia sed *ratione*, qua phaenomenorum substantiae et causae deteguntur.

43. **Objic. 12.** PATRES [84] et S. THOM. [85] saepe ex animae impulsu rerum existentiam comprobant: ergo immanentismus fidei et rationi non opponitur. **Resp.** PATRES, S. THOM. et scholastici, cum ex naturali desiderio rei existentiam probant, procedunt ex praesuppositione quod Deus naturae auctor hanc perfectam constituerit, unde argumentum fundant non in voluntate cognoscentis, sed in voluntate Dei per creaturas cognita [86]. Cum vero *Deum esse* ex desiderio felicitatis arguunt [87], iterum procedunt ex objectivitate nostrae cognitionis, quatenus *objectum* voluntatis, quod est bonum, dicit ordinem transcendentalem ad Deum, qui proinde cognitione boni implicite apprehenditur. Scil., si est bonum finitum est etiam infinitum, a quo solo, esse potest: atqui est bonum finitum, quia bona hujus mundi felicitatis desiderium non implent: ergo extra mundum est Deus bonitatis mundi principium.

ART. 3. - DE ARGUMENTIS QUIBUS DEUM ESSE EVINCITUR.

44. **Cognitio vulgaris et demonstratio philosophica.** Ineptis argumentis remotis, manet ut vera proponamus. Porro fide et ratione constat principio causalitatis e realitate mundi omnibus ad

---

[82] FRANZ. *th.* 8 p. 105-14. « Dicendum, inquit S. THOM. *De Verit.* q. 10 a. 12 ad 4, quod cognitio existendi Deum, dicitur omnibus naturaliter *inserta*, quia omnibus naturaliter insertum est aliquid, *unde potest pervenire* ad cognoscendum Deum esse ».

[83] ANON. *Il Program.* p. 99-100.

[84] MODERNISTAE in *Il Progr.* p. 100 sqq. citant CLEM. Alex. *Strom.* II; TERTUL. *Test. anim.* passim; ORIG. *C. Celsum* III n. 40; AUG. *Conf.* V 6, 7, 13, VII 6.

[85] MODERNISTAE *l. c.* adducunt 1 p. q. 75 a. 6; *Cg.* II c. 55; III c. 51.

[86] Cum resurrectionem et visionem Dei probant desiderio felicitatis, non instituunt argumentum ex solis principiis rationis, sed praesupposita cognitione fidei, eorum congruentiam contra rationalistas ostendunt.

[87] S. THOM. 1 p. q. 2 a. 1 ad 1.

Deum viam esse paratam, diversimode tamen; siquidem natura, quae iuxta conditionem necessaria praestat, aliter ad Deum ducit rudes et philosophos. Illi, qui ratiocinii leges et syllogizandi artem ignorant, methodo quasi intuitiva [1] ex mundi pulchritudine et conscientia moralis obligationis existentiam entis supremi praesentiunt: hi, qui vulgaris demonstrationis difficultates intuentur, argumentis validioribus in notitia Dei firmantur. Cave igitur ne ex profunditate rationum, quibus philosophi et theologi Deum esse ex creaturis probant, contra obviam et veluti necessariam cognitionem Dei arguas, vel haec argumenta aliena, ab iis quae Scripturae et Patres proponunt, reputes: duplex est enim naturalis cognitio existentiae Dei, *vulgaris* et *philosophica;* illa facilis omnibus parata, haec difficilior sapientibus manifesta.

45. **De quinque S. Thomae viis.** S. THOM. in Summa docet quod « Deum esse quinque viis probari potest » [2], scil. ex notione *motus,* ex notione *causae et effectus,* ex notione *entis necessarii et contingentis,* ex *varietate rerum,* ex mundi *ordine.* Prima via demonstrat *existentiam* Dei *puri actus,* secunda *creatoris,* tertia *entis a se,* quarta *entis infinitae perfectionis,* quinta supremi *gubernatoris* et *domini* mundi: prima via innuitur a Sapientia cum docet ex virtute et operibus creaturarum eum esse agnoscendum, qui *fortior est illis;* altera cum dicit a magnitudine speciei et creaturae posse *creatorem horum* videri; tertia cum affirmat de his, quae videntur bona, intelligi *eum qui est;* quarta cum vult ex pulchritudine mundi desumi eum *qui speciosior est;* quinta cum improperat eos qui, operibus attendentes, non cognoverunt quis esset *artifex.*

46. **De argumentis a neo-scholasticis propositis.** Ut faciliorem redderent probationem Dei e modernis scholasticis plures alio ordine, etsi non alia via [3], multiplicarunt argumenta. Distinxerunt imprimis inter effectus *naturales* et effectus *supernaturales* Dei. Effectus supernaturales, qui naturali facultate percipiuntur, sunt *prophetiae* et *miracula,* ex quibus probari existentiam Dei

---

[1] Dicimus *quasi intuitiva,* ut indicemus simplicitatem argumentationis, qua, natura duce, anima de vulgo ascendit ad Deum. Ceterum nota non esse sermonem de primitiva tantum et confusa notitia divinitatis, sed de vulgari cognitione *veri Dei.*

[2] S. THOM. I p. q. 2 a. 3.

[3] Argumenta NEO-SCHOLASTICORUM semper procedunt ab objectiva realitate rerum, quae, utut diversimode consideratae, Deum invocant auctorem.

manifestum est, siquidem sunt effectus proprii causae infinitae virtutis, ut vidimus in tractatu de religione [4]. Effectus naturales ad duo possunt reduci, scil. ad *macrocosmum* (mundum) et ad *microcosmum* (hominem). Ex *mundo* deducitur argumentum cosmicum, cinesiologicum, biologicum, enologicum, physico-theologicum [5]. Argumentum *cosmicum* desumitur ex mundo in se considerato, quatenus apparet effectus alicujus causae extramundialis; *cinesiologicum* ex motu rerum creatarum, quae supponunt primum movens immobile; *biologicum* ex vita, quae in mundo apparuit post inanimata, a quibus proinde oriri non potuit; *enologicum* ex gradibus et relatione entium, prout diminutio perfectionis esse nequit ab ipso ente imperfecto, et ratio pluribus communis ab altero ex universa serie non potest pendere; *physico-theologicum* ex ordine et finalitate mundi, quae ordinatorem et terminum extramundialem expostulant. « Ex microcosmo seu *homine* Deus cognoscitur aut per argumentum *psycologicum,* quo ex animae natura rationali hujus naturae auctor et moderator probatur; aut per argumentum *ontologicum* [6], quod saltem rectius ita vocatur quam illud S. Anselmi, quia ostendit Deum fundamentum ontologicum immutabilium sempiternarumque idearum; aut per argumentum *ethicum,* quo Deus ordinis moralis institutor et vindex intelligitur [7]; aut per argumentum *eudaemonologicum,* quo Deus exhibetur ut terminus appetitus nostri naturalis, quo volumus beatos esse [8]; aut per argumentum *mysticum,* quo videmus hominem in suis necessitatibus quasi naturali instinctu ad Deum ut miseri-

---

[4] Vol. 1 n. 109 sqq.; 122 sqq.

[5] Cf. Hontheim n. 182-354.

[6] Hontheim vocat *idealogicum:* saepe innuitur, ut vidimus n. 38, ab Aug.

[7] Franz. *De Deo Uno* p. 54 sqq. deducit ex Rom. **2**. 14-5. Profecto potest dubitari an processus rationis sit a notitia existentiae Dei ad notionem legis moralis obligantis ex imperio supremi legislatoris, vel e converso; sed nexus inter legem naturalem (*naturaliter cognitam*) et Deum est manifestus, tum pro obvia et confusa notitia Dei, tum pro philosophica conclusione: cum enim philosophus legis moralis existentiam ignorare non possit, profecto ad fundamentum obligationis ejus assurgere debet, nec alibi inveniet, quam in Deo; siquidem cetera quae ex *convenientia, decentia, utilitate, consensu omnium* etc. adduci solent, sunt inefficacia. Cf. Hontheim n. 387-99.

[8] Aug. *Confess.* X c. 6; *De Trinit.* XIII c. 3 et 4; *De Lib. arbit.* II c. 9 n. 26.

cordem parentem confugere [9]; aut per argumentum *historicum*, quo invenimus Deum populorum et nationum omnipotentem et sapientem rectorem et effectorem mirabilium illarum conversionum "quibus effectum est ut humana familia vel in suam perniciem ruens cohiberetur, vel torpore stertens excitaretur, vel ad meliora progrediens, novo perfusa lumine novisque aucta viribus roboraretur,, [10]. Quibus addi possunt argumentum ex *universali persuasione generis humani* de existentia Dei [11], et argumentum ex *utilitate* et *necessitate persuasionis* existentiae Dei ad conservationem totius ordinis moralis et socialis » [12].

47. **Explicabimus S. Thomae argumenta.** Argumenta a neoscholasticis ex utilitate et necessitate Dei pro bono individui et societatis desumpta, profecto, non sunt spernenda, maxime quia, ingenio modernorum valde consonantia, aliquando prosunt [13], sed S. THOMAE argumenta explicare praeferimus, tum quia Scripturae et Patribus magis consona, tum quia ceteris claritate et efficacia sine dubio praestant, tum etiam ut vindicemus ab impugnationibus modernistarum, qui nil intentatum reliquerunt ut ea enervarent [14].

THES. 4. *Naturalis Dei cognitio ex mundi consideratione causalitatis via est deducenda.*

48. **Ex Scripturis.** Revocentur testimonia *Sapientiae* et ep. *ad Romanos*. In primo *a*) Deus enuntiatur sub ratione *entis supremi et a se* (eum qui est), *perfectissimi* (speciosior est), *summae virtutis* (fortior est illis), *creatoris* et *gubernatoris mundi* (creator horum, quis esset artifex): atqui hujusmodi notiones juxta *Sapientiam* ex consideratione mundi derivantur; nam *de his quae videntur bona* intelligi debet *ille qui est* (v. 1); qui *specie* (rerum) *delectati* deos putaverunt, sciant quanto his dominator

---

[9] TERTUL. *De test. animae* c. 2; 5; *Apol.* c. 17 ubi concludit: *O testimonium animae naturaliter christianae!*

[10] PETAV. apud *Pesch* in h. l.

[11] Hoc argumentum bene explicat JANSSENS I p. 166-70.

[12] PESCH n. 37. Profecto haec omnia argumenta non sunt ejusdem perspicuitatis et virtutis; ultimum vero quod modernis praeplacet, supponit naturam non deficere in necessariis, quod quidem verum est, sed philosophice non constat, nisi praesupposita mundi sapientissima causa.

[13] Cf. Vol. 1 n. 92.

[14] ANON. *Il Program.*: « Noi non possiamo più accettare una dimostrazione di Dio che s'innalza su quegli *idola tribus* che sono i concetti aristotelici di moto, di causalità, di contingenza, di fine » p. 103.

eorum est *speciosior* (v. 3); si virtutem et opera eorum (ignis, aëris concitati, stellarum, etc.) mirati sunt, intelligant *ab illis,* quoniam qui haec fecit, *fortior* est illis (v. 4); a magnitudine *speciei* et *creaturae* cognoscibiliter potest *creator* horum videri (v. 5) et ex *operibus* agnosci quis sit *artifex* (v. 1): ergo. *b*) Nec solum Sapientia in creaturis constituit terminum *a quo* cognitionis existentiae Dei, sed expresse indicat argumentum desumi *ex principio causalitatis;* nam rationem reddens cur e consideratione pulchritudinis mundi appareat Dei perfectio, dicit: quia Deus speciei est *generator* (scil. causa): explicans cur Deus sit fortior creaturis ait: *quoniam haec fecit* (scil. quia eorum causa): omnia tandem perstringens in v. 5 docet quod a magnitudine speciei et creaturae *cognoscibiliter* (h. e. *concludendo*) [15] potest creator horum *videri* [16]. — In ep. *ad Rom.* Apostolus explicans quo modo invisibilia Dei et sempiterna ejus virtus ac divinitas sint manifestata, iterum ad principium causalitatis recurrit; dicit enim quod invisibilia Dei a creatura mundi [17], *per ea quae facta sunt,* intellecta, conspiciuntur [18]. Scil., ut commentatur Cornely, « ne quis invisibilia Dei nunc jam sensibus perspici aut quasi immediate in creaturis deprehendi putet, oxymoron suum mitigat et explicat, quum ea videri moneat τοῖς ποιήμασιν νοούμενα (per *creaturas intellecta*). Actu nimirum intellectus sui (τοῦ νοός) homo *per* ea, quae *facta sunt,* ascendit ad eorum primam causam » [19]. — **Patres** non solum *a*) apertis verbis docent ex consideratione mundi posse existentiam Dei demonstrari, sed *b*) assertum probant ex Scripturis, *c*) illustrant exemplis, atque *d*) unicum esse medium naturalis cognitionis Dei declarant. — *a*) « Constat, inquit Basil., ipsam quidem essentiam (Dei) nulli, nisi Unigenito et Spiritui S. cogitabilem esse; sed *ab operationibus* subvectos nos et per ea, quae condita sunt, conditorem intelligentes, sic bonitatem ac sapientiam ejus percipere » [20]. Et Greg. Naz.: « Deum esse... tum oculi

---

[15] Hilar. apud *Franz.* p. 41.

[16] Scil. principio causalitatis Deus e creaturis potest cognosci.

[17] Juxta *Vulgatae* lectionem argumentum est apertum, sed ad tautologiam vitandam cum *Tertul.* et *Aug.* Cornely verbum explicat *de tempore* a quo Deus cognoscibilis est per creaturas, scil. a *creatione* seu a constitutione mundi. In *h. l.* p. 85.

[18] Rom. 1. 20.

[19] Cornely in *h. l.* p. 83.

[20] Basil. *C. Eunom.* I n. 14; Just. M. *De monar.* n. 1; Athen. *Leg. pro chr.* n. 4-7; Iren. *Adv. haer.* II n. 6-9; III n. 25; Tertul. *C. Marc.* I

ipsi, tum lex naturalis docent; illi quidem dum *rebus visibilibus* et pulchre compositis et progredientibus atque, ut ita dicam, sine motu motis et actis, aspectum advertunt; haec autem dum *per res visibiles* et ordinatas harum auctorem ratiocinando concludit » [21]. *b*) Ex Scripturis cognoscibilitatem Dei per creaturas deducunt ATHEN., CYRIL. Alex., BASIL., ATHAN., CHRYS., AUG. et alii [22]. *c*) Ex analogia ad cognitionem causarum creatarum, rem illustrant ATHAN., GREG. Naz., AUG. « Quemadmodum, sic ille, de statuario Phidia narrant, ejus nempe opera ex mutua partium proportione et dispositione Phidiam, licet absentem, spectantibus exhibuisse; ita oportet *ex mundi dispositione* intelligere hujus creatorem et effectorem Deum » [23]. *d*) Argumentum deductum a creaturis *esse unicum* quo naturaliter Deus cognoscitur, docent BASIL., ATHEN., GREG. M., qui, scholasticos praeveniendo, affirmarunt pure intelligibilia non posse immediate attingi a mente humana, quae *per sensibilia tantum* ad intelligibilia procedit [24]. — **Ex ratione.** Est principium per se notum, communi hominum consensu firmatum, et scientiarum omnium fundamentum, quod ex effectu agnoscitur causa : atqui mundus est effectus Dei et qua talis potest cognosci : ergo. MAJOR negatur a MODERNISTIS, qui dicunt substantias seu causas phaenomenorum nos ignorare [25]; sed *nihil esse sine ratione sufficienti,* ideoque rem, quae in se non habet sufficientem rationem suae existentiae, ab alia tamquam a causa procedere, *a*) est, teste conscientia, principium per se evidens, cui

---

c. 10-11; ORIG. in *Rom.* 1; CLEM. Alex. *Strom.* V; TATIAN. *C. Graec.* n. 4; BASIL. in *Hexaem.* I n. 6; CHRYS. *Ad pop. Ant.* hom. 9 n. 3; CYRIL. Alex. *C. Jul.* II etc.

[21] GREG. Naz. *Or.* 28 n. 5; AUG. *Solil.* c. 31, ubi singillatim interrogat creaturas an sint Deus, semperque audit *non sum; ipse fecit nos; Confes.* X c. 6 et 27; CHRYS. *Ad popul. Antioch.* hom. 9 n. 2; JUSTIN. M., GREG. Nyss., DAMASC. etc. apud PETAV. *De Deo Uno* I c. 1 et 2.

[22] ATHEN. *Leg. Christ.* 4, 5, 7; CYRIL. Alex. *Cont. Jul.* 2; ATHAN. *Cont. Gent.* c. 34, 35; BASIL *in Hexaem.* hom. 1 n. 6; CHRYS. *In Rom.* hom. 3 n. 2; AUG. *serm.* 141 al. 55 n. 1. Cf. FRANZEL. *l. c.* et HURTER II n. 7.

[23] ATHAN. *Cont. Gent.* 35; GREG. Naz. *Or.* 28 n. 9; AUG. *in Ps.* 73 n. 35; *serm.* 2 n. 4.

[24] BASIL. *Ep.* 234 *ad Amphil.*; ATHEN. *Leg. pro Christ.* 4-7; ATHAN. *Cont. Gent.* 34-35; GREG. Naz. *Or.* 28 n. 12-13; GREG. M. *Moral.* XXVII, 5. Cf. DE SAN n. 21-2.

[25] LITTRÈ, SPENCER, RENOUVIER, HUXLEY, WUNDT, D'ERCOLE, CANTONI, etc.

refragari salva veritate nemo potest. *b*) In hoc totum humanum genus consentit: hoc sua simplicitate testatur *parvulus* cum insistentibus *cur* rerum causas petit; hoc *sapiens* docet cum mysteria naturae pandit; hoc quotidie profitemur *omnes* qui bonorum principia, ut foveamus, malorum, ut arceamus, quaerimus. *c*) Adde, ignotis phaenomenorum causis, actum esse de scientia. Nil dicam de *metaphysica,* quae, dum loquitur de essentiis rerum, profecto supponit notitiam substantiae; sed ipsa *physica positiva* ubinam parebit? Quousque noscuntur sola facta particularia, *historia* est non *scientia naturae;* haec enim scrutatur et enuntiat *leges,* quae rerum relationes regunt, nec lex immutabilis intelligitur ignorata substantia, quae, phaenomenorum permanens causa, sola illorum constantiam explicat. *d*) Si substantiae rerumque causae cognitionum nostrarum fines praetereunt, cur, experientia contradicente praesuppositis legibus, novae explicationes phaenomenorum proponuntur, nec quiescit animus quousque verae naturae leges detegantur, vel veteribus nova facta concordentur? MINOR. Nam mundus agnoscitur effectus Dei, si apparet sibi insufficiens, ideoque procedens ab aliqua causa; cum enim causa suprema cujusvis effectus esse non possit nisi ens infinitae perfectionis, quod omnes vocamus Deum [26], profecto si mundus est sibi insufficiens, est effectus Dei.

THES. 5. *Deum esse invicte probatur — 1 ex motu creaturarum, — 2 ex notione causae et effectus, — 3 ex notione entis contingentis et necessarii, — 4 ex varietate entium, — 5 ex partium mundi perfecta harmonia.*

49. **Prima pars.** *Deum esse demonstrat creaturarum motus.* Experientia constat existere entia, quae moventur: atqui omne quod movetur ab alio movetur: ergo existit movens a quo mobilia moventur: atqui rursus hoc movens vel est movens immobile vel movens motum; si movens immobile, est Deus seu actus infinitae perfectionis; si movens motum, juxta praedicta, ab alio movetur, et quia non est procedere in infinitum in moventibus subordinatis, venire oportet ad primum movens immobile, quod est Deus. DANTUR IN MUNDO ENTIA QUAE MOVENTUR. Hoc constat quotidiana experientia, maxime si sensu scholastico motus non

[26] De hoc plura in sequentibus.

de solo motu locali intelligitur, sed de omni mutatione substantiali et accidentali. OMNE QUOD MOVETUR AB ALIO MOVETUR. Nam motus dicit transitum de uno in alium statum, vel melius de potentia in actum; siquidem ens quod suscipit novum statum seu novam formam prius illa carere debuit: atqui ex principio causalitatis patet neminem esse causam sui, vel sibi tribuere quod non habebat: ergo illud quod movetur, seu suscipit novam formam, ab alio movetur. MOVENS MOTUM NON EST PRIMUM MOVENS. Licet enim in quantum movet alium, vel se, in actu existat, hujusmodi tamen actum non semper habuit, sed sua vice transivit de potentia in actum: quia ergo, uti modo probatum est, omne quod transit de potentia in actum ab alio movetur; movens motum, non est primum movens, sed mutuatus est suam actualitatem ab alio a quo movetur. IN MOVENTIBUS MOTIS NON EST PROCEDERE IN INFINITUM. *a*) Primo quidem quia agens est in actu, unde infinitas moventium induceret infinitatem entium in actu, quod repugnat. *b*) Secundo quia « ad rationem sufficientem (motus) nihil conferre potest quaecumque multitudo finita vel infinita moventium, quae forent ab alio mota. Nam sicut insufficientia procedit ex hoc quod, qui dat, recipit, et qui movet, movetur: ita etiam sufficientia tunc solum tenetur, quando invenitur motio ultimo descendere ab immoto » [27]. Adde *c*) motum se habere uti instrumentum moventis; « atqui ridiculum est, etiam apud indoctos, ponere instrumenta moveri non ab aliquo principali agente. Simile enim est hoc, ac si aliquis circa constitutionem arcae vel lecti, ponat serram vel securim absque carpentario operantem » [28]. **Confirmatur** *ex principiis physicis, quae manifestant primam originem motus esse ab ente extramundano*. Et primo quidem materiam non habere a se ipsa motum

---

[27] BILLOT *th.* p. 49.

[28] S. THOM. *Compend. theol.* c. 3. — Quomodo primum movens omnino immobile esse debeat, AUG. illustrat exemplis mobilium hujus mundi, siquidem quodlibet movens *respective* ad rem motam est immobile. « Non movetur solus digitus nisi manus fixa sit, a cuius articulo velut immoto cardine moveatur: sic tota palma ab articulo cubiti, sic cubitus ab articulo humeri, humerus ab scapula cum movetur, stantibus utique cardinibus, quibus motio nitatur, et per loci spatium quod movetur. Sic plantae in talo est articulus, quo stante moveatur; sic cruris in genu, et totius pedis in coxa: et nullius membri motus omnino est, quem voluntas movet, nisi ab aliquo articuli cardine, quem nutus ejusdem voluntatis primitus figit, ut ab eo, quod loci spatio non movetur, agi valeat quod movetur, etc. » *De Genes. ad Litteram* VIII n. 41.

constat *a*) *experientia* quae testatur corpus motum ab alio suum motum suscepisse, *b*) *ratione* quae docet essentialia rei semper eidem inesse, corpus vero saepe in quiete manere, *c*) lege *inertiae* quae totius mechanicae est fundamentum. Porro si materia seu corpus, quod movetur, non habet suum motum a se, a quo accepit? Quidam dixerunt: *ab affinitate et cohaesione atomorum*. Sed frustra. Nam *a*) initio esse debuit atomorum aequilibrium, ut igitur motus incipiret et efformaretur nebulosa, vis quaedam extrinseca initium motus determinare debuit. *b*) Adde nunc legem *entropiae*, qua dispersione virium mundus ad statum quietis assidue tendit, ita ut naturaliter aliquando omnis materiae motus cessare debeat; si enim materia ad statum quietis properat, in sua natura non habet principium motus, qui proinde ab alio ei debuit communicari [29]. Profecto quia horologium, relaxata spira, cessat a motu, originem motus horologii extra ipsum quaerimus; similiter ergo quia tota mundi machina in quietem tendit a se moveri non potuit [30].

50. **Secunda pars.** *Deum esse constat ex notione causae et effectus*. « Invenimus enim in istis (rebus) sensibilibus esse ordinem causarum efficientium; nec tamen invenitur, nec est possibile, quod aliquid sit causa efficiens suipsius, quia esset prius se ipso quod est impossibile. Non autem est possibile quod in causis efficientibus procedatur in infinitum, quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa medii, et medium est causa ultimi; sive media sint plura, sive unum tantum. Remota autem causa, removetur effectus. Ergo, si non fuerit primum in causis efficientibus, non erit ultimum nec medium. Sed si procedatur in infinitum in causis efficientibus non erit prima causa efficiens; et sic non erit nec effectus ultimus, nec causae efficientes mediae; quod patet esse falsum. Ergo est necesse ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes *Deum nominant* » [31]. Ad evidentiam hujus argumenti revoca quae diximus de causalitatis principio [32], et observa quod argumentum non concludit ad ens primum ejusdem

---

[29] Nota etiam quod si motus est defectibilis, neque a parte *ante* aeternus esse potest; si enim ab aeterno extaret, tempus infinitum transiiset, in quo profecto quaelibet res defectibilis cessasset.

[30] Cf. HONTHEIM n. 336-42; MATTIUSSI *Fisica* p. 401; BALLERINI *Il principio di causalità* p. 131-9; 179-87. M. MAZZELLA *Theolog.* II p. 41-3.

[31] S. THOM. 1 p. q. 2 a. 3.

[32] Supra n. 43.

generis, puta ad primam plantam, ad primum animal, ad primum hominem [33], sed ad ens superioris ordinis et perfectionis seu ad causam aequivocam [34]. **Confirmatur** *postulatis scientiarum physicarum*. Revera ex geologia et paleontologia scimus hominem apparuisse post animalia, animalia post plantas, plantae post terram, quae praecedenti materiae statui successit [35]: itaque homo, animal, vivens non semper fuerunt. Quomodo ergo apparuerunt in mundo? *a*) Responderunt quidam cum T. FECHNER et W. PREYER initio omnia fuisse vita donata, nec de apparitione vitae esse quaerendum, sed de formatione terrae, quae ex cadaveribus viventium coaluit. Sed hoc contradicit supradicto testimonio geologiae, quae ostendit viventia non viventibus *successisse*, et repugnat conditionibus telluris, quae initio erat inhabitabilis [36]. *b*) Alii obtruderunt *virtutem initialem* [37] seu *embrionalem* [38], triplicem gradum vitae explicantes modo simili quo in homine successive apparet vita vegetativa, sensitiva et intellectiva; sed dicendum quod inter embrionem et originem vitae non est paritas; embrio enim procedit a causa perfecta a qua accipit virtutes latentes, quae sub influxu caloris humorumque convenientium explicantur; sed perfecta causa vitae nondum aderat, cum primo vita apparuit in mundo; imo nec esse poterat, siquidem nimio calore omnia genimina vitae fuissent consumpta. *c*) Alii cum TOMPSON et HELMHOLTZ cogitarunt de *meteora*, quae vitae germina ad terram detulisset [39]; verum hoc non solum gratis asseritur, sed repugnat legibus vitae, siquidem in descensu nimio calore vel nimio frigore germina vitae essent corrupta, et non solvit quaestionem, nam explicanda maneret origo vitae in astris a quibus esset delata. *d*) Communius ad *abiogenesim* seu generationem spontaneam confugerunt [40] quam, cum exemplis confirmare non possent, siqui-

[33] Si esset ejusdem generis conveniret in proprietatibus, nec proinde esset a se.

[34] Planta v. g., quia est effectus, esse debet a *non planta*, animal a *non animali*, homo a *non homine*. In hoc etiam adversarii conveniunt, differentia in eo est quod ipsi quaerunt causam effectu suo minus perfectam (hominem ab *animali*, animal a *planta*, planta a materia *inorganica*), nos ponimus perfectiorem, scil. extramundanam et divinam.

[35] Cf. VIGOUROUX e BACUEZ *Manuale biblico* n. 277 cum sequenti tabula; BALLERINI *Il principio di causalità* p. 179 sqq. etc.

[36] BALLERINI *l. c.* p. 153.

[37] FLAMMARION *Il mondo prima della creazione dell'uomo* p. 14.

[38] BALLERINI *l. c.* p. 129.

[39] HONTHEIM n. 354; BALLERINI *l. c.* p. 153.

dem apud modernos celebratissimum est *cellulam ex cellula* oriri [41], ad pristinam conditionem telluris appellarunt [42]. Verum haec gratis asseruntur [43] et contradicunt rationi, siquidem perfectum ex imperfecto oriri est contra causalitatis principium, quo patet effectum in causa praecontineri; tot autem sunt differentes imo et oppositae proprietates viventis et non viventis ut manifeste unum ex altero procedere nequeat [44].

51. **Tertia pars.** *Deum esse demonstratur ex notione entis contingentis et necessarii.* Cum possibilitas *non essendi* explicare

[40] HUXLEY, HAECKEL, BÜCHNER, SEHRÖN, ELSBERG, BROFFERIO, MAGGI, MILESI, etc.

[41] HONTHEIM n. 249. « Nemo, animadvertebat FLOURENS in accademia Galliae, post D. REDI (1668) asserere audet generationem spontaneam *insectorum,* neque post VAN BENEDEN (1853) *vermium intestinorum,* neque *vermiculorum,* quae in aquis gignuntur post D. BALBIANI (1862); et modo asserere possumus, post exquisitas observationes D. PASTEUR, neque *insectorum* quae in fermentatione gignuntur; neque *microborum* ulla generatio sine semine animali affirmari potest ». PIGNATARO *De Deo Creante* th. 30 p. 172. VIRCHOW in *Rivista Scient.* 8 dec. 1887 ait : « Nemo vidit spontaneam generationem organorum : non theologi, sed docti eam respuunt ». Cf. REINKE *Eileitung in die theoretische Biologie* (1901); DRIESCH *Die organischen Regulationen* (1901); *Der Vitalismus als Geschichte und als Lehre* (1905); VIGNON *Sur le matérialisme scientifique ou mécanisme* in *Revue de philos.* (1904); CARAZZI *Teorie e critiche della moderna biologia,* Padova 1906; LIEBIG, DE QUATREFAGES, TYNDALL apud H. MAZZELLA II n. 31; DANRWIN ipse in *Atheneum* 25 agcsto 1863.

[42] Elementa, dicunt, quibus cellulae coalescunt, adsunt in natura inorganica; ex illis spontanea generatione non oritur vita, quia desunt oportunae circumstantiae pro atomorum dispositione, quae fuerunt initio mundi.

[43] Initium aliquod vitae ex non vivente D. HUXLEY se invenisse jactavit in quadam substantia in imo maris inventa, quam *eozoon* vel *bathybion* vocavit; SCHRÖN in cellulis quorumdam chrystallorum. Verum ille in conventu Sheffield coactus est fateri *bathybion* esse praecipitatum sulphati calcis cum reliquiis quorumdam animalium; hic a praecipuis scientiarum physicarum cultoribus convictus est similitudinem chystallarum et cellularum esse *apparentem* non realem. Ceterum cellula non est vivens, sed viventis conditio : eius ergo productio originem vitae nondum explicat, sicut aedificatio palatii regis generationem non constituit. Cf. DUILHE DE S. PROJET *Apol, scient.* etc. p. 2 c. 12 § 1; MATTIUSSI in *Scuola* agosto 1910 p. 168.

[44] Profecto viventia *generatione* oriuntur, non viventia chymica compositione : illa sunt *organica,* haec inorganica : in illis partes (seu atomi) tendunt *ad conjunctionem* et quidem intentionalem, in his ad disjunctionem : illa *augescunt* partium conversione, haec simplici aggregatione : illa brevi tempore *per se* corrumpuntur, haec diutius servantur et per accidens destruuntur : illa agunt operatione *immanenti,* haec transeunte. PIGNAT *l. c.* BALLER. *l. c.* p. 163.

non possit actum *essendi,* profecto contingens, seu quod potest non esse, non est ens a se sed *effectus* alicujus causae : atqui omnia, que sunt in mundo, sunt contingentia, uti patet ex eorum natura, origine et corruptione vel saltem mutatione : ergo mundus est ab alio : atqui rursus in linea causarum contingentium non est procedere in infinitum : ergo existit ens necessarium, quod est Deus [45].

52. **Quarta pars.** *Deum esse demonstratur ex gradibus perfectionis, qui in rebus inveniuntur.* Omne ens, in quo perfectio invenitur *diminuta,* non est a se sed procedit ab alio, in quo talis perfectio formaliter vel eminenter est *illimitata:* atqui in mundo perfectiones entium sunt dimidiatae : ergo existit ens in quo perfectiones mundi sunt in tota plenitudine. Jamvero gradus perfectionis unius generis entis se habent ad invicem sicut gradus omnium entium inter se; ergo etiam in linea entis est aliquod supremum, in quo ratio entis est plenissima quodque omnium entium est causa : hoc autem perfectissimum ens vocatur Deus. MAJOR. Nam *illud quod est maxime tale in aliquo genere, est causa eorum omnium quae sunt illius generis* [46]. Profecto perfectionis minoratae reddenda est aliqua ratio : atqui ratio hujus imperfectionis inveniri nequit in ipsa natura rei, quae limitationem in suo ordine non dicit, quaeque eadem in omnibus, in singulis tamen diversam perfectionem suscipit : ergo limitatio perfectionis est ab extrinseco principio seu a causa efficiente [47] : atqui rursus causa suprema perfectionis dimidiatae *praecontinere* debet ejus perfectionem, quia nemo dat quod non habet; praecontinere debet *in gradu summo* seu illimitato, quia, ut vidimus, perfectio limitata est ab alio; causa esse debet *omnium* quae tali perfectione existunt, quia secus in eodem ordine forent plura infinita, quod repugnat : ergo limitatae perfectiones procedunt ab aliquo uno qui saltem in eodem ordine est maxime tale [48]. MINOR constat experientia. Etsi enim perfectiones specifice seu *qua tales* magis et minus non suscipiant; individua tamen cujusvis speciei sunt magis et minus perfecta, ut

[45] S. THOM. *Cg.* II c. 15.

[46] S. THOM. 1 p. q. 2 a. 3; SCHIFFINI *Princ. Phil.* n. 686.

[47] « Quod alicui convenit ex sua natura et non ex aliqua causa, minoratum in eo et deficiens esse non potest ». S. THOM. *Cg.* II 15.

[48] Hinc S. THOM. *De Pot.* III a. 5 : « Ea quae positive secundum magis et minus dicuntur, hoc habent ex accessu remotiori vel propinquiori ad aliquod *unum* ».

patet de hominibus aliis aliis sapientioribus, de animalibus aliis aliis fortioribus, de plantis aliis aliis vegetioribus et de ipsis mineralibus aliis aliis purioribus. MINOR SUBSUMPTA difficultatem non creat; etsi enim ens non perficiatur additione entis, tamen in creaturis diversimode concretizatur; unde, omnibus consentientibus, sunt varii gradus entium, quae indefinito quodam ascensu progrediuntur a regno minerali ad hominem et ad angelum. Quod itaque dictum est de gradibus perfectionis unius speciei, valet etiam de gradibus entium; unde manet quod mundana entia, quia limitata, procedunt ab ente infinitae perfectionis totiusque mundi causa prima, quod est Deus.

53. **Quinta pars.** *Deum esse probatur ex gubernatione mundi* [49]. « In universo tam complexive, quam quoad singulas suas partes spectato [50], datur evidentissima ordinatio mediorum ad fines proximos, et finium particularium ad fines superiores, et istorum ad finem generalem, qui est bonum totius. Sed ordinare media ad finem, proprium est solius intellectus. Ergo universum ab aliquo intellectu pendet. Hujusmodi autem intellectus profecto non est intellectus humanus; hoc enim nemo umquam etiam stolidissimus, somniavit. Ergo est intellectus separatus, id est, a mundo distinctus, et hunc dicimus Deum » [51].

54. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Tota demonstratio existentiae Dei ex mundi realitate fundatur in causalitatis principio: atqui hoc principium non est evidens: ergo. MINOR. Nam, ut arguit KANT, haec propositio: *omnis effectus pendet ab aliqua causa* non est analytica, neque synthetica a posteriori, sed synthetica a priori ideoque fictio mentis: non est *analytica* quia praedicatum non est de

---

[49] « Deus, inquit LINNÉ, aeternus, immensus, sapientissimus, omnipotens transiit coram me. Faciem ejus non vidi sed radio suae lucis obstupuit anima mea. Hinc inde vestigia sui transitus in creaturis detexi; in omni opere, utut parvo et infimo, quae vis, quae sapientia, quae immensurabilis perfectio! ». Cf. *Ball.* l. c. p. 145, ubi citat etiam KÉPLER, HERSCHELL, SAL. TOMMASI.

[50] Nam admirabilis partium distributio et specialis finalitas apparet vel in infimo e viventibus. Hanc *finalitatem* etiam MOLESCHOTT et C. BERNARD. agnoverunt. Cf. H. MAZZELLA II n. 552.

[51] BILLOT p. 60. HONTHEIM n. 304 observat argumentum concludere non solum pro existentia *ordinatoris,* sed etiam *creatoris; a*) quia mundi perfectio maxime pendet ab elementorum numero, natura et qualitate, quae proinde ab ordinatore ipso esse debent; et *b*) quia, si materia non esset a Deo, neque posset a Deo ordinari; *ens* enim *a se* perfectissimum est.

ratione subjecti, et non est *synthetica a posteriori* quia convenientia praedicati cum subjecto experientia non comprobatur [52]. **Resp.** Aequivocatio est in nomine *propositionis analyticae;* si enim analytica dicitur quaevis propositio *evidens* ex terminorum consideratione, seu quae immediata evidentia innotescens probatione non eget, analyticis propositionibus non illae solae sunt adscribendae, quorum praedicatum est de formali ratione subiecti (v. g. homo est animal rationale), sed etiam illae quorum praedicata intrinseco colligantiae nexu ita subjectis vinciuntur, ut sine manifesta contradictione ab eis nequeant separari. Porro talis est notio causae respectu effectus; etsi enim effectus non constituatur causa, ex evolutione tamen notionis effectus (seu rei quae in se sufficientem rationem essendi non habet) revocatur notio causae seu principii necessarii pro ejus existentia [53]. Hinc S. THOM. simili difficultati responderat: « Licet habitudo ad causam non intret definitionem entis quod est causatum, tamen *consequitur* ad ea quae sunt de ejus ratione, quia ex hoc quod aliquid per participationem est ens, sequitur quod sit causatum. Unde hujusmodi ens non potest esse quin sit causatum, sicut nec homo quin sit risibile » [54].

55. **Objic. 2.** Etiam dato quod causalitatis principium sit syntheticum et per se evidens, manet tamen forma a priori et abstracta, ex qua ens reale et physicum non concluditur [55]. **Resp.** Causalitatis principium non secus a ceteris non est simpliciter *a priori,* quasi solius mentis partus exsistat, sed, e rebus creatis immediata evidentia apprehensum, constanti experientia plenissimaque inductione est confirmatum [56]. Ceterum etiam dato, quod principium causalitatis sit notio idealis, argumentum pro reali existentia non infirmaretur, siquidem ordo idealis ex realitate unius termini alium in ordinem realem transfert. Nonne formulae matheseos sunt abstractae, et tamen, cum numeris et litteris substituuntur res, realem terminum exhibent? Quis profecto non videt rectitudinem hujus syllogismi: *Si existit A, existit et B, qui solus ejus causa esse potest: atqui A existit: ergo B existit?* atqui hoc est argumentum quo Dei existentiam e rebus deduximus.

56. **Objic. 3.** Notio causae ex constanti relatione seu connectione phaenomenorum apprehenditur: atqui phaenomena hujusmodi nec omnia, nec universalia sunt: ergo notio *causae et effectus* non est universalis, neque ut principium certum assumi potest [57]. **Resp.** Difficultas

---

[52] KANT apud *De San* n. 32 nota.

[53] CAJET. in *Analyt. post.* 1 c. 2 et 3 apud DE SAN *l. c.*

[54] S. THOM. 1 p. q. 44 a. 1 ad 1.

[55] HUME et KANT apud *Hontheim* n. 135-47; DÉHOVE apud *Scuola Catt.* Sett. 1905 p. 272 sqq.

[56] Cf. supra n. 43.

[57] STUART MILL apud *Hontheim* n. 148; CESCA et CANTONI apud *Ballerini* l. c. p. 9 et 89.

confundit cognitionem intellectivam cum sensitiva. Haec a materia dependens non potest a particulari ad universale venire, sed intellectus e sensibilibus abstrahit, et universalia cognoscit, quemadmodum in psycologia diffuse explicatur. Studio phaenomenorum homo non solum historico more cognoscit relationes rerum, quas examini subjicit, sed invenit legem, quae etiam de non visis tenet. Si hoc non esset, nomen scientiae a lexicis esset delendum, nec ipsa vita socialis foret possibilis, quae generalibus quibusdam principiis regitur [58].

57. **Objic. 4.** Ut effectus in notitiam causae ducat requiritur proportio inter utrumque: atqui nulla est proportio inter creaturam et Deum: ergo Deus a creaturis derivatus non est realis sed idolum a mente confictum [59]. **Resp.** Praesens quaestio non est de cognitione *naturae* sed *existentiae* Dei, ad quam sufficit notio principii causalitatis: ceterum entitativa proportio non requiritur ad cognitionem *analogicam,* quam ex creaturis efformamus de Deo.

58. **Objic. 5.** Deus et mundus sunt termini comparationis, quo cognoscimus relationem causae et effectus inter eos intercedere: atqui termini comparationis praesupponuntur noti: ergo Deus ex mundo causalitatis principio non deducitur [60]. **Resp.** In argumento *deductivo* termini comparationis non praesupponuntur noti nisi juxta confusam, nominalem, et hypotheticam rationem; ex concretizazione enim unius termini, ipsa lege simultaneitatis, alterius existentia apparet. Scil. ut Deum esse causam mundi agnoscam, non est necesse ut considerem perfectionem Dei et imperfectionem creaturae, et ita illum apprehendam uti hujus principium; sufficit ut sciam effectum non esse sine causa et mundum esse effectum: illud est principium per se notum, notitiam Dei antecedens, hoc directe innotescit ex proprietatibus mundi, qui sua limitatione, mutabilitate et contingentia imperfectionem effectus ostendit. Quis dicet me scire non posse horologium esse effectum, nisi cum prius cognoverim artificis personam?

59. **Objic. 6.** Cognita in mundo ratione effectus, non ideo cognoscitur Deus; siquidem unius effectus plurimae causae dari possunt occultae nobis, qui totam mundi virtutem ignoramus [61]. **Resp.** Etsi unius effectus dari possint plures causae creatae sive independentes sive subordinatae, tamen hujusmodi causae creatae non sunt ratio suf-

---

[58] Cf. supra n. 43.

[59] UBAGHS et KUHN apud *Hontheim* n. 84-5. Etiam H. SPENCER negavit ex finito infinitum posse cognosci, quia genere non conveniunt. *First Principles* 1888 p. 81.

[60] GIOVANZANA *Filos. della relig.* I p. 442.

[61] GIOVANZANA *Filosofia della Rivel.* I p. 441; DE DOMINICIS *La dottrina dell'evoluzione* II p. 66-7.

ficiens primi effectus, unde ascendere oportet ad causam primam extramundialem, quam unam esse pro omnibus infra demonstrabimus. Neque investigationi causae primae praerequiritur notitia omnium virium naturae; sicut enim ex consideratione *individuorum* agnoscuntur proprietates *speciei,* ita ex consideratione *specierum* innotescit proprietas seu melius imperfectio *totius naturae creatae,* quae cujuscumque ordinis sit, eo ipso quod est limitata, causa prima esse non potest.

60. **Objic. 7.** *a*) Argumentum in lege entropiae fundatum non concludit, quia nulla creata vis destruitur, et ideo iterum motus incipere poterit [62]: *b*) argumentum ex notione entis contingentis deductum non tenet, quia, si corpora sunt mutabilia, atomi sunt incorruptibiles [63]: *c*) argumentum ex finalitate rerum efformatum non convincit, quia ordo non est rerum proprietas sed mentis consideratio [64]. **Resp.** *a*) Lex *entropiae* non consistit in destructione virium sed in tendentia rerum ad aequilibrium et consequentem quietem, quod, si a quibusdam negatur [65], communissime ratione et experientia duce affirmatur. *b*) *Atomi* non sunt incorruptibiles, siquidem saltem in vivente unica forma substantiali informantur: si autem corpora sunt ab alio, a fortiori ab alio sunt atomi quae corporibus perfectione cedunt et motu saltem locali manifeste mutantur. *c*) *Ordo rerum* est quidem in intellectu sed ab objectiva realitate determinatur: qui id negant, subjectivismi labe inficiuntur. Quis sanae mentis dicet a sola intellectus consideratione esse quod argumentosa apis sapienti labore e floribus dulcedinem mellis exprimat?

CAPUT II.

De divina natura.

61. **Capitis divisio.** Quaestionem de *existentia* Dei (*an sit*) excipit alia de ejus natura (*quid sit*), quam solvit catechismus di-

---

[62] LE BON *L'Évolution de la Matière;* PICARD *La science moderne et son état actuel* p. 132.

[63] MATERIALISTAE apud *Billot* th. 4 p. 54.

[64] KANT et SCHOPENHAUER apud *Til. Pesch* Phil. nat. II n. 530; F. SCHULTZE, F. A. LANGE, SPINOZA, HEGEL apud *Hontheim* n. 305-35.

[65] Ne turberis, cum audis physicum notam naturae legem impugnare: sicut manifestae contradictiones philosophos patronos habuerunt; ita naturae paradoxa a quibusdam e physicae cultoribus magno apparatu sunt proposita.

cens : *Deus est spiritus perfectissimus, creator et dominus coeli et terrae.* Tribus itaque veluti notis perficitur notio divinitatis : spiritualitate seu absoluta *simplicitate*, omnimoda perfectione seu *infinitate,* et relatione ad mundum cujus est *causa.* Jamvero nota *creatoris* non pertinet ad essentiam Dei, qui ante creationem ab aeterno est; *simplicitate* igitur et *infinitate* absolvitur propria ratio divinae naturae, neque ulterius inquirendum esset, si scientiam theologi vulgari cognitione metiri oporteret : verum ille descriptiva notione non contentus, de intima et, uti dicunt, *metaphysica essentia* Dei quaerit : inde capitis divisio in tres articulos : 1 *De metaphysica Dei essentia,* — 2 *De Dei simplicitate,* — 3 *De infinita Dei perfectione.*

ARTIC. 1 — DE METAPHYSICA ESSENTIA DEI.

62. **Quae Dei cognitio in hac vita.** Ut jam innuimus, duplex est cognitio rei, *propria* et *analogica:* illa rem attingit secundum quod est in se, haec per ordinem ad alia, quae, cum rei perfectionem adaequate non referant, impropriam et confusam tantum notitiam pariunt : prima habetur immediata visione rei cognitae vel intuitione effectus univoci : altera sine visione, per ea quae cognito aliqua relatione vinciuntur [1]. Porro *cognitio propria* Dei reservatur in altera vita, cum *videbimus eum sicuti est* [2]; in hac enim Deum cognoscimus per creaturas, quae, cum sint effectus aequivoci [3], notitiam propriam Dei gignere nequeunt [4]. Datur tamen in hac ipsa vita *cognitio analogica,* siquidem effectus habet ordinem ad causam in qua virtualiter praecontinetur, unde de Deo cognoscimus « *a*) habitudinem ipsius ad creaturas, quod scil. omnium est causa; et *b*) differentiam creaturarum ab ipso, quod scil. ipse non est aliquid eorum quae ab eo causantur, et *c*) quod haec non removentur ab eo propter ejus defectum, sed quia superexcedit » [5].

63. **Analogicam cognitionem Dei triplici affirmationis, negationis et excellentiae via assequimur.** Ex creaturis Deus cognoscitur *via affirmationis,* quia causae deesse nequeunt perfectiones effectus, unde quidquid est bonitatis et perfectionis in creaturis in Deo

---

[1] Cf. Supra n. 3.

[2] I Joan. 3. 2.

[3] Argumenta data pro existentia Dei concludunt ad esse supremum *omnino diversum* a creatis rebus. Cf. n. 11.

[4] Cf. S. THOM. I p. q. 12 a. 2 et 12. *Cg.* III 49.

[5] S. THOM. I p. q. 12 a. 12.

invenitur; cognoscitur via *negationis,* quia causa prima confundi nequit cum suo effectu, unde multa, quae creaturis conveniunt, a Deo sunt removenda[6]; cognoscitur *via excellentiae* quia causa prima nullis limitibus coarctatur, unde perfectiones creaturarum nobiliori modo, h. e. per excellentiam, Deo competunt[7]. Porro triplex hujusmodi via non *disjunctive* percurrenda est, quasi creaturarum perfectiones aliquando affirmari debeant de Deo, aliquando negari, aliquando excellentiori modo praedicari; sed *cumulative* ita ut ex altera unaquaeque via compleatur, secundum illud ECCLI.[8]: *Consummatio sermonum* IPSE EST *in omnibus*[9]. *Gloriantes ad quid valebimus? ipse enim omnipotens* SUPRA (graec. *praeter, extra*) *omnia opera sua*[10]... *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis,* SUPERVALEBIT *enim adhuc, et admirabilis magnificentia eius*[11]. Exemplo rem illustrat S. THOM. « Secundum doctrinam DIONYSII tripliciter de Deo (nomina) dicuntur. Primo quidem *affirmative,* ut dicamus *Deus est sapiens,* quod quidem de eo oportet dicere propter hoc, quod est in eo similitudo sapientiae ab ipso fluentis. Quia non est in Deo sapientia, qualem nos intelligimus et nominamus, potest vere *negari,* ut dicatur *Deus non est sapiens* (ut homo). Rursus quia sapientia non negatur de Deo, quia ipse deficiat a sapientia, sed quia *supereminentius* est in ipso, quam dicatur aut intelligatur: ideo oportet dicere, quod Deus sit *supersapiens* »[12].

64. **Ceteris praestat via remotionis.** Quamvis triplici via in cognitione Dei procedendum sit, tamen « *via remotionis* utendum est praecipue in consideratione divinae substantiae. Nam divina substantia omnem formam, quam intellectus noster attingit, sua immensitate excedit; et sic ipsam apprehendere non possumus cognoscendo *quid est,* sed aliqualem ejus habemus notitiam cognoscendo *quod non est.* Tanto enim ejus notitiae magis appropinquamus, quanto plura per intellectum

---

[6] S. THOM. *Cg.* III 65. 1 p. q. 104 a. 1 probat causam τοῦ *esse* et non solius *fieri* rerum, cujusmodi est causa prima, non esse univocam cum suo effectu, quia secus foret *causa suipsius.*

[7] « *Invisibilia Dei,* inquit S. THOM., verba Apostoli explicans, cognoscuntur via negationis; *sempiterna eius virtus* via causalitatis (seu affirmationis), *divinitas* per viam excellentiae » *In Rom.* **1** lect. 6.

[8] Eccli. **43**. 30-32.

[9] Scil. via *affirmationis,* omnia, quae de creaturis dicuntur, de Deo ultimo enuntiari debent.

[10] Scil. non possumus laudare Deum uti meretur, quia, cum sit extra ordinem rerum creatarum, non habemus in mundo quae eum perfecte referant, unde via *remotionis* omnia sunt ei deneganda.

[11] Scil. via *excellentiae* creaturarum perfectiones nobilissimo modo de Deo sunt enuntiandae.

[12] S. THOM. *De Poten.* q. 7 a. 5 ad 2; HONTHEIM n. 509-10.

13426

nostrum ab eo poterimus removere; tanto enim unumquodque perfectius cognoscimus, quanto differentias ejus ad alia plenius intuemur » [13]. Hinc PATRES docent omnibus praestare cognitionem, qua Deum *intelligi non posse* cognoscimus [14]; quod profecto non sensu agnosticorum est intelligendum, sed quia Deus tam magnus est, ut nec concipi, nec dici *propria cognitione* a nobis possit; ac proinde negativo tantum modo a creaturis discernitur [15].

65. **Deus anonymus seu ineffabilis et polyonymus seu multipliciter vocatus.** Sequitur ex praedictis. Etenim « voces sunt signa intellectuum, et intellectus (conceptus) sunt rerum similitudines, et sic patet quod voces referuntur ad res significandas mediante conceptione intellectus. Secundum igitur quod aliquid a nobis intellectu cognosci potest, sic potest a nobis nominari » [16]. Atqui, ut vidimus, Deus non cognoscitur cognitione propria. Ergo neque *proprio nomine* a nobis potest vocari, sed est nobis *anonymus* (sine nomine) seu *ineffabilis* (qui dici nequit), ut saepe loquuntur Patres [17]. Quod si de *analogico nomine* agatur, pluralitas divinorum nominum seu *polyonymia* ponenda est; cum enim plures sint relationes creaturae ad Deum, ex illis Deus diversimode vocari debet [18]. « *Omnia*, inquit AUG., possunt de Deo dici et *nihil* digne dicitur de Deo. Nil latius hac inopia. Quaeris *congruum nomen?* non invenis; quaeris *quoquo modo dicere?* Omnia invenis » [19].

66. **De metaphysica essentia Dei, sententiae plurimae.** Philosophi essentiam seu naturam rei distinguere solent in physicam et metaphysicam: illa integratur omnibus, quibus rei substantia quomodocumque resultat [20]; haec est « ratio qua ens intelligitur in seipso con-

---

[13] S. THOM. *Cg.* I 14.

[14] BASIL. *ep.* 234; GREG. Naz. *Or.* 37, n. 7; CYR. Hier. *Catech.* 6; CHRYS. *in Ps.* **138** n. 4; DIONYS. *Mysts. theol.* c. 2; DAMASC. *De fide orth.* I c. 4; AUG. *De ordine* II 44.

[15] Cf. FRANZ. *De Deo Uno* p. 160 sqq.; LESS. *De perf. div.* I c. 3, 4.

[16] S. THOM. 1 p. q. 13 a. 1.

[17] JUST. M. 1 et 2 *Apol.*; *Coort. ad Graec.*; IREN. *Adv. haer.* IV c. 20 n. 6; CLEM. Alex. *Strom.* V et VI; LACTANT. *Trism.* I c. 6; EUSEB. *Dem. Evang.* IV c. 1; AUG. *Doct. Christ.* I 5 etc. Cf. PETAV. *De Deo* VIII c. 6 n. 7-8.

[18] Quaeri potest an saltem beati, qui Deum intuentur, *nomine proprio* invocent, et iterum videtur negandum (JANSSENS I p. 486); quia etsi *revelata facie gloriam Domini speculentur* (2 Corinth. **3** 18), non scrutantur tamen omnia profunda Dei. Ceterum an in beatifica visione eliciatur verbum mentis acriter disputatur (PESCH n. 81) et probabilius negatur (BILLOT p. 145).

[19] AUG. *De div. nom.* c. 1; THEOPH. Antioch. *ad Autol.* I n. 3, 4; GREG. Naz. *Hym. ad Deum* 29; GREG. Nyss. *C. Eunom.*; DIONYS. *De Div. nom.* c. 2 § 4; etc. Cf. FRANZ. p. 160; *Petav.* l. c. n. 9-10.

[20] V. g. *physica essentia* hominis constituitur materia et forma.

LIBRERIA EDITRICE PAX STUDIO TIBUR

stitutum, et ex qua tamquam a prima radice, *nostro concipiendi modo,* omnia, quae de ipso praedicantur, fluunt »[21]: unde tria sunt de ratione essentiae metaphysicae Dei *a)* quod sit aliquid omnino *proprium* Dei, *b)* quod non concipiatur ad modum attributi seu proprietatis ejus, sed ad modum *subiecti* de quo cetera praedicantur, et *c)* quod sit quodam modo *radix* aliarum proprietatum. Porro essentiam metaphysicam Dei *Nominales,* duce OCKAMO, constituunt in *infinitate formali* seu in complexu omnium perfectionum; SCOTISTAE in *infinitate radicali* seu in exigentia omnium perfectionum; THOMISTAE in *radicali intelligentia* prout imbibit aseitatem uti suam conditionem[22]; H. SCHELL in eo quod est *ens per se* seu *causa sui*[23]; CETERI in *aseitate,* quam quidam cum SUAREZ proponunt sub ratione *actus puri,* alii sub ratione *esse per se subsistentis.*

67. **Quid veniat nomine τοῦ esse per se subsistentis.** *Esse* in locutione scholastica tripliciter sumitur: pro *essentia,* pro *existentia* et pro *copula verbali* quae veritatem compositionis in propositionibus affirmativis exprimit[24]. Cum *essentia* Dei definitur *ipsum* ESSE *per se subsistens,* ly *esse* non sumitur pro *verbo* quod in ordine tantum logico habet realitatem, neque pro *essentia,* cujus est definitio[25], sed pro *existentia.* Verum existentia dupliciter accipi potest, *abstracte* de generica notione rei quae est extra suas causas, et *concrete* de realitate qua res in ordine rerum existentium subsistunt; in definitione entis realis induci nequit notio abstracta, et ideo cum Deus dicitur *ipsum esse per se subsistens,* ly *esse* sumitur pro reali et *concreta existentia.* Porro realis existentia dupliciter se habere potest ad ens, de quo praedicatur; primo ut si *comprincipium entis,* seu ita ut recipiatur in respondenti reali essentia, cui tribuit existere et a qua suscipit determinatum modum existendi; secundo ita ut ipsa sola sit *totum ens completum,* quin proinde recipiatur in aliqua essentia a se distincta. Cum *esse* praedicatur de Deo, hoc ultimo modo sumitur et ideo dicitur quod Deus est *ipsum esse*[26] *per se subsistens*[27].

THES. 6. *Deus est — 1 ipsum esse per se subsistens, — 2 in hac autem* ASEITATE *constituenda est ratio metaphysica divinae essentiae.*

---

[21] BILLOT *th.* 5 cor. 2 p. 81.

[22] Cf. DE SAN *De Deo Uno* n. 43.

[23] Apud *Janssens* I p. 229 sqq.

[24] S. THOM. 1 *Dist.* 33 q. 1 a. 1 ad 1; *III Dist.* 6 q. 2 a. 2; 1 p. q. 3 a. 4 ad 2; *De Pot.* VII a. 2 ad 1; *Quod.* IX a. 3.

[25] Profecto definitum *definitionem* non integrat.

[26] Non modus quidam existendi in una vel alia perfectione, sed *ipsa existentia absoluta,* secundum omnes existendi modum.

[27] Scil. *irreceptum,* quod se solo est ens undequaque completum.

68. **Prima pars.** *Deus est ipsum esse per se subsistens.* **Ex Scripturis.** Nam *a)* in Scripturis Deus nomine proprio dicitur *Jahve* quod significat *existentem* [28]: atqui nomen proprium essentiam rei exprimit: ergo essentia Dei est existere. *b)* CONFIRMATUR ex contextu Exodi ubi nomen *Jahve* vel primo revelatur vel explicatur [29]; Moyses enim non quaesierat a Deo ut testaretur suam *existentiam,* quam profecto omnes dabant, sed ut diceret nomen suum *proprium,* quo distinguebatur a possibilibus et ab existentibus omnibus: atqui nomen proprium exprimit *essentiam* seu naturam, qua unusquisque in proprio esse constituitur: ergo, cum Deus Moysi respondit verbo *esse* seu existere [30], docuit suam essentiam esse *existere* et nihil aliud [31]. *c)* ADDE אֶהְיֶה (*eheie* = ὁ ὤν = *qui est*) non poni tantum in *praedicato* propositionis, quo efferuntur etiam proprietates accidentales rei, sed sumi pro *subjecto* propositionis (QUI EST *misit me ad vos*), quod semper tenet locum suppositi: ergo in Deo natura, individuum, imo et persona (per modum absoluti inspecta) nihil aliud sunt quam *existere,* ac proinde Deus est *ipsum esse per se subsistens* [32]. *d)* Hinc Joannes divinam naturam vindicans Christo, Christum dixit *qui est, qui erat, et qui venturus est* [33]; qui scil. *esse absolutum* habet, seu est ipsum esse. — **Patres** non solum testimonium Exodi, eodem quo exposuimus modo, explicant; sed aperte docent quod Deus est *ipsum esse,* cui existere non est accidentalis proprietas sed essentia: tam vero propriam Dei intelligunt huiusmodi essentialem existentiam, ut inde potissimum Deum a creaturis distinguant, et ex illa infinitam Dei perfectionem arguant. *a)* « Deus, inquit AMBR., non respondit (Moysi) nomen (scil. mere externum), sed *negotium;* hoc est *rem* (scil. naturam, essentiam) expressit non appellationem, dicens: *Ego sum qui sum:* quia

---

[28] « Hoc nomen, inquit Hebraeorum doctissimus Rabbi MOYSES MAIMONIDES, derivatum est a verbo הָיָה *(hajah)* quod *existentiam* significat » PETAV. *De Deo* I c. 6 n. 5; HUMM. *in Exod.* p. 51-2; FRANZ. p. 270.

[29] Cf. Supra n. 4.

[30] אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה (*ehejeh ascher ehejeh* = *sum qui sum;* אֶהְיֶה שְׁלָחַנִי *ehejeh scelakani* = *qui est misit me.*

[31] Attendas etiam quomodo nativa vis verbi *existere* servetur in *Vulgata (qui est)* et GRAECA *LXX* (ὁ ὤν). Sensus igitur causalis, quem ex tempore *hiphil* quidam obtruderunt (n. 4), sicut exemplis non confirmatur, ita *traditionali sensu* excluditur.

[32] Ne scandalum patiaris ex mysterio SS. Trinitatis, nota quod in Deo natura et persona *re* non distinguuntur, et ratio divinae Personae non est ex aliquo absoluto, sed ex relatione.

[33] Apoc. **1**. 4; 8; **4**. 8. Cf. etiam Eccles. **43**. 29 ubi Deus dicitur τὸ πᾶν ἐστι αὐτός scil. *omne* seu totum *esse.*

nihil *tam proprium Dei* quam semper *esse* »[34]. *b)* Deum esse *ipsum esse* docet HILAR.: « Non aliud, ait, *proprium magis* Deo quam *esse* intelligitur; quia idipsum quod *est,* neque desinentis est aliquando, neque coepti »[35]. Et AUG.: « Non est ibi (in substantia Dei) nisi *est;* non est ibi *fuit* et *erit,* nondum est; sed quidquid ibi est, non nisi *est* »[36]. *c)* In Deo *esse* non habere rationem accidentis logici, seu rei praeter naturam, affirmat HILAR.: « *Esse* non est accidens in Deo, sed *subsistens* veritas »[37]. *d)* Rationem existendi sic competere Deo ut in ejus comparatione cetera *esse* dici nequeant, testatur ORIG.: « Una, inquit, est Dei et sola natura quae *vere est,* id enim quod subsistit, non *habet* aliunde sed *suum* est »; unde « ipse *solus est,* cui, quod est, a nullo datum est »[38]. *e)* Omnimodam perfectionem Dei ex ratione τοῦ *esse* deducit DIONYS.: « Deus rex saeculorum dicitur, quoniam in ipso, et circa ipsum *totum esse* et est, et subsistit »[39]. Et GREG. Naz.: « Deus dicitur ὁ ὤν, quia *esse* et quidem *totum esse* essentialiter proprium est Dei neque ullatenus terminatum et circumscriptum, quod sit sive ante ipsum, sive post ipsum »[40]. — **Ex ratione.** Nam quinque argumenta, quibus evincimus divinam existentiam, probant etiam Deum esse *ipsum esse per se subsistens,* seu ens cujus *essentia* est *existere.* Revera *prima via* devenimus ad *movens immobile* seu ad actum purissimum: atqui ens, cujus essentia non est ipsum existere, non est actus purus; siquidem *essentia* comparatur existentiae quasi potentia ad actum qui in illa recipitur. *Secunda via* procedit ex notione effectus ad *causam incausatam:* sed omne ens, cujus existere non est de ratione essentiae, est causatum. Revera « cum compositio non sit nisi ex diversis, ipsa diversa indigent aliquo agente ad hoc quod uniantur. Non enim diversa in quantum hujusmodi, unita sunt. Omne autem compositum habet esse, secundum quod ea, ex quibus componitur, uniuntur. Oportet ergo quod omne compositum dependeat ab aliquo priore agente »[41]. *Tertia via* venimus ad Deum ex

---

[34] AMBR. in *Ps.* **43**. Cf. etiam AUG. *Ps.* **101**. serm. 2 n. 10; HIERON. *epist.* 136.

[35] HILAR. *De Trin.* I init.

[36] Scil. tota essentia Dei in eo consistit quod Deus *est* seu existit. AUG. in *Ps.* **101** serm. 2 n. 10. Cf. *In Ps.* **121** et **134**, et ORIG., HIERON., EPHREM, JUST. M., CLEM. Alex., apud *Franzelin* p. 280.

[37] HILAR. *De Trin.* VII.

[38] ORIG. in *I Reg.* hom. 1 n. 12. Cf. etiam HIER. *in Eph.* **3**. 4; CLEM. Alex. et DIONYS. et MAXIM. apud *Petav.* l. c.

[39] DIONYS. apud *Petav.* I c. 6 n. 7.

[40] GREG. Naz. *or.* 30 n. 18.

[41] S. THOM. *De Poten. VII* a. 1. *NB.* Ens, cuius essentia non est existentia, esse compositum manifestum est, quippe coalescit ex *esse* et *essentia* tamquam ex duobus comprincipiis unius realitatis.

consideratione entis contingentis quod a *necessario* procedit; atqui omne ens quod non est ipsum existere est contingens: ergo. MINOR est manifesta, nam res specificantur propria natura seu essentia; si igitur *existere* non imbibitur in notione talis essentiae, huic est extra, ac proinde contingens; ens autem cui *existere* est contingens, profecto non est ens necessarium. *Quarta via* ducit ad Deum qui, entium causa, est *summe ens,* qui proinde non existit uno vel altero modo, sed omnem modum existendi habet, quod non convenit enti cujus existentia recipitur in essentia; hac enim coarctatur et ad determinatum quemdam modum existendi limitatur. *Aliis verbis:* limitatio entis non est ex parte existentiae quae omnibus perfectionibus convenit et ex sese limitationem non dicit, sed est ex parte essentiae qua res definiuntur et in propria specie constituuntur. Quia ergo Deus est infinite perfectus, in ipso illa sola ratio invenitur, quae limitationem non patitur, scil. existentia. « Illud, inquit S. THOM., quod habet esse absolutum et nullo modo receptum in aliquo, imo ipsemet est suum esse, illud est infinitum simpliciter » [42].

69. **Secunda pars.** *In ratione ipsius esse per se subsistentis reponenda est essentia metaphysica Dei.* **Argum. 1** *(negativum).* Nam *infinitas actualis,* quam obtrudunt NOMINALES, etsi vere agnoscenda sit in Deo, non concipitur quasi fundamentum divinarum perfectionum, sed potius quasi eorum complexus vel corollarium; unde pertinet ad essentiam physicam non ad metaphysicam. *Infinitas radicalis* SCOTISTARUM quaestionem non solvit, quia de hac praecise radice, ex qua, nostro concipiendi modo, in Deo fluunt omnes perfectiones, quaeritur. Etiam *radicalis intelligentia* THOMISTARUM finem non assequitur; si enim haec formula exprimit tantum *actum substantialem* qui, quo purior, meliorem intelligentiam fundat, obscure proponit quod ultima sententia clare effert; si vero in ratione actus, qui est radix intelligentiae, significatur *specialis respectus ad cognitionem,* jam proponitur particularis gradus perfectionis, qui ex generaliori principio fluit. Funditus vero errant SCHELL ceteriqui philosophi germanici, qui Deum faciunt *causam sui;* licet enim Patres ad excludendas causas extrinsecas et ad affirmandam intrinsecam sufficientiam, qua Deus ex sese habet suae existentiae rationem, aliquando dicant quod Deus est « causa suae substantiae », vel quod « sibi causa est, ut hoc ipsum sit, quod existit » [43]; fide et ratione certum est *esse divinum* esse omnino *incausatum;* imo implicat quod quisque sibi tribuat existentiam, siquidem operatio subsequitur

---

[42] S. THOM. *I Dist.* 43 q. 1 a. 1; 1 p. q. 7 a. 1; *Cg* I 43; *Quod.* VII a. 1 ad 1.

[43] HIER. *in Eph.* 3. 14; MAR. VICTOR. *C. Arium* l. 4. Cf. FRANZELIN p. 280; PESCH n. 121.

et non praecedit *esse* [44]. Manet ergo quod essentia metaphysica constituenda sit in *aseitate* [45]. **Argum. 2** *(positivum).* Nam ASEITATI competit *prima nota* essentiae metaphysicae, siquidem nulla omnino creatura potest pro essentia habere *esse* quod, testibus Patribus, est proprietas Dei: competit *secunda nota,* quia *existere* in Deo de alio non praedicatur, et in Scripturis tenet locum subjecti propositionis: competit *tertia nota* quia, ut a S. THOMA audivimus, ens a se, seu irreceptum est infinite perfectum, siquidem nulla perfectio rationem entis aufugit et quisque est magis perfectus prout in pluribus habet quod *sit.*

ART. 2 - DE OMNIMODA DEI SIMPLICITATE.

70. **Ad sequentia nexus.** Divina essentia explicata sub ratione *actus purissimi,* conclusiones de divinis perfectionibus sunt deducendae; et quia, ut jam vidimus, in cognitione Dei via remotionis praecipue utendum est, creaturarum imperfectiones imprimis removebimus a Deo. Porro prima et fundamentalis imperfectio creaturarum est *compositio* ex partibus; licet enim in ipso composito totum partibus praestet, immunitas tamen a partibus incorruptionem et veram perfectionem dicit. Hinc, duce S. THOMA [1], theologi fere omnes primam quaestionem de omnimoda Dei simplicitate instituunt.

71. **Quid simplicitas et quotuplex.** *Simplicitas* contra compositionem dicitur, unde importat immunitatem a partibus ex quarum unione compositum resultat. Jamvero ratio partis alicui potest competere *potentia,* quatenus est aptum alteri uniri in unitate esse [2], et *actu* cum de facto alteri copulatur [3]: ex primo est compositio potentialis cui respondet *simplicitas imperfectionis* [4], ex altero compositio actualis cui respondet *simplicitas perfectionis.* Utraque compositio dividitur in *realem* seu *physicam* et *rationis* seu *logicam:* prima contingit quando partes compositi *a parte rei*

---

[44] Contra SCHELL optime scripsit JANSSENS p. 229-41; contra alios phil. germanicos pantheismo faventes STÖCKL *Gesch. d. neuer. Philos.* 2 Mainz 1883 p. 72 sqq., 96 sqq., 103 sqq., etc.

[45] Ad *aseitatem* reducitur ratio *actus purissimi,* siquidem *ens a se* dicit ens *cujus essentia est existere,* et actus purissimus est ens cujus suprema actualitas, quae est *existere,* non recipitur in aliqua essentia, sed *est* ipsa *essentia.*

[1] S. THOM. I, p. q. 3 prol.

[2] V. g. anima separata, quae corpori potest coniungi.

[3] V. g. materia et forma in composito substantiali.

[4] Nam pars, quae alteri unitur, perficitur.

ita distinguuntur, ut ex illis quasi ex duobus principiis *(quibus)* res una resultet; altera habet locum cum *mens,* ea, quae a parte rei identificantur, separatim considerat, quia percipit duobus conceptibus adaequatae distinctis, quibus respondere etiam possunt res distintae imo et separatae [5]. Realis compositio est quadruplex, scil. *materiae* et *formae* in essentiis rerum corporalium, *essentiae* et *esse, naturae* et *suppositi, substantiae* et *accidentis* in omnibus rebus creatis sive corporalibus sive spiritualibus; compositio rationis est duplex, scil. *generis* et *differentiae specificae* atque *substantiae concretae* et *notarum individuantium.* In Deo, ut videbimus, nulla compositio est ponenda, neque realis, neque rationis, neque actualis, neque potentialis.

72. **Errores — Veritas.** *Simplicitatem imperfectionis* Deo tribuunt PANTHEISTAE eum concipientes quasi ultimum substratum entium, quod limitatione vel evolutione fit omnia: *simplicitatem perfectionis* negarunt GENTILES et ANTHROPOMORPHITAE (saec. 3) Deo tribuentes corpus humanum et GILBERT. PORRETANUS (saec. 12) docens realem distinctionem inter essentiam et Personas atque inter attributa ad invicem [6]. **Veritas** proposita est in concilio RHEMENSI: « Credimus et confitemur *simplicem naturam divinitatis* esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus et Deus divinitas... Cum de tribus personis loquimur, Patre et Filio et Spiritu Sancto, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur ». CONC. vero VATIC. docet Deum esse « unam singularem, *simplicem omnino et incommutabilem substantiam spiritualem* » [7].

THES. 7. *Deus non solum est — 1 purissimus spiritus omnis materiae expers, sed — 2 simplicissimus, ita ut nulla sit in eo realis vel rationis compositio — 3 nec cum ceteris ullatenus possit in compositionem venire.*

---

[5] Sic in homine componimus animalitatem cum rationalitate, quia licet in ipso identificentur, in bruto tamen est animalitas sine rationalitate et in angelo intellectualitas sine animalitate.

[6] An ROSMINI (*Decr. Post Obitum* p. 26) hujusmodi errorem renovaverit, cum docuit divinas Personas esse tres formas *(realem, idealem* et *moralem),* dubitatur; siquidem nonnullis videtur non dixisse de formis distinctis *realiter* sed *ratione* tantum.

[7] CONC. RHEM. 1148 *cont. G. Porr.;* CONC. VAT. *Dei Filius* cp. 1; CONC. LAT. IV c. *Firmiter.*

73. **Prima pars.** *Deus est purissimus spiritus omnis materiae expers.* **Ex Scripturis** *ARGUM. 1.* Nam Scripturae non solum loquuntur de *Spiritu Domini* [8], sed Deum vocant *Spiritum* [9], docentes quod *Spiritus est Deus* [10]: atqui *spiritus* est substantia immaterialis [11] et, cum absolute sine genitivo specificationis adhibetur, ex sese [12] et ex usu scripturali [13] dicit ens omnis materiae expers: ergo. *ARGUM. 2. Spiritus est Deus et eos, qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare* [14]. Hoc testimonio Christus non solum docet spiritualitatem Dei, sed ex termino seu objecto naturam cultus divini determinans, praecipit cultum interiorem et spiritualem [15]: atqui cultus interior et spiritualis corpori, seu enti ex materia composito, convenire nequit; siquidem ei nec proportionatur, nec potest innotescere [16]: ergo. *ARGUM. 3. Patres carnis nostrae eruditores habuimus, et reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum et vivemus?* [17]. In hoc testimonio Apostolus in ratione *spiritualitatis* opponit Deum hominibus; ergo Deus meliori modo est spiritus quam homo: atqui homo a ratione spiritus non deficit quia immateriali substan-

---

[8] Gen. **6**. 3; Jud. **3**. 10; Sap. **12**. 1; Isai. **11**. 2 etc.

[9] Marc. **13**. 11; Luc. **1**. 35; Joan. **16**. 13; Act. **8**. 29; Rom. **8**. 26; I Corinth. **12** 11 etc.

[10] Joan **4**. 24; 2 Corinth. **3**. 17.

[11] « Primitiva significatio vocis *spiritus* absolute sumpti eo spectat ut designet aliquid tenue et facile mobile... Tum deinde deductum est ad significandum id quod materiale (intellige dependens a materia) licet, subtilius est tamen in viventibus, et principium quoddam motus existit in eorum corporibus... Tandem translatum est ad significandum id quod omnino materiam excedit » (PALMIERI *De Deo Creante* p. 153). Hinc sicut in lexicis spiritus contra corpus dividitur; ita Christus ad veritatem suae carnis post resurrectionem ostendendam ait: *Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habent, sicut me videtis habere* (Luc. **24**. 39).

[12] Nam *pars* per identitatem non dicitur de *toto*.

[13] In Scripturis *anima* nostra non vocatur *spiritus*, sed *spiritus hominis*. Gen. **6**. 17; Jos. **2**. 11; Tob. **10**. 9; Ps. **145**. 4; Luc. **8**. 55; 1 Corinth. **2**. 11; etc.

[14] Joan. **4**. 24.

[15] « *Spiritus est Deus* et qua talis omnes res corporeas et visibiles longissimo, imo infinito superans intervallo; ut itaque ei cultus reddatur naturae eius et perfectioni congruus, Deus ipsam creaturam superna ope et illustratione quodammodo ad se elevare debet: *et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare* ». KNABEN. *in Joan.* p. 170; PESCH n. 137.

[16] Non *proportionatur*, quia cultus excellentiam objecti debet referre: non potest *innotescere*, quia compositum solum per sensibilia ad spiritualia manuducitur.

[17] Hebr. **12**. 9.

tia careat, sed quia ex corpore et spiritu est compositus : ergo Deus est spiritus sine corpore. — **Patres** non solum cum ORIG. affirmant quod Deus « non *corpus* aliquod, aut *in corpore* esse putandus est ; sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se admixtionis admittens » [18], sed tantam aestimant ejus spiritualitatem, ut anima nostra ipsique angeli in conspectu Dei corporei appareant [19]. Porro anthropomorphismum, quasi cogitationem *turpiter vanam,* stultissimamque *haeresim* [20] damnant, spiritualitatem vero Dei demonstrant ex ejus *invisibilitate* [21], *ubiquitate* [22], *omnimoda vita* [23], *creatione spirituum* [24] et ratione *primae causae,* cui omnis dissolutionis principia repugnant [25]. — **Rationis** argumenta S. THOM. desumit ex notione *entis immobilis, purissimi actus* et *perfectissimi viventis,* quam Deo convenire supra probatum est [26]. Revera *a)* « nullum corpus movet non motum, ut patet inducendo per singula. Ostensum est autem supra quod Deus est primum *movens immobile.* Unde manifestum est quod Deus non est corpus. *b)* Necesse est id, quod est primum ens, esse in actu et nullo modo in potentia... quia quod est in potentia non reducitur in actum, nisi per ens in actu. Ostensum est autem supra quod Deus est primum ens. Impossibile est igitur quod in Deo sit aliquid in potentia. Omne autem corpus est in potentia; quia continuum in quantum hujusmodi divisibile est in infinitum... *c)* Deus est id quod est nobilissimum in entibus, ut ex dictis patet. Impossibile est autem aliquod corpus esse nobilissimum in entibus. Quia corpus aut est vivum, aut non vivum. Corpus autem vivum manifestum est quod est nobilius corpore non vivo. Corpus autem vi-

---

[18] ORIG. *De princ.* I c. I n. 6; HILAR. *in Ps.* **129** n. 3; CYRIL. Alex. *De Trin Dial.* 1; GREG. Naz. *Or.* 34.

[19] HIL., METHOD., THEOPH., GENNAD., CASSIAN. apud *Petav.* l. c.

[20] « Divinam naturam, quae incorporea est, velle facere divisibilem in partes, extremae simul est impietatis atque insipientiae » ORIG. *De Princ.* I n. 6 : « est blasphemum ». ATHAN. *De Synod.* n. 34; EPIPH. *haer.* 70 n. 5; DAMASC. *Haeret. fab.* IV c. 13; THEOD. *Hist.* p. 4 c. 19; etc.

[21] « Propterea Deus invisibilis dicitur, ne corpus esse credatur » AUG. *epist.* 147 c. 20 n. 48; EPIPH. *Haer.* 70 n. 5; GREG. Naz. *or.* 34; METHOD. apud *Petav.* II c. I n. 13.

[22] CYRIL. et GENNAD. apud *Petav.* l. c.

[23] FULG. *De Fide ad Petrum* c. 3 n. 28. Hoc argumentum sat obscure propositum a FULG., clare exponitur a S. THOM., ut mox videbimus.

[24] AUG. *De Civ. Dei* VIII c. 5.

[25] GREG. Naz. *Or.* 34.

[26] Supra n. 49 sqq.

vum non vivit inquantum corpus; quia sic omne corpus viveret. Oportet igitur quod vivat per aliquid aliud, sicut corpus nostrum vivit per animam. Illud autem per quod vivit corpus, est nobilius quam corpus. Impossibile est igitur Deum esse corpus » [27].

74. **Secunda pars.** *Deus est omnino simplex.* Nam **Scripturae** docent quod Deus est *ipsum esse* per se subsistens, *principium et finis* omnium, *immutabile* prorsus [28]: atqui ens compositum non est pura existentia, ut mox declarabimus; est posterius saltem logice suis partibus; et est mutabile, siquidem potest dissolvi: ergo. — **Patres** divinam simplicitatem expresse professi sunt docentes quod « *simplex* est natura divina et *compositione caret omni* » [29]; « Dei (quippe) simplicitas nulla ratione adumbratur » [30]. Eamdem doctrinam Patres aequivalenter proposuerunt affirmando identitatem omnium divinarum perfectionum cum divino supposito. « Deus, inquit AUG., ideo *simplex* dicitur quia, quod *habet,* hoc *est*... Ad se ipsum dicitur vivens, habendo utique vitam et eadem vita ipse est » [31]. Et IREN.: Deus est « *totus* cogitatio, *totus* voluntas, *totus* mens, *totus* lux, *totus* oculus, *totus* auditus, *totus* fons *omnium bonorum* » [32]. — **Ex ratione,** nam *a)* « omne compositum est *posterius* suis componentibus, et dependens ex eis. Deus autem est *primum* ens... *b)* Omne compositum *causam* habet. Quae enim secundum se diversa sunt, non conveniunt in aliquod unum, nisi per aliquam causam adunantem ipsa. Deus autem *non habet causam... c)* In omni composito oportet esse *potentiam* et *actum*... quia vel una partium est actus respectu alterius, vel saltem omnes partes sunt in potentia respectu totius », Deus autem est *actus purus* [33]. — CONFIRMATUR *ex praedictis de essentia Dei.* Nam ens, cuius essentia est existere, nullam compositionem realem vel rationis admittit. Profecto compositio, utut logica, *a)* supponit partes *adaequate inter se distinctas,* si enim mens intelligit unam partem ex sua ipsa ratione aliam includere, ei non *addit,* sed mere *distincte cogitat: b)* supponit partes

---

[27] S. THOM. 1. p. q. 3 a. 1 et 2.

[28] *Ego sum qui sum.* Exod. **3.** 14. Cf. supra n. 68. *Ego sum a* et *ω, principium et finis.* Apoc. **1.** 8; **21.** 6; **22.** 13; Isai. **41.** 4; **46.** 6; **48.** 12. *Ego Dominus et non mutor.* Malach. **3.** 6; Jac. **1.** 17.

[29] CYRIL. Alex. in *Joann.* VI.

[30] GREG. Naz. *Or.* 34.

[31] AUG. *De Civ. Dei.* XI c. 10.

[32] IREN. *Adv. haer.* I c. 12 n. 2; IV c. 11 n. 2; HIL. *De Trinit.* VII c. 23; EPIPH. *Haer.* 33 n. 2.

[33] S. THOM. 1 p. q. 3 a. 7.

quae in ratione *absoluti secernantur,* quippe relatio non concipitur quasi pars rei, sed uti respectus ejus ad aliud : *c)* supponit partes quae sibi respondeant ut *actus et potentia,* nam duo actus ejusdem ordinis multiplicant entia [34] : atqui pluralitas harum partium in esse, cujus essentia est existere, repugnat, siquidem existentia in se ipsa subsistens (seu actus purus et irreceptus) nullam potentialitatem admittit, et, infinite perfecta [35], aliam perfectionem in linea absoluti sibi addi non patitur [36] : ergo. — CONFIRMATUR ITERUM *exclusione singularum compositionum.* Nam quaevis compositio est essentiae et existentiae, vel suppositi et naturae, vel materiae et formae, vel substantiae et accidentis, vel naturae et individui, vel generis et differentiae. Atqui in Deo non datur compositio *essentiae et existentiae,* quia Deus est ipsum esse per se subsistens [37] : non datur compositio *suppositi et naturae,* quia ratio personae in Deo absolvitur *relatione* quae est *ad aliud,* unde cum natura, quae est in ordine absoluti, non componitur [38] : non datur compositio *materiae et formae,* quia Deus est purissimus spiritus : non datur compositio *substantiae et accidentis,* quia « subjectum (substantia) comparatur ad accidens, sicut potentia ad actum... esse autem in potentia omnino removetur a Deo », qui infinite perfectus nullis accidentibus perfici potest [39] : non datur compositio *naturae* et *individui,* quia notae individuantes radican-

---

[34] S. THOM. *III Dist.* 6 q. 2 a. 2.

[35] *Esse irreceptum* esse infinite perfectum infra declarabitur.

[36] « Qui est (Deus)? Non sane occurrit melius quam : *Qui est...* Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est *est.* Nempe hoc est ei *esse,* quod *haec omnia esse.* Si et centum talia addas non recessisti ab *esse;* si ea dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti ». BERNARD. *De consid.* V c. 6.

[37] Supra n. 68.

[38] Dicemus in tractatu de *Deo Trino.* Ceterum subsistentia (qua suppositum in propria ratione constituitur), quando *re* distinguitur a natura (scil. in creaturis), est *existentia* vel *modus substantialis* perficiens naturam : atqui Deus existentiam habet pro essentia, atque infinite perfectus nulla realitate potest perfici : ergo. Hinc GREG. Nyss. *C. Eunom.* I : « Repugnat cogitare aliud esse in Deo *suppositum,* aliud *essentiam quae participetur* ».

[39] S. THOM. 1 p. q. 3 a. 6. Hinc SCRIPTURA ea, quae in nobis accidunt, substantialiter praedicat de Deo, eum vocans *veritatem* (Joan. **14**. 6; 1ª **5**. 6) et *charitatem* (1 Joan. **4**. 16); PATRES vero affirmant quod « Dominus natura sua id ipsum *quod est veritatis* et sapientiae et virtutis *est substantia* » (GREG. Nyss. in *Cant.* hom. 7), « quamobrem nihil in eo *secundum accidens* dicitur » (AUG. *De Trinit.* V c. 1 n. 2).

tur in materia [40], quae Deo repugnat [41] : non datur compositio *generis et differentiae* quia differentia est totaliter extra rationem generis, unde haec compositio poneret in Deo aliquid extra rationem existentiae, quod est impossibile, siquidem ratio existentiae genera omnia transcendit [42]. Ergo in Deo nulla datur compositio, et ideo simplicissimus est praedicandus.

75. **Tertia pars.** *Deus cum aliis in compositionem non potest venire.* Nam pars *a)* toto est imperfectior, *b)* in unione cum alia mutatur, *c)* et in composito non operatur ex sese : atqui Deus, utpote ipsum esse per se subsistens (ὁ ὤν), est perfectissimus immutabilis et actus purissimus : ergo merito dicit DIONYS. quod « neque tactus est ejus (Dei), neque alia quaedam ad partes commiscendas communio » [43]. MAJOR, in qua est vis argumenti, facile intelligitur, *a)* est enim principium per se notum quod totum est majus sua parte : *b)* si vero pars in composito non mutaretur, suam individuam naturam servaret, unde *unum* ens cum altera comparte non efficeret : *c)* tandem philosopho est notum *principium quo remotum* operationum esse naturam, quae in ente composito non constituitur altera e compartibus, sed earum unione : si ergo Deus in compositionem cum altero veniret, suam operationem mutaret, quod moventi immobili profecto repugnat.

76. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** In Scripturis Deo tribuuntur membra corporis, ut *brachium, dextera, manus, oculi,* etc. [44], exprimitur dimensio, qua coelum et terram occupat [45], commemoratur ejus anima [46] : atqui haec sunt propria entis corporei : ergo. **Resp.** Cum post peccatum originale mens nostra egeat per corporalia

---

[40] S. THOM. 1 p. q. 3 a. 3.

[41] Hinc SCRIPTURA praedicata abstracta, quae naturam referunt, in Deo convertit cum praedicatis concretis, quae dicuntur de individuo. V. g. *Ego sum via, et veritas, et vita.* Joan. **14**. 6.

[42] Hinc SCRIPTURA infinitam distantiam Deum inter et creaturas praedicat (Ps. **70**. 19; **88**. 7; Isai **44**. 7); et PATRES affirmant cum CLEM. Alex. *Strom.* V, quod « Deus neque *genus* est, neque *differentia,* neque *species* ». « *Genus,* inquit CYRIL. Alex. *Dial.* 2 *de Trin.,* in Deo ullum nominare alienum a recta est ratione; quandoquidem nulla res omnino cum ipso est, aut ante ipsum ». Cf. THEOD., AUG. et ANSEL. apud. *Petav.* II c. 5; DAMASC. et BERNARD. apud. *De San* n. 57.

[43] DIONYS. *De div. nom.* c. 2.

[44] Isai. **51**. 9; Ps. **109**. 1; Num. **11**. 23; Ps. **32**. 18.

[45] *Numquid non coelum et terram ego impleo ?* Jer. **23**. 24.

[46] Isai. **42**. 1; Jer. **6**. 8 etc.

ad spiritualia manuduci [47], Scriptura invisibilia Dei sensibilibus imaginibus exhibet : *brachio* et *manibus* significant Dei potentiam, *dextra* dignitatem et virtutem, *oculis* cognitionem, *dimensione* praesentiam, *anima* cognitionem et maxime bonam voluntatem qua mala reprobat et diligit justos. Hinc DAMASC. : « Ea omnia quae corporea vel paululum ratione de Deo enuntiata sunt, figurate dicta sunt, altioremque sensum includunt, quippe cum Deus simplex omnisque figurae expers existat » [48].

77. **Objic. 2.** Homo creatus est ad imaginem et similitudinem Dei [49] : atqui homo est corporeus : ergo. **Resp.** « Homo dicitur esse ad imaginem Dei non secundum corpus, sed secundum id quo homo excellit alia animalia... Excellit autem homo alia animalia quantum ad rationem et intellectum. Unde secundum intellectum et rationem, quae sunt incorporea, homo est ad imaginem Dei » [50].

78. **Objic. 3.** Deus debet honorari cultu etiam *externo* : atqui cultus externus corpori exhibetur : ergo. **Resp.** Necessitas cultus externi non se habet ex parte Dei, sed ex parte nostri, qui per sensibilia ad spiritualia ducimur. Ceterum non *solo* cultu externo Deus colitur et ipso exteriori cultu honoratur *in spiritu et veritate,* quia praecipua ratio cultus externi non consistit in caeremoniis externis et inefficacibus, sicut erat in V. T., sed in dispositionibus, cogitationibus, affectibus animi, in fide, spe et charitate, quibus obsequium nostrum fit spiritualis [51].

79. **Objic. 4.** TERTUL. aperte Deum esse corpus testatur, nam ait : « Quis negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie » [52]. **Resp.** Communem sententiam unus Tertul. non infirmat [53] ; potest tamen et ipse benigne interpretari, prout corpus lato et improprio sensu dicitur de quacumque substantia [54], secundum illud AUG. : « Potuit propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, quia non est inanitas » [55].

80. **Objic. 5.** In Deo plura attributa distinguuntur, ut sapientia, bonitas, justitia, misericordia : atqui ubi attributorum multitudo inve-

---

[47] S. THOM. 3 p. q. 61 a. 1.

[48] DAMASC. *De Fide Orthod.* I n. 11 ; BASIL. *C. Eunom.* II ; GREG. Naz. *Or.* 7 et 30 ; CYRIL. Alex. *C. Jul.* V ; AUG. *De Gen. c. manich.* c. 17 ; *C. epist. fund.* c. 23 ; DIONYS. *De Div. Nom.* 1 et 9 ; FULG. *Resp. 9 ad ob. arian.* ; etc.

[49] Gen. 1. 26

[50] S. THOM. 1 p. q. 3 a. 1 ad 2.

[51] Cf. FRANZ. *De Deo Uno* th. 35 p. 377-80 ; CORNELY in *Rom.* p. 641-2 ; in 1 *Corint.* p. 70.

[52] TERTUL. *C. Prax.* n. 7.

[53] Cf. Vol. 1 n. 599.

[54] TERTUL. *De carne Chr.* n. 11.

[55] AUG. *De haer.* c. 86.

nitur, saltem compositio rationis adest : ergo. **Resp.** Uti jam innuimus, et infra melius patebit, ad compositionem rationis requiritur distinctio rationis *major,* qua unum attributum concipitur adaequate distinctum a ceteris, sed in Deo non est ita, quippe unumquodque attributum divinum, utpote infinitum, cetera implicite continet.

81. **Objic. 6.** Ibi est vera compositio ubi invenitur realis unitas cum reali distinctione : atqui in Deo est realis unitas in natura et realis distinctio in personis : ergo. **Resp.** Ad notionem compositionis non sufficit quaelibet multiplicitas, sed esse debet in eodem ordine in quo est unitas ; quia ergo in Deo unitas est in natura, quae pertinet ad ordinem realitatis absolutae, ad habendam in Deo compositionem etiam personarum, earum multiplicitas esse deberet in ordine absoluti, quod non est, ut suo loco videbimus.

82. **Objic. 7.** In Christo Deus substantialiter unitur homini : atqui quod alteri unitur cum eo componitur : ergo Deus potest in compositionem cum altero venire. **Resp.** In Christo natura divina et humana non componuntur sed manent impermixtae et inconfusae : unio non est in natura sed in persona, prout scil. secunda Persona SS. Trinitatis, quae ab aeterno subsistit in natura divina, sine ulla sui mutatione in tempore subsistere coepit in natura humana.

ART. 3 - DE INFINITA DEI PERFECTIONE.

83. **Quid perfectum et quomodo perfectus Deus.** *Perfectum,* juxta etymologiam, dicit *plene factum:* illud autem est plene factum, quod ulterioris complementi est incapax, omni sua potentialitate in actum jam deducta. De ratione ergo *perfecti* sunt duo : quod sit *factum,* et quod sit in *actu;* primum, ad rationem perfecti pertinet materialiter et connotative ; alterum, formaliter et per se. Unde, « per quamdam *nominis extensionem,* perfectum dicitur, non solum quod *fiendo* pervenit ad actum completum, sed etiam id quod *est* in actu completo *absque omni factione,* et sic Deum perfectum esse dicitur, secundum Matth. [1] : *Estote perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est* » [2].

84. **Perfectionum divisiones.** Actualitates seu perfectiones rerum possunt considerari respectu *subjecti* in quo sunt, et in *se ipsis* seu in omni ordine : primo modo perfectiones dicuntur *rela-*

[1] MATTH. 5. 48.

[2] S. THOM. *Cg.* 1. 28. Similia habent GREG. M. *Moral.* XXIII n. 11 et ISID. Hisp. *Sentent. I.*

tivae [3], altero *absolutae* [4]. Porro perfectiones *in se ipsis* seu *absolute* inspectae invicem aliquando pugnant; inde necessitas distinguendi inter perfectiones *simplices* et *mixtas*. Perfectiones *simplices* dicuntur quae in propria ratione imperfectionem seu potentialitatem non dicunt; unde, cum non repugnent aliis perfectionibus aequalibus vel melioribus, simpliciter loquendo *melius est habere eas*, quam non habere: *mixtae* vocantur quae cum propria actualitate aliquam potentiam ideoque imperfectionem involvunt; unde, cum excludant perfectiones aequales vel majores, simpliciter loquendo *melius est eas non habere* quam habere. Exemplum perfectionum simplicium habes in actualitatibus substantiae spiritualis, puta in *sapientia, justitia, caritate*, etc., exempla perfectionum mixtarum abundant in corporibus, et tales sunt *membra* hominis ejusque *figura, color*, etc.

85. **Qua ratione perfectio in subjecto possit inveniri.** Perfectio tripliciter inveniri potest in habente illam: *formaliter, formaliter et eminenter, eminenter tantum*. Invenitur *formaliter* quando adest in sua propria ratione, v. g. scientia, cum est vera et perfecta intellectualis cognitio: *formaliter et eminenter* quando, manente eodem formali conceptu perfectionis, possidetur modo meliori, ut v. g. animalitas bestiae in homine et scientia humana in angelo, qui sine ratiocinio conclusiones intuetur in praemissis: *eminenter tantum* quando perit formalis conceptus talis perfectionis, quae, sub diversa ratione, in ente superiori continetur, ut v. g. cum substantia corporea esse dicitur in spirituali, eo quod spiritus habet quidquid actualitatis substantialis invenitur in corpore et aliquid amplius [5]. Plerique addunt continentiam *virtualem*, qua causa possidet perfectiones sui effectus; verum hujusmodi continentia non inducit novum modum habendi perfectiones, sed addit tantum ordinem perfectionum ad objecta externa: perfectiones, quae *virtualiter* dicuntur esse in agente, revera in eodem sunt *eminenter* vel *formaliter* prout causa est aequivoca vel univoca.

86. **Quomodo perfectiones creaturarum sint in Deo.** In simplicissimo suo actu, Deum continere omnes perfectiones creaturarum,

---

[3] V. g. cornua in bove.

[4] V. g. ratio substantiae.

[5] In corpore duae compositiones substantiales distinguuntur, materiae scil. et formae quibus constat *natura*, esse et essentiae quibus efficitur *subsistentia*: in spiritu prima compositio non habet locum, et ideo spiritus est corpore simplicior et perfectior.

demonstrabimus in thesi; nunc attendas quomodo hujusmodi perfectiones praedicantur de Deo. PERFECTIONES MIXTAE non dicuntur de Deo *formaliter;* cum enim in sua ratione imperfectionem et potentialitatem involvant, sub propria formalitate esse nequeunt in Deo, actu purissimo; unde ei conveniunt *virtualiter* et *eminenter tantum.* Quod attinet ad PERFECTIONES SIMPLICES, considerandum est eas imperfectionem induere *ex modo* quo sunt in creaturis, in quibus extant *finitae,* realiter *distinctae, separabiles, contingentes* et *receptae* in subjecto; cum itaque efferuntur de Deo ente perfectissimo, praedicandae sunt in propria ratione sed non eodem modo, scil. *formaliter et eminenter* [6].

87. **Quid infinitum et quomodo Deus sit infinitus.** Juxta etymologiam *infinitum* dicit *non finitum;* unde formaliter exhibet notionem *negativam,* qua excluduntur limites in essendo; sed, quia limites tandem et aliquando non sunt nisi negatio ulterioris perfectionis, et duplex negatio *re* aequivalet affirmationi, « id quod notione infinita repraesentatur, totum *positivum est* » [7]. Porro perfectio, quae exclusione limitum annuntiatur de infinito, est omnimoda ejus extensio seu inexhauribilitas; infinitum ergo definiri potest: *illud quo majus nihil cogitari potest* [8]; vel *cujus semper aliquid extra est* [9], scil. cujus perfectio nulla limitata cogitatione comprehenditur, sed in eo semper manet aliquid aliud cogitandum [10]. Jam age: omnimoda haec perfectio considerari potest in determinato aliquo genere, puta albedinis, roboris, sapientiae, etc., vel in omni ordine, scil. in ipsa ratione entis: primo modo, infinitum est *secundum quid;* altero, *simpliciter.* Cum quaestio de INFINITATE DEI instituitur, hoc altero sensu proponitur; quaeritur nempe num Deus *extensive* et *intensive* habeat in gradu infinito omnem perfectionem; et quia tali enti deesse non possunt perfectiones cujusvis entis finiti, consequenter quaeritur an saltem *eminenter* omnes perfectiones creaturarum praedicari debeant de Deo [11].

---

[6] HONTHEIM *Theod.* n. 511-20.

[7] HONTHEIM *l. c.* n. 29.

[8] Hanc definitionem HONTHEIM n. 522 derivat ex ARIST. *De caelo* I c. 6.

[9] ARIST. *Physic.* III c. 6.

[10] Quidam definiunt infinitum: *extra quod nihil est;* sed merito ab Aristotele *(l. c.)* reprobantur, quia infinitum cum *toto* confundunt.

[11] CARTESIUS, GRATRY, GÜNTHER, FÉNELON aestimarunt notionem *infiniti* non derivari a creaturis (HONTHEIM n. 100 sqq.) et ex sese ducere ad cognitionem divinae existentiae; sed *infinitum* dupliciter *potest* deduci ex cognitione *finiti:* primo quidem *negatione* limitationum, quo modo procedit definitio Aristotelis et communis modus concipiendi; *indefinitum* enim intelligimus tamquam ens, quod in suo *fieri,*

88. **Deus est perfectissime vivens, verus, bonus, sanctus, etc.** Sequitur ex praedictis, siquidem *vita, veritas, bonitas, sanctitas, justitia,* etc. sunt *perfectiones simplices,* quae sine limite inveniri debent in ente infinite perfecto. Hinc Scriptura Deo tribuit VITAM *aeternam* [12], ex *vita* verum a falsis diis discernit [13], et docet Deum esse *ipsam vitam* [14]. — Similiter celebrat divinam SAPIENTIAM qua Deus omnia disposuit et gubernat [15], VERACITATEM qua Dei testimonium testimonio hominum praestat [16], docens Deum esse *veracem* [17], imo ipsam *veritatem* [18]. — De BONITATE Dei plenae sunt Scripturae, quae affirmant Deum esse *bonum* [19], imo *solum bonum* [20], et volunt ut de Deo sentiamus *in bonitate* [21]. — SANCTITATEM Dei saepe celebrat Isaias, qui audiens Seraphim alterum ad alterum clamantem : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum* [22], constanter Deum vocat *Sanctum Israël.* Sicut autem Scriptura de Deo praedicat sanctitatem [23], ita Deum exhibet exemplar sanctitatis nostrae [24].

89. **Deo debetur admiratio, reverentia, amor.** Deo debetur ADMIRATIO, quia infinita ejus veritas a nostra mente non exhauritur; unde, deficientes in cogitatione ejus, in admirationem rapimur. — « Ex hac autem admiratione Dei TIMOR procedit et REVERENTIA » [25], quippe naturale est homini revereri majestatem et timere potentiam, secundum illud Jeremiae : *Magnum est nomen tuum in fortitudine; quis non timebit te, o Rex gentium?* [26] — Verum non timorem solum, sed et AMOREM

---

non limitatur, et *infinitum* tamquam ens quod *actu* caret omni limitatione (TIL. PESCH *Inst. Log.* n. 1420) : secundo *affirmatione* absoluta et omnimoda perfectionis quae in creatura cernitur; quae quidem notio *omnimodae perfectionis* obtinetur abstractione a phantasmatibus et conceptione universalium. HONTHEIM n. 29 in nota.

[12] *Vivo ego in aeternum.* Deut. **32** 40.

[13] *Non colo idola manufacta, sed Deum viventem.* Dan. **14**. 4; Sap. **15**. 15; Ps. **113**. 5 etc.

[14] *Ego sum via, et veritas, et vita.* Joan. **14**. 6.

[15] *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Sap. **8**. 1; Eccli **24**. 1-31.

[16] *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* 1 Joan. **5**. 9; 1 Thess. **2**. 13.

[17] Joan. **7**. 18.

[18] Joan. **15**. 6.

[19] Ps. **72**. 1; **118**. 68; Thren. **3**. 25.

[20] *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus.* Matth. **19**. 17; **18**. 19.

[21] Sap. **1**. 1.

[22] Isai. **6**. 3.

[23] *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus.* Deut. **32**. 4; Hab. **1**. 13.

[24] *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Lev. **11**. 44; 1 Petr. **1**. 15; Matth. **5**. 48. Qui plura cupit adeat KLEUTGEN *De Deo* n. 427 sqq.; 661 sqq.; 698 sqq.; 587 sqq.; TANQUEREY *De Deo Uno* c. 2 a. 2.

[25] S. THOM. *Cg.* II c. 2.

[26] Jerem. **10**. 6.

fovet recogitatio infinitae majestatis. « Quidquid enim perfectionis in diversis creaturis particulariter distributum est, totum in Ipso universaliter est adunatum sicut in fonte totius bonitatis. Si igitur creaturarum bonitas, pulchritudo et suavitas sic animos hominum allicit, ipsius Dei fons bonitatis, rivulis bonitatum in singulis creaturis repertis diligenter comparatus, animos hominum inflammatos totaliter ad se trahet. Unde dicitur [27] : *Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo* » [28].

90. **Errores — Veritas.** Divinam infinitatem implicite negavere POLYTHEISTAE, qui, pluritatem deorum affirmantes, limitationem uniuscujusque induxerunt : item PHILOSOPHI et HAERETICI qui corpus Deo tribuerunt (nullum siquidem corpus esse potest infinitum) vel dixerunt Deo aliquid majus posse cogitari, vel de Deo perfectiones formaliter oppositas praedicarunt [29]. **Veritas** habetur in CONC. VATIC. : « Santa Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum... *omni perfectione infinitum* » [30].

THES. 8. *Deus — 1 perfectissimus est — 2 nulla creaturarum perfectio ei deest — 3 imo essentialiter infinitus existit.*

91. **Prima pars.** *Deus est perfectissimus.* Nam **Scripturae** Deo tribuunt omnem perfectionem in *esse* et in *operari*, eumque exhibent tamquam *exemplar* quod omnes imitari tenentur : atqui haec manifeste summam Dei perfectionem celebrant : ergo. Revera perfectionem divinae *naturae* optimis imaginibus describit Eccli. cum de aeternitate, potentia, pulchritudine ac benignitate Sapientiae disserit [31], eamque testatus est Dominus Moysi, cum promittens sui visionem ait : *ostendam omne bonum tibi* [32]. Perfectio divinae OPERATIONIS celebratur a Moyse, qui canit : *Dei perfecta sunt opera et omnes viae ejus judicia.* Deum totius esse perfectionis EXEMPLAR, cui quanto magis accedimus meliores efficimur, docuit Christus dicens : « *Estote perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus*

---

[27] Ps. **91**. 5.

[28] S. THOM. *Cg.* II c. 2; LESSIUS *De Perfect. divin.* l. 2 c. 3.

[29] Ex *Nat. Alex.* DE VIVO *Univ. theol.* etc. citat JOAN. de Mercuria, NICOL. de Ultricuria, EKKARDUM, F. SOCINUM, etc.

[30] CONC. VATIC. *Dei Filius* c. 1.

[31] *In omni gente primatum habui : et omnium excellentium et humilium corda calcavi.* Eccli. **24**. 10. 11.

[32] Exod. **33**. 19. Visio Dei inducere non posset notitiam *totius bonitatis*, nisi Deus in se esset *omne bonum* seu infinite perfectus.

est »[33]. **Ex Patribus** HILAR. exhibet Deum incrementi incapacem : « Deus beatus atque perfectus *profectu* (h. e. progressu in perfectione) *non eget,* cui nihil deest » : CYRIL. Hieros. per singula laudat omnimodam perfectionem Dei, qui est « *perfectus* in videndo, *perfectus* in potestate, *perfectus* in magnitudine, *perfectus* in praenotione, *perfectus* in bonitate, *perfectus* in benignitate » : AMBR. Deum superexaltat, quia « justus *per omnia,* sapiens *super omnia,* perfectus *in omnibus* »[34]. **Ex ratione.** Nam « sicut materia in quantum hujusmodi est in potentia ; ita agens in quantum hujusmodi est in actu : unde primum principium activum oportet maxime esse in actu, et per consequentes maxime perfectum »[35] : atqui Deus est primum movens immobile seu actus purissimus : ergo est summe perfectus.

92. **Secunda pars.** *In Deo sunt eminenter omnes perfectiones creaturarum.* **Ex Scripturis.** Nam Scriptura perfectiones creaturarum Deo tribuit titulo creationis. *Qui plantavit aurem non audiet ? aut qui finxit oculum, non considerat ?*[36] *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam ?*[37] atque docet ex perfectionibus creaturarum via excellentiae agnoscendum esse Deum, qui suis operibus *speciosior* et *fortior* est[38] : atqui omnibus rebus creatis communis est ratio *effectus Dei :* ergo. — Etiam **Patres** ex principio causalitatis perfectiones creaturarum in Deo agnoscunt. « Deus, inquit DIONYS., in una essentia *omnia praehabet*... non quidem hoc est et hoc non est, sed *omnia est, omnium causa*... cuncta continet secundum *superexpansam simplicem infinitatem suam* »[39]. AUG. sic Deum alloquitur : « Tu es Dominus omnium bonorum... apud te omnium rationalium et irrationalium atque temporalium sempiternae vivunt rationes »[40]. — **Ex ratione.** « Manifestum est enim quod effectus praeexistit virtute in causa agente. Praeexistere autem in virtute causae agentis, non est praeexistere imperfectiori modo, sed perfectiori ; licet praeexistere in potentia causae materialis sit praeexistere imperfectiori modo ; eo

---

[33] Matth. **5**. 48.

[34] HIL. in *Ps.* **2** n. 13 ; CYRIL. Hier. *Catech.* 6 n. 8 ; AMBR. *De off.* c. 2. ; AUG. in *Joan.* tract. 15 n. 4 et 5 ; SOPHR. in *ep. Synod.* Conc. VI ; etc.

[35] S. THOM. 1 p. q. 4 a. 1.

[36] Psal. **93**. 9.

[37] Isai. **66**. 9.

[38] Sap. **13**. 3-4.

[39] DIONYS. *De div. nom.* V n. 6.

[40] AUG. *Confess.* X. 27. Scil. omnia in Deo sunt eminentiori modo, ita ut vivant in summa ejus simplicitate.

quod materia inquantum hujusmodi, est imperfecta; agens vero inquantum hujusmodi, est perfectum. Cum ergo Deus sit prima causa effectiva rerum, oportet omnium rerum perfectiones praeexistere in Deo secundum eminentiorem modum » [41].

93. **Tertia pars.** *Deus est essentialiter infinitus.* Hoc EXPRESSE testatur Scriptura cum clamat : *Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis ejus non est finis* [42]; ut enim notat AUG. « in his, quae non sunt mole (quantitate) magna, hoc est *majus* esse, quod *melius* (h. e. perfectius) esse » [43] : Deus igitur tam perfectus est, ut in perfectione *non* habeat *finem* ac proinde sit *infinitus*. IMPLICITE idem docet Scriptura Deum tam magnum enuntians, ut a nulla creata mente possit *comprehendi* [44], nec *sufficienter laudari* [45], quippe est *laudabilis nimis* [46]; quod enim limitibus coarctatur, a creatura potest comprehendi et consequenter glorificari juxta meritum [47], imo ultra dignitatem, ita ut laus in adulationem transeat. — **Patres** non solum aperte docent quod « divina natura *interminata* est ac *infinita* » [48], sed infinitatem constituunt quasi praecipuum divinitatis characterem et fundamentum incomprehensibilitatis Dei. « Hoc solum, ait GREG. Naz., omnino de ipso (Deo) comprehendi potest, nempe, quod *immensus et infinitus sit* » [49]. Et AUG. : « Dei magnitudo a nobis inveniri et investigari nequit, quia *infinita est* » [50]. — **Ex ratione.** Nam « illud quod est maxime formale omnium, est ipsum *esse* [51]. Cum igitur esse divinum non

---

[41] S. THOM. 1 p. q. 4 a. 2. Aliud argumentum deduci potest ex *quarta via* (n. 52), qua probavimus entia finita procedere ab infinito.

[42] Ps. **144**. 3.

[43] AUG. *De Trinit.* VI c. 9.

[44] Jerem. **32**. 19; 1 Corinth. **2**. 9-10.

[45] *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc. Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis, major est enim omni laude.* Eccli **43**. 32 sq.

[46] Ps. **144**. 3.

[47] Gloria est *clara notitia cum laude.*

[48] GREG. M. *De vita Moysis.*

[49] GREG. Naz. *Or. in die Nativ.*

[50] AUG. *Enar.* in Ps. **144** n. 6; HIL. *tract.* in Ps. **144** n. 6; BASIL. in princ. *Evang. Joan.;* GREG. Naz. *orat.* 1 in *Faciamus hominem;* DAMASC. *De fide orth.* I c. 10.

[51] Scil. partes cujusvis compositi invicem se habent sicut materia et forma, quarum prima refert notionem potentiae, altera actus : licet autem in eodem composito plura rationem actus induant, puta forma substantialis et accidentalis; tamen melior ratio actus invenitur in *esse* seu existentia; alia enim sunt constitutiva vel corollaria essentiae quae sua existentia est imperfectior.

sit esse receptum in aliquo, sed ipse sit suum esse subsistens... manifestum est quod ipse Deus sit infinitus et perfectus » [52].

94. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Deus est pura existentia : atqui perfectio existentiae est alia a perfectione vitae, intelligentiae, bonitatis, etc., quippe multa existunt quae non intelligunt, neque vivunt : ergo. **Resp.** Existentia creata, quae in essentia recipitur, non continet omnes perfectiones, quia coarctatur ab essentia, in qua, juxta ejus capacitatem, recipitur; sed existentia divina est irrecepta, unde ad omnes modos essendi sese extendit, et est infinita. « Etsi, inquit BILLOT, in nostro modo concipiendi, *existentiae* perfectio distinguatur semper a perfectionibus secundum quas participatur existentia, ipsam tamen existentiam probe intelligimus, ut quae sit de conceptu suo *perfectio ultima* perfectionum omnium. Quapropter si ponatur subsistens et irrecepta in potentia subjectiva, necesse est ut *per modum summae identitatis* comprehendat perfectiones omnes » [53].

95. **Objic. 2.** Nisi pantheismum inducere velimus, fateri debemus Deum non habere *notas individuantes* creaturarum : ergo ei desunt quaedam perfectiones. **Resp.** Perfectiones mixtae in infinito inveniuntur *eminenter tantum;* notae vero individuantes, quae naturae superveniunt, sunt perfectiones mixtae, siquidem radicantur in materia prima [54].

96. **Objic. 3.** Infinitum est illud *quo nihil est majus:* atqui Deus cum creaturis est quid *majus,* quam Deus solus : ergo. **Resp.** Est quid majus extensive *trans.,* intensive *neg.* Perfectio entis spiritualis non mensuratur quantitate, sed meliori modo essendi; perfectiones ergo creaturarum non officiunt infinitati Dei, qui illas eminenter continet. Hinc AUG. : « Beatus qui te (Deum) scit, etiamsi illa (creata) nesciat. Qui vero te et illa novit, non propter illa *beatior,* sed propter te solum beatus est » [55].

97. **Objic. 4.** Si daretur infinitum secundum locum, alius locus foret impossibilis : si ergo Deus esset infinitus secundum substantiam, nulla alia substantia existeret. **Resp.** *Neg. parit.* Nam locus quivis in alio non continetur formaliter neque eminenter; perfectiones e contra entis inferioris sunt in superiori, sicut numerus minor in majori [56].

---

[52] S. THOM. 1 p. q. 7 a. 1. Profecto res non est perfecta in quantum est *capax* alicujus realitatis, sed prout, *existit* secundum illam.

[53] BILLOT *th.* 8 p. 98.

[54] Supra n. 86.

[55] AUG. *Conf.* V c. 4 n. 1.

[56] S. THOM. 1 p. q. 7 a. 1 ad 3; HONTHEIM n. 536-539.

CAPUT III.

De divinis attributis.

98. **Capitis divisio.** Compendii fines de singulis attributis loqui vetant : de praecipuis agentes praemittimus quae negativa forma percipiuntur. Sex autem articulis hoc caput absolvemus : 1 *De attributorum distinctione,* — 2 *de divina immutabilitate,* — 3 *de immensitate Dei,* — 4 *de ejus incomprehensibilitate,* — 5 *de aeternitate,* — 6 *de unitate.*

Art. 1 - De attributorum distinctione.

99. **Quid attributum divinum et quotuplex.** *Attributum* est proprietas seu perfectio quae, nostro modo concipiendi, consequitur naturam [1]; unde duo sunt de ratione divini attributi : « *primo* ut formalis ratio nomine expressa... non tropice, sed propria affirmatione de Deo dicatur; *secundo* ut ea ratio non sit aliquid commune Deo et creaturis... siquidem (attributum communiter habetur uti) *distinctivum* divinitatis ei conveniens primo seu convertibiliter » [2]. Attributa dividuntur *a)* in *negativa* et *positiva, b) absoluta* et *relativa, c) quiescentia* et *actuosa.* — *Negativa* sunt quae imperfectiones removent, v. g. immutabilitas : *positiva* quae in sua formali ratione perfectionem exhibent, v. g. sapientia : *absoluta* quae Deo conveniunt ex sese, v. g. bonitas : *relativa* quae Deo competunt respectu nostri, v. g. quod sit creator : *quiescentia* quae respiciunt ejus modum essendi, v. g. invisibilitas : *operativa* quae ejus modum agendi exprimunt, v. g. intellectio [3].

100. **Quid distinctio et quotuplex.** *Distinctio* opponitur identitati et denotat plurium differentiam. Atqui multorum differentia

---

[1] *Attributum* dicitur in ordine logico seu praedicamentorum; *proprietas* et *perfectio* in ordine ontologico seu rerum, ita tamen ut in prima principalius consideretur *distinctio* ab essentia, in altera *actualitas.*

[2] Scil. potest permutari cum nomine Dei, ut si dicam *sapientia* (h. e. Deus sapiens) *gubernat omnia.* Schiffini *Metaph.* II p. 410.

[3] Alii addunt attributa *stricte dicta* et late sumpta seu *proprietates :* illa concipiuntur quasi fluentia ex divina essentia, ut v. g. immutabilitas, aeternitas, sapientia; haec sunt diversae rationes seu expressiones naturae, ut v. g. simplicitas et infinitas. Franz. p. 262 sqq.; Pesch n. 145 sqq.; Tanquerey *l. c.* n. 22.

vel est *a parte rei,* ita ut res in se ipsis sint aliud et aliud, vel est *ab intellectu* qui unam eamdemque rem diverso modo concipit: si primum contingit distinctio est *realis,* si alterum, *rationis;* quae iterum dividitur in distinctionem rationis *ratiocinatae* et *ratiocinantis* prout a parte rei adest fundamentum distinctionis intellectus, vel non [4]. Exemplum distinctionis realis praebent essentia et existentia, materia et forma, quibus homo constituitur; *distintionis rationis ratiocinatae* genus et differentia, natura et notae individuantes; *rationis ratiocinantis* essentia et ejus definitio (v. g. *homo* et *animal rationale*), nomina quae diversa lingua eamdem rem exprimunt (v. g. *Messias* et *Christus, Kepha* et *Petrus*), et synonyma (v. g. *vestis* et *indumentum*). Utraque distinctio, realis scil. et rationis, subdividitur in *majorem* et *minorem:* distinctio realis dicitur *major* cum partes re possunt separari, *minor* cum separatim existere nequeunt; distinctio rationis vocatur *major* cum conceptus adaequate distinguuntur, *minor* cum unus conceptus implicite alium revocat [5].

101. **Quae distinctio in Deo admitti debeat.** In Deo datur distinctio *realis minor* inter divinas Personas quae, ut videbimus suo loco, realiter distinguuntur sed sunt inseparabiles; *rationis major* inter essentiam et personas, quatenus *absolutum,* quod est de ratione divinae naturae, et *relativum,* quod est de ratione divinae personae, adaequate contradistinguuntur; in ceteris quae ad divinam essentiam spectant, datur tantum distinctio *rationis minor,* quia, ut notat BILLOT, attributum essentiale exhibet realitatem quae concipitur vel ut *in se* vel ut *in subjecto:* atqui in Deo nihil concipi potest ut in subjecto: ergo attributum divinum concipi debet ut *subsistens,* ac proinde ut idem cum substantia: quo posito, patet unumquodque attributum cetera revocare; quae enim sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se [6].

102. **Quodnam distinctionis attributorum Dei fundamentum.** *Radicalis* ratio se habet ex parte divinae naturae quae sua simplicissima unitate continet omnes perfectiones creaturarum et alias infinitas; *formalis* et proxima pendet a modo quo nos Deum cognoscimus [7]. Scil. nos Deum cognoscimus per creaturas quae sunt mul-

---

[4] Distinctio *rationis ratiocinatae,* vocatur etiam *virtualis,* quia in re est aliquid quod *virtute* aequivalet pluribus. KLEUTGEN n. 266; JANSSENS p. 497.

[5] BILLOT p. 161. Supra n. 71.

[6] BILLOT p. 162.

[7] BILLOT *De Deo Tr.* th. 7 p. 396-7.

tiplicia et imperfecta specula Dei, et ideo non valemus uno conceptu Deum exprimere, sed defectui uniuscujusque cognitionis occurrere debemus multiplicitate notionum seu attributorum. Qui unico *Verbo* totum Deum dicit, est Deus ipse qui diversa attributa sua cognitione non distinguit, licet nostrae distinctionis fundamentum perspiciat [8].

103. **Errores — Veritas.** *Defectu* erraverunt ANOMAEI qui, ducibus AËTIO et EUNOMIO, perfectam *synonymiam* divinorum nominum praedicarunt necnon NOMINALES seu CONNOTATISTAE qui, auctoribus GUIL. OCCAM et GREG. ARIMINENSI, solam distinctionem *rationis ratiocinantis* obtruderunt, dicentes divina nomina non multiplicari ex diversa eorum significatione, sed per ordinem ad creaturas, in quibus eadem nomina diversam perfectionem exprimunt. *Excessu* erraverunt PALAMITAE qui cum GILB. PORRETANO (saec. 12), JOACHIM AB. (saec. 14) et GREG. PALAMA (saec. 14), a quo nomen sumpserunt, divina attributa praedicarunt realiter distincta ab invicem et a divina essentia : item SCOTISTAE qui distinctionem quamdam mediam inter realem et rationis, quam *formalem* nuncuparunt, introduxerunt [9]. **Veritas.** Contra *Eunomianos* et *Nominales* extat prop. damnata a JOAN. XXII : « Deus unus est omnibus modis et secundum omnem rationem; ita ut in illo non sit invenire aliquam multitudinem *in intellectu* vel extra intellectum... *Nulla igitur in Deo distinctio esse* vel *intelligi potest* [10] ». Contra *Gilb. Porretanum* datum est decret. CONC. RHEMENSIS : « Credimus et confitemur *simplicem naturam* divinitatis esse Deum... Sic ubi dicitur : Domini sapientia sapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum esse et alia hujusmodi [11] : credimus nonnisi ea sapientia, quae est ipse Deus, sapientem esse; nonnisi ea magnitudine, quae est ipse Deus, magnum esse... [12]; i. e. se ipso sapientem, magnum, aeternum, Deum » [13]. Contra distinctionem *Scotisticam* urgeri possunt verba ipsius CONC. RHEM., quae docent omnimodam identitatem realem inter divina attributa et essentiam Dei.

---

[8] PESCH n. 155. Aliquid simile contingit in beatifica visione, qua Deus uno intuitu percipitur. JANSSENS p. 498.

[9] Qui de Personarum distinctione erraverunt omittuntur quia agimus de *attributis absolutis*.

[10] Prop. 23 EKKARDI dam. a. 1329.

[11] Distinctio *saltem* rationis.

[12] Distinctio *solius* rationis cum reali identitate.

[13] CONC. RHEM. sub *Eug.* III a. 1148.

THES. 9. *Divina attributa invicem et a divina essentia distinguuntur — 1 ratione — 2 non autem realiter — 3 neque formaliter scotistico sensu.*

104. **Prima pars.** *Divina attributa invicem et a divina essentia ratione distinguuntur.* **Ex Scriptura.** Cum verba sint signa conceptuum, stabilis distinctio verborum veram distinctionem conceptuum (ideoque distinctionem rationis) manifestat: atqui Scriptura verba, quae divinas proprietates exhibent, constanter distinguit ea multiplicando [14] vel copulando [15]: ergo. — **Ex Patribus.** « Si ratio sapientiae, inquit GREG. Nyss., bonitatis et ceterorum, quae de Deo dicuntur, non est diversa, quid frustra Scriptura multis nominibus Deum nominat *judicem, justum, fortem, longanimem, verum, misericordem?* » [16]. Et BASIL.: « Si nomina quaevis idem de Deo significant, qui audierit Deum *immortalem,* cogitabit *ingenitum,* qui *indivisum, omnipotentem* » [17]. — Argumentum **rationis** sic proponitur a S. THOMA: « Ratio, quam significat nomen, est conceptio intellectus de re significata per nomen. Intellectus autem noster, cum cognoscat Deum ex creaturis, format ad intelligendum Deum conceptiones proportionatas perfectionibus procedentibus a Deo in creaturas. Quae quidem perfectiones in Deo praeexistunt unite et simpliciter; in creaturis vero recipiuntur divise et multipliciter. Sicut igitur diversis perfectionibus creaturarum respondet unum simplex principium *repraesentatum* per diversas perfectiones creaturarum varie et multipliciter; ita variis et multiplicibus conceptionibus intellectus nostri, respondet unum omnino simplex, secundum hujusmodi conceptiones imperfecte *intellectum.* Et ideo nomina Deo attributa, licet significent unam rem, tamen quia significant eam sub rationibus multis et diversis, non sunt synonyma » [18].

105. **Secunda pars.** *Divina attributa* RE *non distinguuntur. Nam* **Scriptura** divina attributa non solum praedicat de Deo *forma concreta,* quae verbum *habere* subaudit [19] et eorum distinctionem

---

[14] Sic v. g. cum de judicio agitur, Deus vocatur *justus* (Ps. **118**. 137); cum de remissione peccatorum, *benignus et misericors, patiens... et praestabilis super malitia* (Joel **2**. 13); cum de gubernatione mundi, commemoratur *multa sapientia Dei* (Eccl. **15**. 19).

[15] Sic. v. g. *Deus justus judex, fortis et patiens.* Ps. **7**. 12; Jer. **32**. 18; Sap. **7**. 22-3; Rom. **1**. 20.

[16] GREG. Nyss. *C. Eunom.* or. 12.

[17] BASIL. *C. Eunom.* I n. 8.

[18] S. THOM. 1 p. q. 13 a. 4.

[19] V. g. Petrus *est sapiens,* h. e. *habens sapientiam.*

a subjecto innuit, sed etiam *forma abstracta* dicens quod Deus est *lux, veritas, caritas, vita,* etc.[20]: atqui forma abstracta non exhibet perfectionem *ut in subjecto,* sed *in se ipsa:* ergo in Deo perfectiones subsistunt in se, et a subjecto (scil. a divina natura) non distinguuntur[21]. — **Ex Patribus.** « Non quia *bonus* vocatur, inquit CYR. Hier., et *justus,* et *omnipotens,* et *Sabaoth,* idcirco *varius* est et *diversus;* sed cum unus sit et idem, infinitas emittit divinitatis efficientias »[22]. Et AUG.: « Quod Deus *habet,* hoc *est*... Sic habet sapientiam, ut ipse *sit sapientia* faciatque sapientes; sic habeat vitam, ut ipse *sit vita* faciatque viventes »[23]; quapropter LEO M. subdit: « *Quidquid* (de Deo) utcumque sentitur, *non qualitas* est, sed *essentia* »[24]. — **Ex ratione.** Nam, ut attributum realiter distinguatur ab essentia, aliquam perfectionem debet afferre, quae in illa non continetur: atqui nulla est perfectio quae in divina essentia non contineatur; siquidem divina essentia est ipsum esse per se subsistens, quod omnem perfectionem eminenter dicit[25]: ergo.

106. **Tertia pars.** *Inter divina attributa non est agnoscenda distinctio formalis Scotistarum.* Profecto in cognitione non datur medium inter *rem cognitam* et *modum quo cognoscitur;* SCOTISTAE ergo, qui obtrudunt distinctionem independentem a mente, necessario inducunt *realem,* et incidunt in sententiam PORRETANI contradicendo Patribus, qui per identitatem praedicata enuntiant de essentia[26]. Ceterum Scotistae affirmant *distinctionem formalem* quia putant in Deo unum attributum alia non revocare: atqui hoc est falsum, siquidem attributum divinum est increatum, et ideo

---

[20] Joan. **14.** 6; 1ª **1.** 5; **4.** 16; 1 Corinth. **1.** 24.

[21] Verbum *est* identitatem facit inter subjectum et praedicatum: si praedicatum est concretum, identitas est inter subjectum et *habentem attributum,* quod potest consistere cum reali distinctione attributi a subjecto; sed si praedicatum est abstractum, identitas affirmatur inter subjectum et *attributum* ipsum quod proinde a subjecto (h. e. natura cum subsistentia) non potest realiter distingui.

[22] CYR. Hier. *Catech.* 6 Attendas quomodo multiplicitatem attributorum Dei desumat *ex creatione.*

[23] AUG. in *Joan.* tract. 48 n. 6; *De Trinit.* V, 10; *De Civ. Dei* XI n. 10.

[24] LEO M. Ep. 93 *ad Turrib.* Similia habent BASIL., *Epist.* 8 (al. 141) n. 4; DIONYS. *De Div. nom.* c. 1 et 2; FULG. *ad Ferd.* ep. 14 q. 2 n. 16; ANSEL. *Monol.* c. 16; BERNAR. *De cons.* V c. 7 n. 15.

[25] Cf. supra n. 93.

[26] Supra n. 105.

irreceptum seu subsistens, idem cum essentia infinita, cui nulla perfectio potest deesse [27] : ergo.

107. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Cum veritas sit adaequatio rei et intellectus, rationes, quae aliter sunt in mente quam in re, sunt falsae : atqui in Deo attributa re non distinguuntur : ergo neque in nostra mente. **Resp.** Cum differentia se tenet *ex parte modi,* quo res repraesentatur, et non ex parte *ipsius rei repraesentatae,* non habetur falsitas, nisi modus cognoscendi enuntietur de ipsa re : atqui in distinctione rationis, mens non praedicat de objecto distinctionem, sed tantum sub diverso respectu considerat : ergo distinctio rationis falsitatem non inducit. « Rationes plures, inquit S. THOM., horum nominum non sunt cassae et vanae, quia *omnibus* eis respondet *unum quid* simplex, per omnia hujusmodi multipliciter et imperfecte repraesentatum » [28].

108. **Objic. 2.** Si re identificantur justitia et misericordia, Deus *justitia parcit* et *misericordia punit :* atqui hoc est absonum : ergo. **Resp.** *Neg. maj.* Nam cum dico *Deus justitia parcit* non considero justitiam Dei prout est in se, sed prout a nobis concipitur, seu sub formali ratione qua contradistinguitur a misericordia. Ceterum a parte rei, cum una simplicissima natura omnibus attributis respondeat, haec ipsa et punit et miseretur.

109. **Objic. 3.** Plura attributa tota sua definitione distinguuntur; sive ergo inveniantur in intellectu, sive in re, nequeunt, salva veritate praedicationis, identificari; et ideo vel non sunt praedicanda de Deo vel dicendum est quod in ipso formaliter differunt. **Resp.** Attributorum *definitio* non sumitur ex modo quo sunt in subjecto, sed ex formali ratione perfectionis *in se ipsa* consideratae, praecisione facta a subjecto in quo invenitur; unde v. g. *sapientiae* definitio aeque salvatur in homine, in quo ex natura subjecti recipitur dimidiate et est accidens, ac in Deo, in quo invenitur gradu infinito et est substantia identificata cum ceteris attributis.

ART. 2 - DE DIVINA IMMUTABILITATE.

110. **Quid immutabilitas et quotuplex.** Mutatio est transitus de uno statu in alium; unde immutabilitas est *incapacitas noviter se habendi.* Iamvero diversus modus *se habendi* esse potest ab extrinseco et ab intrinseco : *ab extrinseco* cum ex aliorum varia-

---

[27] Supra n. 101; PESCH n. 149 sqq. [28] S. THOM. 1 p. q. 13 a. 4 ad 2.

tione novae relationes exurgunt [1], *ab intrinseco* cum rei constitutiva diversimode se habent prius et posterius [2]. Mutatio *extrinseca* perfectioni immutabilitatis non opponitur, siquidem rei perfectio vel imperfectio non petitur ex ordine ad alia sed ex iis quae in se habet: mutatio, igitur, quae imperfectionem dicit, est *intrinseca*, qua quis *in se ipso* aliter se habet prius et posterius; quaeque dividitur in *substantialem* et *accidentalem* prout mutatio contingit in esse primo [3] vel in secundo [4]. Itaque Deus est prorsus immutabilis, si *in se ipso* nec substantialiter nec accidentaliter aliquid accipere vel amittere potest.

111. **Quomodo cum immutabilitate concilientur divinae operationes.** Si agitur de *operationibus necessariis*, quibus Secunda et Tertia Persona SS. Trinitatis procedunt, nulla difficultas; operatio enim in Deo identificatur cum essentia: sed difficultas est pro *operationibus liberis*, quia libertas importat quamdam indifferentiam, et quia actus liberi [5] sunt in tempore et non ab aeternitate. Jamvero non solvitur difficultas si cum AUREOLO dicatur divinam operationem *extrinsece* liberam denominari; Deus enim *in se ipso* est liber et creator: item non solvitur si cum CAJETANO ponatur in Deo augmentum perfectionis; hoc enim repugnat simplicitati et infinitati ejus: neque solvitur si cum VASQUEZ actum necessarium ex suo termino fieri liberum affirmetur; siquidem causa non constituitur in propria formali ratione ex effectu, sed potius e converso. Dicendum ergo quod libertas Dei essentialiter differt a nostra: nostra respicit *substantiam actus*, quo terminum attingimus; libertas Dei non respicit actum, qui re identificatur cum sua substantia et est ab aeterno, sed ejus *terminum* tantum: scil. Deus ab aeternitate vult *pro* tempore, et ideo sine mutatione divinae voluntatis res creatae in tempore esse incipiunt. Ceterum cum SUAREZ [6] fateri debemus hoc esse unum e praecipuis mysteriis inscrutabilis majestatis Dei [7].

112. **Errores — Veritas.** Ut taceamus de PANTHEISTIS Deum concipientes quasi mundi materiam quae suo *fieri* constituit universa; commemorandi sunt STOICI qui Deum aestimabant corruptioni obnoxium, et SOCINIANI qui actus divinos contingentes et

---

[1] Sic. v. g., adveniente animali, columma, quin in se mutetur, proximum habet quod prius erat a longe.

[2] V. g. infirmus qui sanatur.

[3] Scil. in esse *substantiali*, ut cum vivens moritur.

[4] Scil. in esse *accidentali*, ut cum idiota fit sapiens.

[5] V. g. *creatio*, *sanctificatio*, etc.

[6] SUAREZ *De Deo* II c. 3 n. 4.

[7] PESCH n. 162; JANSSENS p. 345; C. MAZZELLA *De Deo Creante* n. 73; HURTER n. 72.

mutabiles faciebant. **Veritas** proponitur a CONC. LAT. IV. « Firmiter credimus... quod... est verus Deus, aeternus, immensus et *incommutabilis,* etc. » [8].

THES. 10. *Deus est prorsus immutabilis.*

113. **Scriptura** *a)* apertis verbis testatur immutabilitatem Dei, *apud quem non est mutatio nec vicissitudinis obumbratio* [9]: *b)* in hac immutabilitate constituit characterem proprium Dei, qui *non est ut filius hominis, ut mutetur* [10]: *c)* radicem vero hujus immutabilitatis ponit in ratione *esse per se stantis,* secundum illud MALACH.: *Ego Dominus* [11] *et non mutor* [12], scil. cum ego sim *ipsum esse per se subsistens,* cui nihil addi vel demi potest, mutari nequeo. Similiter PSAL.: *Tu idem ipse es et anni tui non deficient* [13], « quia scil. Deus est *ipsum esse suum* illimitatum, independens, sequitur ipsius quoque *esse* habere immutabilitatem » [14]. — **Patres** non solum *a)* factum divinae immutabilitatis testantur, dicentes cum CYRIL. Alex. quod « natura divina in seipsa firma et stabilis est, *nec mutationem in aliud recipit,* sed eodem modo se semper habet » [15], verum *b)* RATIONES plurimas hujus immutabilitatis assignant. *Ex notione primae causae* « quippe naturae a Deo factae (ideo tantum) *proficere* possunt, quia esse coeperunt: ideo *deficere,* quia ex nihilo factae sunt » [16]. *Ex notione esse per se subsistentis,* nam « *esse* est nomen immutabilitatis. Omnia enim quae mutantur desinunt esse quod erant, et incipiunt esse quod non erant. *Esse* verum, *esse* sincerum, *esse* germanum non habet nisi qui non mutatur » [17]. *Ex simplicitate,* siquidem « compositio pugnae initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis (scil. corruptionis). Solutio porro nullo modo in Deum ac primam naturam cadit » [18]. *Ex omnimoda unitate,* etenim « non

[8] CONC. LAT. IV c. *Firmiter.* Cf. CONC. NIC. et VATIC. *Dei Filius* c. 1.

[9] Jac. **1**. 17. Cf. 1 Reg. **15**. 29; Sap. **7**. 27; Isai. **46**. 10, etc.

[10] Num. **23**. 19. Et Ps. **101**. 27-8. *Coeli peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent... Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*

[11] יְהוָה *Jahve* - ὁ ὤν - *existens.*

[12] Malach. **3**. 6.

[13] Ps. **101**. 28.

[14] LORIN. in *h. l.* « Tu quis es? interrogat AUG. enar. 2 n. 12, *Idem ipse es.* Tu qui dixisti *Ego sum qui sum,* idem ipse es ».

[15] CYR. Alex. in *Joan.* I.

[16] FULG. *De Fide ad Petr.* c. 3.

[17] AUG. *serm.* 7 n. 7; *De Civ. Dei* XII. 2; *De nat. boni* c. 9; in *Joan.* tract. 38.

[18] GREG. Naz. *or.* 34; AUG. *De Civ. Dei* XI c. 10; DAMASC. *De fide orth.* I c. 8.

dividitur unitas, nec scinditur, et ideo nec corruptelae subditur, nec aetati »[19]. *Ex infinitate* perfectionis « quippe *incrementum* illud, quod in majus fit, in infinito locum non habet. Quod autem natura sua pati nihil potest, nullam *diminutionis* cogitationem admittit »[20]. *Ex omnimoda veritate* « quod enim mutari et alterum fieri potest, non diceret de se ipso : *ego sum veritas*. Nam si quando hoc est, aliquando non est, secum ipse mentitur »[21]. *Ex aeternitate*, nam « quod commutabile est, tempori obnoxium est. Non enim semper ejusmodi est, et ideo aeternum non recte dicitur »[22]. — **Rationes** jam audivimus a Patribus : cum S. THOM. notare possumus quod mutatio supponit *potentiam* ad novum statum, *compositionem* qua aliquid in unitatem praeexistentis naturae assumatur vel de illa recedat, *limitationem* sine qua nec concipi potest augumentum vel diminutio : atqui Deus est *actus purus, simplex* et *infinitus*[23], ergo est immutabilis.

114. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Docet Scriptura Deum in tempore creasse mundum, humanam assumpsisse naturam, juxta opera bonis retribuere praemia et malis poenas, imo quod poenituit se fecisse hominem[24] : atqui... ergo. **Resp.** Quamvis creatione, justificatione impii, incarnatione, etc., exurgant novae relationes quibus Deus fit creator, sanctificator, etc. ; hae tamen relationes Deo sunt *extrinsecae*, siquidem habent fundamentum in sola creatura, quae tota sua substantia omnibusque suis accidentibus dicit ordinem ad Deum tamquam ad causam supremam totius ordinis naturalis et supernaturalis. Ex similiter, cum Deus transit de amore in odium et vicissim, mutatio non est in actu divino, sed in ejus termino, scil. in homine, qui poenitentia vel peccato meretur divinum amorem vel odium ; amorem quidem vel odium quod a tota aeternitate praevisum, divinum consilium, cum evenit, non mutat sed complet[25].

115. **Objic. 2.** De divina Sapientia legimus quod *omnibus mobilibus mobilior est*[26] : ergo. **Resp.** Mobilitas non sumitur tantum *passive* de transitu potentiae in actum, sed etiam *active* de efficaci operatione, qua aliquid movetur, et sic dicitur mobilis divina Sapientia quae, *in se permanens, omnia innovat*[27] ; quae scil., ut dicit AUG., « novit quiescens agere, et agens quiescere »[28].

---

[19] AMBR. *De Fide* c. 2.
[20] GREG. Nyss. *C. Eunom.* 12.
[21] CYRIL. Alex. *Thesaur.* 13.
[22] AUG. *Quaest.* 83 q. 19 ; CYRIL. Alex. in *conc. Ephes.* et *C. Nestor.* I ; PROSP. *sent.* 3 ; FULG. *De Fide* c. 3.
[23] S. THOM. 1 p. q. 9 a. 1.
[24] Gen. **6**. 6.
[25] S. THOM. 1 p. q. 13 a. 7.
[26] Sap. **7**. 24.
[27] Sap. **7**. 27.
[28] AUG. *De Civ. Dei* XII c. 17.

116. **Objic. 3.** Si Deus non mutaret consilium, inutiles forent preces. **Resp.** « Oratio nostra non ordinatur ad immutationem divinae dispositionis, sed ut obtineatur nostris precibus quod Deus disposuit [29] ». Scil. preces impleunt conditionem quam Deus ab aeterno statuit pro bonorum collatione [30].

ART. 3 - DE DIVINA IMMENSITATE.

117. **Immensitas, ubiquitas.** Quod *infinitas* dicit secundum perfectionem, IMMENSITAS exhibet secundum extensionem seu melius secundum locum, et est perfectio qua divina natura *metiri nequit,* sed « ratione incommensurabilis suae virtutis operativae, potest quantum ex sese praesentialiter adesse quibuslibet assignabilibus spatii dimensionibus et continere eas vi continentiae numquam exhaurienda, sed semper in infinitum excedente » [1]. Hinc patet immensitatem non esse attributum relativum sed *absolutum,* quod Deo competit ab aeternitate antequam spatia existerent; non quasi Deus adfuerit infinitis spatiis imaginariis (quae nihil sunt), sed quia a tota aeternitate habet virtutem qua sicut absque sui mutatione factus est praesens mundo, cum coepit; ita adstasset innumerabilibus spatiis, si creata fuissent. UBIQUITAS est attributum *relativum* quod immensitatem sequitur, supposita creatione, et est proprietas qua Deus realiter adest omnibus creaturis.

118. **Triplex ubiquitas** (per *potentiam, praesentiam* et *essentiam*). « Rex, inquit S. THOM., dicitur esse in toto regno per suam *potentiam*, licet non sit ubique praesens. Per *praesentiam* vero

---

[29] S. THOM. 2-2q. 83 a. 2 ad 2.

[30] De orationis *virtute* multa extant monumenta archaeologiae christianae, quae invenies apud P. SYXTUM *Not. Arch.* II p. 2 c. 3 a. 8; MARUCCHI *Man. di arch. crist.* p. 4 c. 4; p. 5 c. 3. Quod vero attinet ad *modum* quo bona petita obtinentur, distingue inter bona quae directe a Deo fiunt (v. g. gratia sanctificans), et alia quae Deus operatur per creaturas liberas (v. g. elehemosyna) vel necessarias (v. g. pluvia). De illis nulla difficultas, nam « oratio justi clavis est coeli : ascendit precatio et descendit Dei miseratio » (AUG. *De Temp.* ser. 226 n. 1). Quae pendent a causis liberis obtinemus a Deo prout *cor regis in manu Domini quocumque voluerit inclinabit illud* (Prov. **21**. 1). Quoad alia nota applicationem virium naturalium saepe fieri interventu causae liberae maxime angelorum bonorum vel malorum et subduntur Deo, qui etiam miraculis praeter et contra naturae ordinem potest operari. Cf. BILLOT. *th.* 30 p. 259.

[1] BILLOT. *th.* 9 p. 109.

suam dicitur aliquid esse in omnibus, quae in conspectu ipsius sunt..., secundum vero substantiam vel *essentiam* dicitur aliquid esse in loco, in quo ejus substantia habetur... Sic ergo (Deus) est in omnibus per *potentiam,* inquantum omnia ejus potestati subduntur; est per *praesentiam* in omnibus, inquantum omnia *nuda sunt et aperta oculis ejus* [2]; est in omnibus per *essentiam,* inquantum adest omnibus ut causa essendi » [3].

119. **Divinae praesentiae radix.** Post SCOTUM divinam praesentiam *per essentiam* MOLINA [4] explicat simultaneitate substantiae Dei et substantiae creatae in eodem loco, quam praesentiam operatio non constituit sed subsequitur, eo quod prius sit *esse in loco* quam operari. Sed respondet BILLOT eum decipi, cum praesentiam Dei praesentia creaturarum vult metiri. Creaturae non constituuntur formaliter in loco *operatione,* quia eorum operatio a substantia distinguitur, et instrumentaliter potest pervenire ubi non est eorum substantia [5]; at operatio divina non est accidens transiens in passum, sed est sua substantia; et ideo, ubi est Dei operatio, ibi est Dei substantia [6]. Imo in Deo praesentia operationi praeambula repugnat; siquidem Deus sua operatione est causa entis, quod abstractione facta a divina operatione, non solum non intelligitur Deo coëxistere, sed neque *esse.* Sicut igitur Deus *creando* factus est praesens mundo, sic nos *conservando* et *agendo* operationes nostras adest nobis [7]. Et ideo S. THOM., qui praesentiam *per essentiam* in creaturis explicaverat existentia substantiae *in loco,* in Deo exponit operatione, dicens eum omnibus praesentem esse « in quantum adest omnibus ut *causa essendi* » [8].

120. **Modus divinae praesentiae intimius explicatur.** Ex statuto principio de divina praesentia per operationem intelligitur quomodo Deus totum nostrum esse pervadat, et tam intime adsit nobis, ut APOSTOLUS dixerit quod *in ipso vivimus, movemur et sumus* [9]. Revera ex divina operatione sequitur Deum *extensive* esse praesentem omni nostro esse et operari, et *intensive* non solum attingere modum ac veluti corticem nostri esse sed intrinsecus nos pervadere: sequitur *universalis* Dei *praesentia,* quia omnis realitas creata, sive substantialis

---

[2] Hebr. **4**. 13.

[3] S. THOM. 1 p. q. 8 a. 3.

[4] MOLINA in 1 p. q. 8 disp. 4.

[5] V. g. cum penicillo pictor fit praesens tabulae, quam sua substantia non tangit.

[6] S. THOM. 1 p. q. 8 a. 1 c.; ad 3.

[7] BILLOT p. 105-8.

[8] S. THOM. 1 p. q. 8 a. 3. De praesentia spiritus *in loco* agemus in tractatu de *Eucharistia.*

[9] Act. **17**. 28. Scil. « vita omnis, omnis motus, ipsum esse in eo solum habetur, ab eo accipitur, per eum conservatur; in eo tamquam in causa efficiente nos toti versamur ». KNABEN. in *h. l.*

sive accidentalis, est a causa prima: sequitur *intima* Dei *praesentia,* quia, dum creatura non efficit omnia, quae sunt in termino suae operationis [10], et non attingit *esse* rerum [11], operatio Dei causat omnia quae sunt in rebus ipsumque *esse* quod, sicut maxime habet de ratione entitatis, ita maxime pendet a principio *totius esse* [12]. Porro effectus non habet in se rationem sufficientem propriae existentiae; secundum modum ergo, quo a causa processit, debet ab eadem *conservari.* Et ideo sicut, « remoto aedificatore, tollitur... *fieri* domus cujus causa est, (ita)... remota causa essendi tollitur *esse*... Unde oportet quod operatio ipsius, qui dat esse, non sit intercisa, sed continua... Ex quibus omnibus aperte colligitur quod Deus est unicuique intimus, sicut *esse proprium* rei est intimum ipsi rei, quae nec incipere nec durare posset, nisi per operationem Dei, per quam suo operi coniungitur, ut in eo sit » [13].

121. **De supernaturali praesentia Dei.** Profecto si divina operatio est fundamentum divinae praesentiae, cum Deus non in solo ordine naturali sed et in supernaturali agat, datur etiam supernaturalis praesentia Dei [14], de qua loquuntur Scripturae dicentes Deum speciali modo esse in *patriarchis* [15], in iis qui *dona gratis data* [16] vel *gratum facentia* [17] suscipiunt; in *locis* in quibus Deus sensibiliter apparuit et vult coli [18]; in *Ecclesia* quam assistit, gubernat et sanctificat [19]; in

---

[10] Operatio creaturae numquam pertingit ad *totum* esse rei, sed coarctatur ad productionem (vel melius eductionem) formae substantialis, vel accidentalis; semper enim agens creatum praesupponit subjectum in quo sua operatio recipiatur. S. THOM. *De Potent.* III a. 4.

[11] Sic v. g. homo non est causa *humanitatis, sapientiae, bonitatis,* sed est causa cur Petrus sit *homo, sapiens, bonus.* Hoc, quod experientia constat, potest deduci ex principio causalitatis quod vetat causam univocam esse principium adaequatum vel principale perfectionis in qua cum effectu convenit. Profecto, cum sunt multi effectus ejusdem rationis, omnes procedere debent ab una causa suprema in qua talis perfectio illimitate continetur (cf. n. 52); si ergo causa univoca esset causa principalis sui effectus in illa ipsa ratione, in qua cum ea convenit, esset etiam causa sui. Iamvero *esse* in causa creata et in suo effectu est univocum: ergo *esse* rerum a nulla creatura potest attingi, nisi uti instrumentum Dei. S. THOM. 1 p. q. 104; *Cg.* II c. 21; III c. 65.

[12] Cf. *Argumentum quartum* pro existentia Dei, supra n. 52.

[13] S. THOM. I D. 37 q. 1. a. 1.

[14] De praesentia Dei in justo, quem *inhabitat,* dicemus in tractatu de *gratia.*

[15] Gen. **26.** 3; 24; Exod. **3.** 12, etc.

[16] Luc. **1.** 41; Joan. **20.** 22; Act. **7.** 55, etc.

[17] Joan. **14.** 23; Act. **2.** 4; I Corinth. **3.** 16; etc.

[18] Gen. **28.** 17; Exod. **3.** 5; 3 Reg. **8.** 29, 30; Matth. **21.** 13, etc.

[19] Matth. **28.** 20.

coelis ubi sanctis se manifestat [20]; in *humana natura* Christi cui hypostatice se conjunxit [21].

122. **Errores — Veritas.** Veram immensitatem, seu substantialem Dei praesentiam in omni loco, negarunt jam POLYTHEISTAE singulis diis proprium locum assignantes [22]: accesserunt JUDAEI rudiores disputantes an Deus esset in templo Jerosolymitano vel in monte Garizim [23]; secuti sunt MANICHAEI Deum bonum a corporibus removentes [24]: item PHILOSOPHI quidam antiqui collocantes Deum in primo coelo [25], nec non SOCINIANI et RATIONALISTAE [26] concedentes Deo universalem quamdam praesentiam per operationem, sed negantes Deum omnibus adesse per substantiam. **Veritas** prostat in CONC. LATER. IV: « Credimus... quod unus solus est verus Deus aeternus, *immensus* et incommutabilis... » [27].

THES. 11. *Deus — 1 est ubique — 2 imo vere immensus.*

123. **Prima pars.** *Deus est ubique.* **Ex Scripturis.** Divinam ubiquitatem ex nostra impotentia fugiendi a facie Domini, sic describit PSAL.: *Quo ibo a Spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum ades; si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me et tenebit me dextera tua* [28]. Similiter Deus in JEREM.: *Numquid non coelum et terram ego impleo?* [29] Hinc PAULUS: Deus *non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, movemur et sumus* [30]. — **Patres** *a)* docent cum AUG. quod « substantialiter Deus est *ubique diffusus*... unde fatendum est ubique esse Deum per divinitatis praesentiam » [31]: *b)* divinam hanc ubiquitatem demonstrant *ex Scripturis,* maxime ex *Ps.* **138** [32]; *ex omnipotentia,* siquidem

---

[20] 3 Reg. **8**. 39; Isai. **66**. 1; Matth. **18**. 10, etc.

[21] Joan. **1**. 14; Colos. **2**. 9. Cf. S. THOM. 1 p. q. 8 a. 3; PESCH n. 175.

[22] 1 Reg. **20**. 23.

[23] Joan. **4**. 20.

[24] Apud LÉPICIER *De Deo* p. 305.

[25] Apud TANQUEREY *De Deo* n. 37.

[26] TANQUEREY *loc. cit.* e rationalistis commemorat *Hauréau, Rémusat, Crombie.*

[27] CONC. LAT. IV c. *Firmiter;* VATIC. *Dei Filius* cp. 1.

[28] Ps. **138**. 7-10.

[29] Jerem. **23**. 24.

[30] Act. **17**. 27-8. Cf. Hebr. **1**. 3, ubi Apostolus, docens quod Deus *omnia portat verbo virtutis,* manifestat necessitatem divinae conservationis, quam consequitur divina praesentia.

[31] AUG. *Epist.* 57 al. 187; *Quaest.* 83 q. 20; in Ps. **30** enar. 2 n. 7; in Ps. **112** n. 4; CYRIL. Alex. *C. Jul.* II; etc.

[32] ORIG. in *Gen.* 12; CYRIL. Alex. in *Joan.* c. 9; HILAR. *De Trinit.* l. 1;

« Dei potentia nihil aliud est quam ejus essentia » [33]; et ex ratione *causae primae,* « ab eo enim *quod est,* pendent omnia, neque fieri potest, ut sit aliquid, quod in eo, *quod est,* esse non habeat » [34]: *c)* ex illa tamquam ex noto et certo principio deducunt *spiritualitatem* Dei, qui, si esset corpus, « non posset omnia permeare, et implere omnia quemadmodum Scriptura testatur » [35]; *divinitatem Filii et Spiritus Sancti* qui, teste Scriptura, sunt ubique [36]; necnon officium *praecavendi peccata* Deumque ubique laudandi [37]: *d)* illustrant similitudine aëris qui, ubique diffusus, intime nos pervadit [38]: atque *e)* explicant quomodo ubiquitas non repugnet spiritualitati Dei, qui *totus* est ubique [39], nec *ulli rei commiscetur* [40]. — **Ratio** praecipua sumitur cum GREG. Nyss. et AUG. [41] ex notione *causae primae.* Profecto, ut jam innuimus [42], « Deus est in omnibus rebus... sicut agens adest ei in quod agit. Oportet enim omne agens conjungi ei in quod immediate agit, et sua virtute illud contingere... Cum autem Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet quod esse creatum sit proprius effectus ejus; sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis. Hunc autem effectum causat Deus in rebus, non solum quando primo esse incipiunt, sed *quamdiu in esse conservantur;* sicut lumen causatur in aëre a sole, quamdiu aër illuminatus manet. Quamdiu igitur res habet esse, tamdiu oportet quod Deus adsit ei secundum modum quo esse habet. Esse autem est illud quod est magis intimum cuilibet, et quod profundius omnibus inest... Unde oportet quod Deus sit in omnibus rebus et intime » [43].

124. **Secunda pars.** *Deus est immensus.* Divinam immensitatem profitentur **Scripturae** forma absoluta, cum dicunt quod Deus *magnus est et non habet finem, excelsus et immensus* [44],

---

CHRYS. in *Ps.* **112.** c. 12 n. 5; etc.

[33] HIL. *De Trinit.* l. 8.

[34] GREG. Nyss. *Catech.* c. 25; AUG. in *Joan.* trac. 2 n. 10.

[35] GREG. Naz. *or.* 34.

[36] HIL. *De Trinit.* l. 2; ATHAN. *ad Serapion.;* DIDYMUS *De Spir. Sancto* l. 1; AMBR. *De Spir. S.* I c. 7 et *ep.* 33; BASIL. *De Spir. S.* c. 22; etc.

[37] Profecto vir justus « ejusmodi est, cui persuasum est Deum *ubique* adesse, non autem certis ac definitis locis esse conclusum; ut, cum se absque eo aliquando existimaverit, noctu et interdiu intemperantiae se dedat, et libidini ». CLEM. Alex. *Strom.* c. VI.

[38] CHRYS. in *Act.* hom. 38.

[39] CHRYS. in *ps.* **138** apud *Petav.* VIII n .7; AMBR. *De Fide* I c. 4 et 8; *De dign. hominis* c. 2; DAMASC. *De Fide orth.* I c. 14; etc.

[40] EUSEB. *Demonst. Evang.* c. 4.

[41] GREG. Nyss. *Catech.* c. 25; AUG. in *Joan.* tr. 2 c. 10.

[42] Supra n. 119.

[43] S. THOM. 1 p. q. 8 a. 1.

[44] Baruch **3.** 25.

forma relativa, cum docent quod amplitudine coeli *capi non potest* [45], sed *excelsior coelo est... profundior inferno..., longior terra..., et latior mari* [46]. — **Patres** *a)* affirmant quod « neque Pater in loco, neque Filius in *circumsepta aliqua,* vel definita regione, continetur, sed *immensus* est Pater, *immensus* item Filius » [47]; imo *b)* quod « hoc solum omnino de ipso (Deo) comprehendi potest, nempe quod *immensus* et infinitus est » [48]. Porro hanc immensitatem *c)* inde explicant quod Deus « nullo continetur loco » [49], sed « non comprehensus, omnia comprehendit » [50]; et *d)* probant *creatione,* siquidem causa ex effectu non limitatur, unde Deus, qui erat ante mundum, hujus creatione limitari non potuit [51]; item *infinitate,* siquidem replens omnia, nullibi potest contineri [52]. — **Ex ratione.** Nam immensitas dicit inexhaustam aptitudinem se habendi in infinitis locis, eo quod modus suae praesentiae a nullo definitur : atqui Deus est in loco operatione, quae est infinita : ergo Deus nullo loco comprehenditur seu definitur, sed essentialiter est immensus.

125. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Scriptura *coelum* assignat divinae praesentiae, Deumque exhibet *transeuntem* de loco in locum [53] : ergo. **Resp.** Cum Deus creaturis adsit operatione quae, substantialiter una, terminative est multiplex, ex speciali modo, quo Deus in coelo sanctis se manifestat, peculiarem in coelo habet praesentiam; dicitur autem *venire* vel *recedere,* prout ex operatione Dei vel creaturae in hac oritur specialis relatio ad Deum, vel destruitur fundamentum illiusmet relationis [54]. Hinc CHRYS., explicans deambulationem Dei in paradiso, ait : « Non ambulat Deus, absit. Quomodo enim ambularet qui ubique praesens est et omnia implet?... Voluit *illos* haec *tali modo sentire,* ut in magno mentis angore constituerentur » [55].

126. **Objic. 2.** Immensitas dicit extensionem : atqui Deus, utpote spiritualis, est inextensus : ergo. **Resp.** Immensitas non dicit exten-

---

[45] 3 Reg. **8**. 27.

[46] Job. **11**. 8-9.

[47] BASIL. in *Joan.* sub initio; CLEM. Alex. *Strom.* 6 et 7; CYRIL. Hier. *Catech.* 6.

[48] GREG. Naz. *or.* 38.

[49] AUG. *epist.* 112 c. 2; FULG. *Cont. serm. Fastid.* c. 4 et 6.

[50] CLEM. Alex. *Strom.* 6; CYRIL. Alex. *Cont. Jul.* 4.

[51] « Omnis locus perinde ipsi est, ac si nullus sit, qui est *ante* omnem locum creatum ». ORIG. in *Job.* **2**. 1.

[52] « Corporum haec proprietas (transeundi de loco in locum) est, Deus autem omnia replet ». CYRIL. Alex. in *Joan.* I c. 9.

[53] Isai. **46**. 1; Ps. **113**. 16; Gen. **11**. 5; Joan. **14**. 23; etc.

[54] Supra n. 111.

[55] CHRYS. in *Gen.* hom. 17 n. 1.

sionem, sed *indefinibilitatem* praesentiae in loco; spiritus autem non coëxtenditur loco, sed contactu virtutis est totus in omni parte loci, sicut anima in singulis membris corporis.

127. **Objic. 3.** Dedecet Deum esse in daemonibus et peccatoribus : ergo non est ubique. **Resp.** Sicut lux non faedatur sordibus terrae, ita Deus non maculatur ex praesentia in peccatore et daemonibus. Profecto, peccatores et daemones non sunt purum *malum,* quod est privatio et non ens : etiam in illis adest physica realitas quae est *bonum* a Deo totius bonitatis fonte, procedens : secundum autem quod Deus hanc realitatem suo influxu causat, fit eis praesens [56].

ART. 4 - DE DIVINA INCOMPREHENSIBILITATE.

128. **Quaestionis ratio.** *Incomprehensibilitas* est attributum *relativum* quod Deo competit prout a creaturis cognoscitur : et quia cognitio dicitur etiam *visio,* plures theologi hanc quaestionem inscribunt *de visibilitate Dei,* ut probent Deum in hac vita percipi cognitione analogica, in aeterna beatitudine intueri, numquam autem videri oculo corporeo nec mente comprehendi [1]. Sed de visione beatifica agemus in tractatu *de Novissimis,* de cognitione analogica sufficienter diximus, de visione corporali frustra quaeritur, siquidem spiritus carent quantitate et coloribus, quibus corpora efficiuntur visibilia : ergo de sola incomprehensibilitate sermonem habebimus.

129. **Quid incomprehensibilitas.** Cum notiones negativae ex positivis deriventur, incomprehensibilitas explicatur per ordinem ad comprehensionem, cujus possibilitatem negat. Porro comprehensio est quasi *circumscriptio* [2], et dicitur de cognitione quae objectum adaequate, h. e. secundum omnem cognoscibilitatis modum, attingit [3]; unde *extensive* pertingit ad omnia quae in objecto formaliter, virtualiter et eminenter continentur, *intensive* exprimit de unoquoque notitiam plenam qua rei cognoscibilitas a mente exhauritur. Non est tamen de ratione comprehensionis notitia omnium relationum quibus res aliqua ceteris vincitur, quia

---

[56] S. THOM. 1 p. q. 8 a. 1 ad 4.

[1] BILLOT *th.* 13 sqq.; PESCH prop. 1 sqq.; TEPE pr. 15 sqq. LÉPICIER quaest. XI; etc.

[2] GREG. Naz. *or.* 34.

[3] « *Totum,* inquit AUG., *comprehenditur* videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possint : sicut te nihil latet praesentis voluntatis tuae, circumspicere autem potes fines annuli tui ». *Epist.* 112 c. 9.

relationes non pertinent ad perfectionem rei, et quia secus ne unus lapillus comprehendi posset, quin universa natura eiusque auctor comprehenderetur, quod profecto nemo dicit.

130. **Errores — Veritas.** Incomprehensibilitatem divinae naturae negaverunt AËTIUS, EUNOMIANI et ANOMAEI, qui in hac ipsa vita se Deum comprehendere blasphemarunt [4] : his accessit quadantenus S. FULG. [5] comprehensionem Dei tribuens animae Christi. **Veritas** est proposita in CONC. LATER. IV : « Firmiter credimus... quod unus solus est verus Deus... *incomprehensibilis,* omnipotens et ineffabilis » [6].

THES. 12. *Omni creaturae Deus est incomprehensibilis.*

131. Quamvis **Scriptura** ordinarie loquatur de incomprehensibilitate Dei *quoad nos,* qui in *terris* degimus, tamen tam absoluta sunt ejus verba, ut merito intelligantur de omni cognitione creata, deque ipsa intuitiva visione beatitudinis. Revera docet quod Deus est *magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu* [7], tantaeque excellentiae, ut a nulla creatura possit sufficienter laudari, *major est enim omni laudae* et *laudabilis nimis* [8]; unde APOSTOLUS comprehensionem Dei deducit ex divina consubstantialitate, probans Spiritum S. cognoscere profunda Dei, quia *in Deo* est, quod sane nulli creatae menti potest convenire [9]. — **Patres** non solum *a)* amentiae damnant Eunomianos [10], et *profitentur* quod « secundum magnitudinem non est cognoscere Deum; impossibile est enim mensurari Patrem » [11], sed *b)* divinam comprehensionem expresse negant etiam *beatis* et *angelis;* « angelica enim vel humana mens, cum ad incircumscriptum lumen inhiat, eo ipso se, *quo est creatura,* coangustat, et super se quidem per provectum tendit, sed tamen ejus fulgorem comprehendere nec dilatata sufficit » [12]. Eam

---

[4] Apud LÉPICIER p. 407.

[5] FULG. *in resp. ad Ferr.* n. 3.

[6] CONC. LATER. IV c. *Firmiter;* CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 1.

[7] Jerem. **32.** 18 sqq.

[8] Eccl. **43.** 32 sqq.; Ps. **144.** 3. Quae cognitione comprehenduntur, etiam adaequate celebrari laudarique possunt; est enim laus *clara notitia cum approbatione.*

[9] *Quis hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo novit nisi Spiritus Dei.* 1 Corinth. **2.** 11. Cf. CORNELY in *h. l.*

[10] Vide supra n. 28.

[11] IREN. *Adv. Haer.* IV c. 37; CLEM. Alex. *Strom.* 5; HILAR. *De Trinit.* II init. et alibi saepius; GREG. Naz. *Or.* 34; GREG. Nyss. *C. Eunom.* c. 12; AUG. *epist.* 147 n. 21; etc.

[12] GREG. *Mor.* X c. 7; CHRYS. *C. Anom.* Or. 3; etc.

c) demonstrant ex Scripturis quae docent solum Filium novisse Patrem, et profunda Dei scrutari a Spiritu S., qui in eo est [13]; atque *d) deducunt* ex infinita Dei perfectione, siquidem Deus « excedit omnia et cum infinitatem omnem determinat, tum praeter omnem terminum expanditur, et (ideo) *a nullo capitur aut comprehenditur* [14] ». — **Ratio** sumitur cum S. THOMA ex parte Dei et ex parte nostri; *ex parte Dei* quia intelligibilitas sequitur rationem entis, unde, cum Deus sit infinitus, infinita est ejus intelligibilitas, et infinita intelligibilitas a finito intellectu exhauriri nequit; *ex parte nostri* quia beatifica visio fit lumine gloriae, quod finitum est, siquidem gradus suscipit, et in intellectu finito recipitur [15].

132. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Beati dicuntur *comprehensores,* ergo Deum comprehendunt. **Resp.** Dicendum quod « comprehensio largius sumitur secundum quod comprehensio *insecutioni opponitur.* Qui enim attingit aliquidem, quando jam tenet ipsum, comprehendere eum dicitur. Et sic Deus comprehenditur a beatis secundum illud [16]: *Tenui eum nec dimittam* » [17].

133. **Objic. 2.** APOSTOLUS docet beatos cognoscere Deum sicut ab ipso cognoscuntur [18]: atqui Deus hominem comprehendit: ergo. **Resp.** Comparatio Apostoli tenet secundum *modum cognitionis,* non secundum *gradum* seu perfectionem ejus. « Pauli verba, inquit CORNELY, non ita praemenda esse patet, ut parem et aequalem nostram cognitionem divinae fore significent, sed eam in suo genere pro creaturarum capacitate tam perfectam fore docent, quam divina cognitio in suo genere perfecta est; neque *de extensione* intelligi debent, sed *de cognitionis modo,* de quo agit, cognitionem mediatam immediatae opponens » [19].

134. **Objic. 3.** Deus a sanctis videtur: atqui quod videtur clare apparet et comprehenditur: ergo. **Resp.** « Aliud est *videre,* aliud est totum videndo *comprehendere.* Quandoquidem id videtur, quod praesens utcumque sentitur; totum autem comprehenditur videndo quod ita videtur ut nihil ejus lateat videntem » [20]: a creaturis autem « Deus videtur non ut se habet in sese infinitum, sed *quomodo capere natura potest* » [21].

---

[13] Matth. **11.** 27; Joan. **1.** 18; I Corinth. **10-11** coll. CLEM. Alex. *Strom.* 5; EPIPH. in *Ancor.* n. 15, 19; CYRIL. Alex. *Thes.* 22; etc.

[14] DIONYS. *De Div. nom.* c. 13; HIL. *De Trin.* II, etc.

[15] S. THOM. 1 p. q. 12 a. 7.

[16] Cant. **3.** 14.

[17] S. THOM. 1 p. q. 12 a. 7 ad 1.

[18] 1 Corinth. **13.** 12.

[19] CORNELY in 1 *Corinth.* p. 407.

[20] AUG. *Epist.* 112 c. 9.

[21] EPIPH. *Haer.* 70 n. 7.

135. **Objic. 4.** Deus est omnino simplex seu partibus caret : cum ergo videtur, totus videtur seu comprehenditur. **Resp.** Deus in coelo *totus* videtur sed non *totaliter*. Sicut anima, licet una et simplex, diversimode se habet ad corporis partes, in quibus diversas facultates explicat ; ita et Deus, unus et simplex, juxta diversum gradum luminis gloriae a sanctis diversimode percipitur et a nullo comprehenditur. Nonne etiam in terris aliquando *tota* res, puta animal, percipitur a rudi et a docto, qui tamen multo plura de eadem cognoscit? EPIPH. rem illustrat exemplo hominis qui, « per angustum forarem coelum aspiciens » vel « ex alto montis vertice mare prospiciens », coelum et mare videt sed non comprehendit [22] : similiter ergo et sancti ex coarctatione intellectus et limitatione luminis gloriae ad infinitam profunditatem perfectionum Dei non perveniunt.

ART. 5 - DE AETERNITATE DEI.

136. **De natura hujus attributi.** *Aeternitas* est attributum *absolutum* quod Deo competit ex peculiari modo durationis suae existentiae, et proxime sequitur ex immutabilitate, qua in suo esse permanet sine successione et varietate ; cum vero divina intelligantur ex analogia ad creata, notionem *aeternitatis* ex notitia *temporis* et *aevi,* quibus duratio creaturarum mensuratur, deducimus.

137. **Tempus, aevum, aeternitas.** *Tempus* definitur ab ARISTOTELE *numerus motus secundum prius et posterius* [1] ; motus vero, *actus entis in potentia, ut est in potentia* [2] : tempus ergo constituitur numero mutationum, quibus res paullatim seu successive *(secundum prius et posterius)* transeunt de uno statu in alium. Aristotelica definitio potest illustrari ex modo quo percipimus existentiam temporis : cum enim perpendimus mutationes rerum, quae nos circumdant, temporis progressum cognoscimus ; sed cum, somno vel intenso labore praeoccupati, mutationes rerum non curamus, temporis etiam fluxum non advertimus [3]. Jam age : si tempus est *numerus motus rerum,* prout res a motu et consequenti mutatione recedunt, a tempore etiam elongantur.

---

[22] EPIPH. *Haer.* 70 n. 8.

[1] ARIST. *Physic.* IV c. 11, 219.

[2] ARIST. *Physic.* III c. 1, 201. Scil. motus est *fieri* rei quae, ultimum actum nondum assecuta (et ideo adhuc in *potentia*), in illum successive tendit.

[3] ARISTOTELES definit tempus *absolutum* seu *intrinsecum,* quod unicuique rei mutabili est proprium : sed datur etiam tempus *relativum* et *extrinsecum* quo mutationes rerum conferuntur inter se et praecipue cum motu terrae, ex quo computantur *dies* et *anni.*

Porro mutabilitas potest convenire enti *absolute* (h. e. quoad substantiam et accidens), *secundum quid* (h. e. quoad accidentia tantum), et *nullo modo* cum ens nullam potentiam agnoscit: primum est in *corpore*, alterum in *spiritu*, tertium in *Deo*. Et ideo duratio corporis constituit *tempus* proprie dictum, duratio spiritus inducit tempus secundum quid, quod nomine proprio audit *aevum*, duratio Dei a tempore absolute recedit et vocatur *aeternitas* [4].

138. **Aeternitatis definitio.** Ex praedictis constat aeternitatem esse durationem seu permanentiam entis immobilis, et definitur a Boëtio: *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio* [5]. Aeternitas est possessio *vitae*, quia vita est *esse* iis quae *se ipsa movent* [6], ens autem immobile non est iners, sed actus purissimus, summe movens, ideoque vivens: est possessio vitae *interminabilis*, quia actus purus ab omni potentialitate recedit, unde non potest amittere vitam, quae, sicut ei necessario competit, ita sine fine ab eo possidetur: est *perfecta possessio* et non simplex duratio, quia « *duratio dicit quamdam distensionem* » [7], iis tantum convenientem quae aliis commensurantur et successione permanent, *possessio* vero dicit quietem; « et sic Deus possidere vitam suam dicitur, quia nulla inquietudine molestatur » [8]: est *tota simul*, quia aeternitas in hoc praecipue a tempore distinguitur, quod hoc mutationem et consequentem successionem exigit, illa mutationem ignorat et tota simul permanet [9].

139. **Errores — Veritas.** Exceptis ATHEIS, nemo forte aeternitatem Dei impugnavit, eam tamen PANTHEISTAE et MATERIALISTAE in propria ratione corrumpunt interminabilem vitam Dei ad modum fluxus intelligentes [10]. **Veritas** continetur in CONC. LAT. IV: « Firmiter credimus... quod unus solus est verus Deus, *aeternus*, immensus, etc. » [11].

---

[4] S. THOM. 1 p. q. 10 a. 4 et 5.

[5] BOËT. *De cons. phil.* V prosa 6.

[6] S. THOM. 1 p. q. 18 a 2.

[7] S. THOM. *I Dist.* 8. q. 2 a. 1 ad 6.

[8] S. THOM. *l. c.*

[9] Cave ne confundas aeternitatem improprie dictam quae dicit interminabilem durationem a parte *post* (h. e. in futuro), cum aeternitate stricte sumpta quae caret initio et fine (a parte *ante* et *post*), et non habet praeteritum et futurum, sed immutabile praesens: illa competit creaturis spiritualibus, est in *aevo*, et non repugnat *tempori;* haec soli Deo convenit atque inscrutabile exhibet *aeternitatis* mysterium. Cf. S. THOM. 1 p. q. 10 a. 3; DE SAN n. 117.

[10] Supra n. 6.

[11] CONC. LAT. IV c. *Firmiter;* VATIC. *Dei Filius* cp. 1.

THES. 13. *Deus est aeternus.*

140. **Scripturae** *a)* Deum aeternum expressis verbis praedicant, *b)* interminabilem ejus vitam annuntiant, *c)* duratione, non secus ac perfectione, Deum creaturis comparari non posse testantur, ipsumque docent *d)* sine principio et sine fine, *e)* simul diversis temporibus adesse. Revera *a)* legimus : *Deus sempiternus Dominus,* et *Vivo ego in aeternum* [12]. *b)* Interminabilem vitam Dei praedicat Psal. dicens *Anni tui non deficient,* atque Joan. definiens Deum : *Qui est, qui erat et qui venturus est* [13]. *c)* Durationem nostram divinae comparari non posse docet Scriptura cum affirmat quod *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies externa quae praeteriit* [14]. *d)* De remotione principii et finis in existentia Dei legimus : *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus.* Et iterum : *In principio erat Verbum* [15], ubi imperfectum *erat* excludit omne principium Verbi Dei [16]. *e)* Simultanea praesentia Dei successivis temporibus continetur in nomine *Jahve,* quod exhibet immutabilem praesentiam [17], et in verbis Christi qui suam coëxistentiam tempori praeterito ex *praesenti* desumpsit [18], praesens enim praeterito non adest nisi illi qui immutabili praesentialitate successionem temporis ignorat [19]. — **Patres** *a)* canunt in SYM. ATHAN. « Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus S. : et tamen non tres aeterni sed *unus aeternus* » : *b)* testantur quod « Deum aeternum esse, cunctorum ratione degentium *commune judicium est* » [20] : *c)* docent quod

---

[12] Isai. **40**. 28; Deut. **32**. 40. Cf. etiam Ps. **9**. 8; Dan. **7**. 14; etc.

[13] Ps. **101**. 28; Apoc. **1**. 4; Exod. **15**. 18.

[14] Ps. **89**. 4, 5.

[15] Ps. **89**. 2; Joan. **1**. 1.

[16] « Verbum *erat,* inquit CYRIL. Alex. in *Joan.* I c. 1, indeterminate prolatum (h. e. sine temporis demonstratione), nullis unquam terminis circumscribetur, quum natum sit scrutantem semper intellectum praecedere » Scil. tempus imperfectum excludit *principium* rei pro ea differentia temporis de qua effertur, ut v. g. si dicam « Petrus heri hora tertia *erat* Mediolani », excludo *tunc* pervenisse. Si ergo Verbum *in principio erat,* in principio rerum non coepit esse : atqui principium rerum est principium temporis : ergo Verbum erat ante principium temporis, ac proinde ab aeterno.

[17] Cf. Supra n. 113.

[18] *Antequam Abraham* FIERET *ego* SUM. Joan. **8**. 58.

[19] « Voce *ego sum* significatur ipsum esse perpetuum ab omni liberum tempore ». KNAB. in *Joan. p.* 304, inhaerens doctrinae *Chrys., Euth., Cyr.,* etc.

[20] BOËT. *De Cons. phil.* prol. 6; TERT. *C. Marc.* I c. 3.

aeternitas *est proprietas solius Dei.* « Vera aeternitas, inquit PROSP. Dei est qui solus habet immortalitatem : quoniam ex nulla specie motuve mutatur ». « Quid enim, subdit GREG. M., mutabilitas nisi mors quaedam est? Quae, dum rem quamlibet in aliud immutat, quasi occidit quod fuerat, ut incipiat esse quod non erat. Et de auctore omnium scriptum est : *Qui solus habet immortalitatem* » [21], siquidem solus in semetipso immutabiliter perseverat [22]. Porro divinam aeternitatem Patres *d)* explicant de *actuali praesentia,* cui non est initium neque finis, non praeteritum neque futurum [23]; eamque *e)* deducunt ex Scripturis, maxime ex verbis *in principio erat Verbum* [24], atque ex ratione *esse per se subsistentis* et necessarii, siquidem « illius est *esse* (scil. absolute et per se), qui *semper est* » [25]. — **Rationis** argumenta audivimus a Patribus, scil. aeternitas est proprietas entis *necessarii, immutabilis* et *per se stantis* quale est Deus. Convenit aeternitas *enti necessario,* quia *esse* non est illi per accidens, sed essentialiter ideoque indefectibiliter; convenit *enti immutabili,* quia ens, cui nihil addi vel demi potest, suum *esse* semper servare debet; convenit *enti per se stanti,* quia hujusmodi ens, sicut limitationem in perfectionibus non agnoscit, ita mutationem et successionem habere non potest; siquidem perfectio quae *fuit,* non est; et quae *futura est, abest* [26].

141. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Duratio dicit *permanentiam* in esse : atqui quod permanet non est *simul,* sed in existentia prosequitur : ergo. **Resp.** Quod permanentiam in esse concipiamus tamquam *successivam durationem* non creat majorem difficultatem, quam cum spiritum quasi aërem diffusum imaginamus; cum

---

[21] PROSP. *Ex sent. Aug.* 183; GREG. M. *Moral.* XII c. 17; JUST. M. (?) *Quaest. ad graec.;* AUG. *De divers.* ser. 75 (*alias* 212) n. 1; in *Joan.* trac. 23 n. 9; etc.

[22] Tam manifesta erat Patribus aeternitas Dei, ut ex illa divinitatem Filii et Spiritus S. deducerent. « Quemadmodum, inquit ATHAN. *epist. ad Serap.,* Filius, quia semper est, non est creatura; ita quoniam semper est Trinitas, nulla est in ea creatura, quapropter non est creatura Spiritus ».

[23] TERT. *C. Marc.* c. 8; GREG. Naz. *or.* 8; GREG. Nyss. *C. Eunom.* I; AUG. *Confes.* XI c .11.

[24] ATHAN. *C. Arianos* saepius; BASIL. hom. 15 in *princ. Joan.;* GREG. Naz. *or.* 49; AMBR. *De Symb.* c. 4; GREG. Nyss. *C. Eunom.* 3; AUG. in *Joan.* tr. 1 n. 11 et 12; *Serm. de div.* 24 c. 2; CYRIL. Alex. in *Joan.* 1 c. 1; *Thes.* 4 et 32; FULG. *ad Trasim.* 1 c. 6.

[25] AMBR. In *Luc.* X c. 23; CYRIL. Alex. *Dial.* 4, etc.

[26] Cf. S. THOM. 1. p. q. 10 a. 2.

enim spiritualia per corporalia intelligamus, existentiam spirituum assimilamus existentiae corporum, quorum permanentia certe est cum successione. Sed a *modo* hujus permanentiae in esse, recedendum esse, cum agitur de angelo et maxime de Deo, ratio ipsa evincit, ut vidimus in thesi.

142. **Objic. 2.** Si existentia Dei esset *simul,* cum Deus adsit praeterito et futuro, praeteritum esset simul cum futuro : atqui hoc repugnat : ergo. **Resp.** Quomodo Deus adsit praeterito et futuro dicemus agentes de divina cognitione : nunc tene hanc divinam praesentiam non determinari ab objectis cognitis, sed fundari in medio subjectivo, quo Deus res cognoscit : unde, sicut aeterna praesentia Dei non tribuit rebus aeternam existentiam, ita simultanea presentia non inducit eorum coëxistentiam.

Art. 6 - De unitate Dei.

143. **Quid unitas et quotuplex.** *Unum* definitur *indivisum in se et divisum a quolibet alio,* unde duplex datur unitas : *intrinseca* qua substantia caret partibus, vel, si habet, coniunctas retinet ; *extrinseca* qua a ceteris distinguitur. Sicut autem unitas *intrinseca* est perfecta in ente simplici ; ita *extrinseca* est summa quando ens similia non habet in natura, *unicum* existens.

144. **Quae unitas tribuenda sit Deo.** Utraque unitas in summo gradu competit Deo : competit ei summa *unitas intrinseca,* quia partes neque actu neque potentia divisas habet ; est enim ens simplicissimum [1] : competit ei summa *unitas extrinseca* seu *unicitas,* quia, ut in thesi probabimus, nonnisi unus est Deus.

145. **Errores — Veritas.** Unitatem Dei negaverunt Polytheistae, Gnostici, Manichaei et Tritheistae *pluritatem* deorum obtrudentes ; Pantheistae *distinctionem* Dei a creaturis impugnantes [2]. **Veritas** continetur in Symb. Nicaeno : « Credo in

---

[1] S. Thom. 1 p. q. 11 a. 4.

[2] *Multitudinem* pene infinitam deorum et semideorum adoraverunt, ut notum est, Polytheistae : triplex rerum principium *Bython, Sigen* et *materiam ingenitam* (ex quibus triginta eones et homines triadem principiorum quodammodo in se referentes) somniarunt Gnostici (Saturnil., Menand., Ophites, Basilides, Valentinus, etc.) : *duplex principium* supremum, bonum scil. et malum, docuerunt Zoroaster, Marcion, Manichaei et Priscillianistae : *trinitatem* deorum induxerunt Tritheistae Patrem, Filium et Spiritum S. non sola persona sed substantia distinguentes. De *Pantheistis* vide supra n. 6 ; de *Gnosticis Manichaeis* et *Priscillianistis* Hergenröther *St. Un. d. Chiesa.* I p. 183 sqq. ; 374-8 ; II p. 126-7.

unum Deum, et proponitur a CONC. LAT. IV. « Firmiter credimus... quod *unus solus* est verus Deus, aeternus, immensus, etc » [3].

THES. 14. *Deus est absolute unus.*

146. **Scripturae** unitatem Dei praedicant *a)* affirmatione et *b)* negatione, atque *c)* illustrant analogiis et *d)* confirmant solutione difficultatum. *Audi Israël: Dominus Deus tuus, Deus unus est* [4]. — *Vidète quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me* [5]. — *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* [6]. — *Nullus est Deus nisi unus: nam etsi sunt, qui dicantur dii sive in coelo sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi) nobis tamen unus est Deus* [7]. — **Patres** ab ipso Ecclesiae limine *a)* contra ethnicos, gnosticos et anthropomorphitas saepe omnimodam singularitatem et simplicitatem Dei, creatoris totius mundi, vindicant [8]: *b)* divinam unitatem habent tesseram christianorum, « qui sunt *in unum Deum credentes* » [9]: eam *c)* tam essentialiter convenire Deo dicunt ut, illa negata, ratio divinitatis non salvetur; siquidem « *polytheismus atheismus est* » [10], et « Deus, si *non unus* est, *non* est » [11]: *d)* probant autem ex notione *veritatis*, nam « ipsa veritas unus est Deus, et, sicut excepta una veritate non est alia veritas, sic absque uno vero Deo non est alius verus Deus » [12]. Patrum sententia ex **archaeologiae** monumentis magnam habet confirmationem, siquidem « fides in unum Deum ex innumerabilibus prorsus epitaphiis elucet, quae praenicaenam formulam eamque antiquissimam referunt... [13] Antoninorum (autem) circiter aetate ita evidenter in

---

[3] SYM. NICAEN. a. 325; CONC. LAT. IV c. *Firmiter;* CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 1; § 1 cn. 1.

[4] Marc. **12**. 29 col. Deut. **6**. 4.

[5] Deut. **32**. 39; Ps. **17**. 32; Sap. **12**. 13; Isai. **43**. 10; etc.

[6] Ephes. **4**. 5.

[7] I Corinth. **8**. 4-6. « Haec Pauli est argumentatio: Multos sic dictos deos esse non negamus, siquidem multis jam rebus sive terrestribus sive coelestibus nomina *dei* et *domini* vulgo attribui non ignoramus; nobis tamen Christianis, quibus vera et genuina nominum istorum significatio cognita est, unus solus est Deus, unus solus Dominus ». CORNELY in *h. l.* p. 226.

[8] IGNAT. *ad Magn.* 8; ATHEN. *Leg. pro Chr.* c. 4, 8; HERM. *Past.* Mand. I; *Vis.* I c. 3; JUST. M. *Dial. c. Triph.* 5 n. 11; *Apol.* I n. 20; TERT. *Adv. Hermog;* IREN. *Adv. Haer.* II c. 13, III c. 25; IV c. 20 n. 2. Cf. HERGENR. *St. Un. d. Chiesa* I p. 253.

[9] IREN. *Adv. Haer.* III c. 4 n. 2.

[10] ATHAN. *C. Gent.* n. 24, 40.

[11] TERT. *C. Marc.* I n. 3.

[12] FULG. *Ad Donat.* c. 4.

[13] Cf. Appendicem. Sic legimus: *In Domino - in Deo - εν Θεω - Θεου λογος - in unu* (m) *Deu* (m) *credidit,* etc.

publicis inscriptionibus doctrinam de Deo uno profitebantur Christiani ut, etiam apud ethnicos, exinde formulae inductae sint ejusmodi : *Deus, Deus magnus, aeternus, Deus summus, Deus unus et solus* » [14]. Confirmatur etiam ex **religionum historia**; etsi enim major hominum pars deflexerit in polytheismum, in omni tamen religione apparet primitivus monotheismus [15] : consensus autem omnium probat esse rem. — **Rationes** S. THOM. desumit ex *simplicitate,* ex *infinitate* et ex *unitate mundi.* Revera *a)* ut multiplicentur individua unius speciei *notae individuantes* esse debent extra rationem essentiae : atqui in Deo ente simplicissimo nihil essentiae addi potest : ergo *b)* Insuper individuatio, qua una res ab alia secernitur, est positiva quaedam perfectio; quia ergo enti infinito nulla perfectio deesse potest, hanc quoque, saltem eminenter, in eo inveniri oportet. Quare, si essent duo infinita, alterum individuationem alterius formaliter vel eminenter habere deberet. Atqui hoc est impossibile, nam si haberet formaliter esset *ipsum,* si eminenter, esset *perfectius:* ergo duo vel plura infinita repugnant : sed Deus est infinitus : ergo est solus. *c)* Tandem Deus est causa mundi, haec autem una tantum esse potest, siquidem multitudo non reducitur ad unitatem nisi per unum : atqui omnia, quae sunt in mundo, ita coordinantur, ut unum quid efficiant : ergo « oportet quod primum, reducens omnia in unum ordinem, sit unum tantum. Et hoc est Deus » [16].

147. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Quod pluribus convenit non est numerice unum : atqui divinitas convenit Patri et Filio et Spiritui S. : ergo. **Resp.** *Dist. maj.:* quod pluribus convenit per similitudinem *conc.;* quod convenit per identitatem *neg.* Magnum Trinitatis mysterium, ut suo loco melius apparebit, non opponitur unitati Dei, siquidem, ut notant Patres, « unaquaeque persona non minus cum altera qualibet *unum est,* quam cum seipsa » [17].

148. **Objic. 2.** Cum « dilectio in alterum tendat » [18], ens rationale sine socio caret amore, et est imperfectum : atqui Deus est perfectissimus : ergo non est solus. **Resp.** Summa effusio divinae bonitatis est in processione divinarum personarum, quarum distinctio sufficit ad perfectissimum amorem Dei, qui in contemplatione sui beatissimus est.

---

[14] P. SYXTUS *Not. Archaeol. chris.* II p. 1 c. 3 p. 67-8.

[15] Cf. Vol. I n. 21.

[16] S. THOM. 1 p. q. 11 a. 3.

[17] DAMASC. *De Fide orth.* I c. 11; DIONYS. et MAX. apud *Petav.* II c. 8 n. 4-5.

[18] GREG. M. *In Evang.* hom. 17.

CAPUT IV.

De divina operatione.

149. **Quaestionis ratio.** « Post considerationem eorum, quae ad divinam substantiam pertinent, restat considerandum de his quae pertinent ad operationem ipsius. Et quia operatio quaedam est quae manet in operante, quaedam vero quae procedit in exteriorem effectum, primo agemus de *scientia* et *voluntate,* et postmodum de *potentia Dei,* quae consideratur ut principium operationis divinae in effectum exteriorem procedentis » [1]. Verum quaestio de divina scientia et voluntate alias subalternas comprehendit, quas incidenter tantum et leviter exponere nefas est; caput ergo de divina operatione in octo articulos dispescimus: 1 *De divina scientia in genere,* — 2 *De objecto scientiae Dei,* — 3 *De medio divinae cognitionis,* — 4 *De omnipotenti Dei voluntate,* — 5 *De divina Providentia,* — 6 *De voluntate salvifica,* — 7 *De praedestinationis et reprobationis existentia,* — 8 *De praedestinationis et reprobationis ordine.*

Art. 1. - De scientia Dei in genere.

150. **Quid scientia et an competat Deo.** Scientia definitur *cognitio rei ex suis causis* [2], et est perfecta cum intimae rationes entium eorumque extrinseca principia, si quae sint, innotescunt. Porro *per causas* res ita potest cognosci ut progressus se habeat ex parte *cognitionis* [3], vel ita ut se habeat ex parte *rei cognitae* [4]: primo modo scientia non convenit Deo, qui penitus immutabilis est; altero tribuenda est ei in summo gradu.

151. **Quae dotes scientiae Dei.** Scientia Dei: *a)* est *intuitiva* quia ex parte cognitionis non habet successionem et progressum [5]: *b)* est *certa et infallibilis* quia dubium et error sunt imperfectiones quae Deo repugnant [6]: *c)* est *per se subsistens* quia, attenta divina simplicitate, esse nequit accidens sed incommutabilis substantia: *d)* est *una* quia multiplicitas cognitionis infert multiplicitatem actuum quae enti

---

[1] S. Thom. 1 p. q. 14 prooem.

[2] Til. Pesch *Inst. Log.* I n. 4.

[3] V. g. cum ex praemissis syllogismi devenimus in notitiam conclusionis.

[4] Scil. cum simul cognoscuntur effectus et causa earumque dependentia.

[5] Revoca quae diximus de divina simplicitate.

[6] Cf. quae diximus de infinita Dei perfectione.

immutabili repugnat: *e)* est *indepens* quia ab objectis non determinatur sed est eorum causa [7].

152. **Quotuplex scientia divina.** Etsi, ex modo invocata divina simplicitate, nulla sit realis distinctio scientiae Dei; ratione tamen objecti dividitur in scientiam *approbationis* et *improbationis* — *visionis* et *simplicis intelligentiae* — *speculativam* et *practicam* [8]. Prima distinctio respicit ORDINEM MORALEM, unde « scientia *improbationis* est scientia malorum culpae, quorum Deus non est auctor; scientia *approbationis* est scientia bonorum quae, in quolibet genere quolibetve ordine, a Deo fluunt ut a prima causa » [9]. Secunda respicit EXISTENTIAM RERUM, et scientia, qua Deus cognoscit quae *sunt, fuerunt* vel *erunt,* dicitur *visionis,* qua vero cetera cognoscit *simplicis intelligentiae:* prima vocatur *visionis,* quia ea videri dicuntur quae obtutu adsunt, et omnia existentia in aliqua temporis differentia sunt praesentia Deo, qui aeternitate adest praesenti, praeterito et futuro: altera dicitur simplicis intelligentiae, quia intelligentia fertur etiam in absentia, quae vero dicuntur possibilia et futuribilia numquam in propria entitate aderunt Deo [10]. Tertia respicit OPERATIONEM, et *scientia speculativa* Deus cognoscit se et omnia existentia vel possibilia, *scientia practica* existentia creata, nec solum bona sed etiam mala quae Deus permittit, vel impedit, vel ordinat [11].

153. **An divina scientia sit causa rerum.** *Affirmative,* non eo sensu quod sola scientia formaliter inspecta existentiam rerum explicet, siquidem existentia rerum debetur praecipue divino imperio seu voluntati [12]; sed quia in divina cognitione res non se habent ut principium, sed ut terminus [13]. Profecto *possibilia* fundantur in divina *essentia* [14], *existentia* procedunt ab ideis archetypis quibus Deus non coeco modo sed scienter creavit mundum [15]: hinc SALOMON: *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit coelos prudentia, sapientia illius eruperunt abyssi et*

---

[7] TANQUEREY *De Deo uno* c. 3 n. 80-3.

[8] BILLOT p. 218 sqq. PESCH n. 181, 291-5 distinguit etiam scientiam *naturalem, liberam, mediam* atque *directam* et *reflexam.*

[9] BILLOT p. 218.

[10] S. THOM. 1 p. q. 14 a. 9. An et quo sensu addenda sit *scientia media* infra dicemus.

[11] S. THOM. 1 p. q. 14 a. 16 explicat qua ratione possibilia ad scientiam practicam spectare possint.

[12] PESCH 296-8.

[13] PESCH 182 sqq.

[14] TIL. PESCH *Instit. Logic.* III p. 117 n. 1314; SCHIF. *Princ. Philos.* n. 504-5.

[15] S. THOM. 1 p. q. 14 a. 8; q. 15 a. 1; *De Verit.* q. 2 a. 14.

nubes rore concrescunt [16]. Et AUG. : « Nos ista, quae fecisti, videmus, *quia sunt;* tu autem, *quia vides ea,* sunt » [17].

154. **Errores — Veritas.** Exceptis MATERIALISTIS, qui negata spiritualitate, fundamentum intelligentiae auferunt, nemo impugnavit scientiam Dei [18], quem CONC. VATIC. confitetur « *intellectu* ac voluntate omnique perfectione *infinitum* » [19].

THES. 15. *Deus est summe intelligens.*

155. **Scripturae** *a)* aperte docent quod *omnia corda* SCRUTATUR *Dominus, et universas mentium cogitationes* INTELLIGIT [20]; *b)* divinam intellectionem ex intellectione nostra, via causalitatis et excellentiae, desumunt [21]; atque *c)* Deum vocant *scientiarum Dominum,* qui *habet omnium scientiam,* cujus *sapientiae non est numerus* [22], qui tam profunde omnia noscit, ut in rerum notitia non liceat appropinquari ei [23], cujus *incomprehensibilia sunt judicia, et investigabiles viae* [24]. — **Patres** *a)* superexaltant divinam sapientiam, cui nihil est absconditum [25]; atque *b)* intimius naturam divinae scientiae scrutantes, docent non esse accidens sed substantiam, ideoque per se subsistentem et idem cum divinitate. « Quae scientia Dei est, inquit AUG., ipsa et sapientia, et quae sapientia, ipsa essentia sive substantia » [26]. — **Rationis** argumenta assignantur a S. THOMA *ex infinitate,* qua Deus habet omnes perfectiones simplices, cujusmodi est scientia; *ex creatione et gubernatione mundi,* quia admirabilis coordinatio partium manifestat sapientiam Dei artificis [27]; *ex spiritualitate,* quia, quanto magis substantia recedit a materia, fit aptior intellectioni. Revera « cognoscentia a non cognoscentibus in hoc distinguuntur, quia non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum; sed cognoscens natum est habere

---

[16] Prov. **3**. 19-20; Ps. **103**. 24; Sap. **7**. 21; Eccli. **24**. 6; Ephes. **1**. 11.

[17] AUG. *Conf.* XIII c. 38; *De Trin.* XV c. 13; *De Civ. Dei* XI c. 10 n. 3; GREG. M. *Moral.* XX c. 23.

[18] Cf. HONTHEIM n. 17.

[19] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 1.

[20] 1 Paral. **28**. 9.

[21] *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?... Dominus scit cogitationes hominum.* Ps. **93**. 8-11.

[22] Esth. **14**. 14; Ps. **146**. 5; Colos. **2**. 3; etc.

[23] *Mirabilis facta est scientia tua ex me:... et non potero ad eam.* Ps. **138**. 6.

[24] Rom. **11**. 33.

[25] Testimonia dabimus cum agemus de objecto scientiae Dei.

[26] AUG. *De Trin.* XV c. 13 n. 22; MAXIM. *Cap. theol. cent.* I n. 82; ISID. Hisp. *Etym.* 7 c .1; etc.

[27] S. THOM. *Comp. theol.* c. 28.

formam etiam rei alterius; nam species cogniti est in cognoscente [28]. Unde manifestum est quod natura rei non cognoscentis est magis coarctata et limitata. Natura autem rerum cognoscentium habet majorem amplitudinem et extensionem... Coarctatio autem formae est per materiam. Unde... formae, secundum quod sunt magis immateriales, secundum hoc magis accedunt ad quamdam infinitatem. Patet igitur quod immaterialitas alicujus rei est ratio quod sit cognoscitiva; et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis... Unde cum Deus sit in summo immaterialitatis... sequitur quod ipse sit in summo cognitionis » [29].

ART. 2. - DE OBJECTO DIVINAE COGNITIONIS.

156. **Objectum primarium et secundarium.** Haec distinctio, si presse sumatur, pertinet ad quaestionem *de medio* divinae cognitionis siquidem *objectum primarium,* proprie loquendo, est illud quod, primo ab intellectu perceptum, ducit in cognitionem aliorum quae in ipso virtualiter vel eminenter includuntur [1]: in praesenti sensu lato et improprio sumitur prout *objectum primarium* est ens principale ad quod cetera ordinantur, *secundarium* sunt entia minoris perfectionis quae attinguntur cum dependentia a primo. Quaestio sic proposita nullam habet difficultatem, siquidem, cum omnia sint a Deo, manifeste objectum primarium divinae cognitionis est *Deus,* secundarium sunt *cetera omnia.*

157. **Secundarium objectum divinae cognitionis multiplex.** Omnia, quaecumque sunt, cadunt sub cognitione Dei: distinctio ergo objecti secundarii est distinctio entium. Porro entia distinguuntur in existentia et possibilia; *existentia* subdividuntur in praeterita, praesentia et futura, necessaria et libera, manifesta et occulta; *possibilia* in pure possibilia et futuribilia. PRAETERITA sunt quae extiterunt; PRAESENTIA quae actu sunt extra suas causas, seu quae existunt; FUTURA quae nondum sunt, sed aliquando erunt; quae quidem, si sunt determinata in suis causis proximis [2], dicuntur FUTURA NECESSARIA, si in suis causis non sunt determinata sed

[28] Cf. supra n. 28.

[29] S. THOM. 1 p. q. 14 a. 1.

[1] Sic v. g. homo est objectum quo mens cognoscit animalitatem et rationalitatem, essentiam et existentiam, materiam et formam, etc. Cf. BILLOT p. 179.

[2] V. g. cras mane orietur sol et vespere occidet.

procedent a libera electione voluntatis [3] vocantur FUTURA LIBERA seu contingentia. Quod non fuit, neque est, neque erit, sed tamen *esset si* verificarentur conditiones, quae de facto non contingent, dicitur futurum conditionatum seu FUTURIBILE. Illud tandem a quo ratio existentiae penitus exulat, et mere percipitur prout in suis notis contradictionem non involvit, dicitur POSSIBILE. OCCULTUM aliud est *per accidens* ex defectu virtutis intellectivae vel debitae considerationis, quo modo multa, manifesta sapienti, sunt abscondita rudi : aliud est *per se,* sive ex defectu objecti, ut *futurum contingens,* sive ex defectu medii cognitionis, ut *secretum cordis.*

158. **An Deus cognoscat mala et infinita.** Ratio dubitandi inde sumitur quod *mala* rationem entis non habent, unde repraesentari nequeunt in divina essentia; *infinita* vero in actu repugnant, et quae adsunt divinae menti, sunt quodammodo in actu. Sed omnino tenendum est Deum cognoscere MALA, quia *delicta nostra ab ipso non sunt abscondita* [4]. Profecto mala sunt defectus perfectionis entis, quod adaequate non cognoscitur nisi intelligatur etiam in quo a debita perfectione deficit. « Unde cum Deus habeat propriam cognitionem de omnibus suis effectibus..., oportet quod omnes negationes et privationes oppositas cognoscat, et omnes contrarietates in eis repertas; unde cum malum sit privatio boni, oportet quod ex hoc ipso, quod scit quodlibet bonum et mensuram cujuslibet, cognoscat quodlibet malum [5] ». Deus cognoscit etiam INFINITA, quia possibilia sunt infinita, et realia, quae in infinitum multiplicabuntur pro tota aeternitate, jam nunc Deo adsunt [6]. Neque putandum est Deum haec confuse et quasi *in fieri* percipere, siquidem « essentia divina, per quam intellectus divinus intelligit, est similitudo sufficiens omnium quae sunt, vel esse possunt; non solum quantum ad principia communia, sed etiam quantum ad principia propria uniuscujusque... Unde sequitur quod scientia Dei se extendat ad infinita, etiam secundum quod sunt ab invicem distincta » [7].

159. **Errores — Veritas.** Praescientiam Dei cum humana libertate componere non valentes, *futurorum* notitiam Deo denegarunt cum CICERONE [8] plures PHILOSOPHI GENTILES necnon MARCION et

---

[3] V. g. in fine mundi Christus judicabit nationes.

[4] Ps. **68**. 6.

[5] S. THOM. *De Verit.* q. 2 a. 15.

[6] Attendas divinam cognitionem infiniti non infirmare argumentum deductum pro existentia Dei ex repugnantia numeri infiniti (n. 49); ibi enim *a)* erat sermo de infinitate causarum secundarum *sine prima* et *b)* de infinito *coëxistente nobis,* qui in futuro habemus multitudinem pristinae addendam.

[7] S. THOM. 1 p. q. 14 a 12.

[8] CICERO *De divin.* II.

SOCINIANI, quibus RATIONALISTAE addendi sunt [9]: *futuribilium* certam cognitionem pauci e catholicis cum LEDESMA Deo abjudicarunt, non ex defectu divinae intellectionis, sed ex defectu cognoscibilitatis ipsorum futuribilium, quae nullam habere dixerunt determinatam veritatem [10]. **Veritas** proponitur a CONC. VATIC., cum docet quod Deus intellectu est infinitus, atque ideo « omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam quae libera creaturarum actione futura sunt » [11].

THES. 16. *Deus* — 1 *perfectissime se ipsum comprehendit* — 2 *et cetera omnia; unde* — 3 *secreta cordium* — 4 *futura* — 5 *et futuribilia eum non latent.*

160. **Prima pars.** *Deus perfectissime seipsum comprehendit.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei* [12]: atqui cognitio, qua objectum sic perfecte attingitur, ut nec ipsa occulta seu profunda lateant, est cognitio totalis seu comprehensiva: ergo [13]. Et confirmatur, nam Apostolus addit Spiritum S. cognoscere *intima Dei,* sicut spiritus hominis scit *quae sunt hominis:* atqui unusquisque suorum actuum comprehensivam habet notitiam [14]: ergo. ARGUM. 2. *Nemo novit Filium nisi Pater, nec Patrem quis novit nisi Filius* [15]. Etiam hoc testimonium esse de cognitione comprehensiva docet verbum graecum επίγνώσκει quod est compositum, et importat plenissimam rei notitiam [16].

---

[9] JANSSENS II p. 87.

[10] LEDESMA *De Auxil.* Disp. 2 p. 582; GONET tom. 1 disp. 5 a. 2 § 8; CROSTA n. 204 in nota et alibi; JANSSENS II p. 49 seq. His aliisque paucis exceptis, unanimi consensu theologi cujuscumque scholae conveniunt quoad *factum* cognitionis futuribilium: differentia est solum de *modo* explicandi, seu *de medio objectivo.*

[11] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 1; SYLL. *prop.* 1.

[12] 1 Corinth. **2.** 10.

[13] « *Spiritus Dei,* sic explicat CORNELY in *h. l.,* ipse *scrutatur,* i. e. penetrat et intime novit *omnia;* quam late autem illud *omnia* pateat docent verba addita *etiam profunda Dei* (*τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ profunditates, altitudines Dei*). Non illa tantum, quae quasi in superficie sita *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur* (Rom. **1.** 20), sed intima quaeque divinitatis mysteria et consilia, omnem ejus virtutem et praescientiam, Spiritus perspicit ». p. 64-5.

[14] Plane Apostolus non loquitur de physica natura actus, sed de secretis cordium; secreta vero sui cordis unusquisque perfecte cognoscit.

[15] Matth. **11.** 27.

[16] Argumentum non infirmatur verbis insequentibus: *et cui Filius voluerit revelare;* nam revelatio non necessario adaequat notitiam revelantis. sed proportionatur liberae voluntati ejus et capacitati suscipientis. « Effertur, inquit KNAB., Christum et talem habere

— **Patres** divinam comprehensionem testantur cum docent Spiritum S. nosse *omnia* Dei [17], ita ut ea solum ipsum lateant quae non sunt Dei [18]; notant vero Scripturam a voce *comprehendere* abstinuisse quia aequivalentibus expresserat [19]. Porro tam manifestam habebant hanc comprehensionem, ut inde evincerent divinitatem Filii et Spiritus S. [20], atque aequalitatem Verbi cum Patre [21]. — **Ratio** est manifesta : nam Deum *seipsum cognoscere* constat ex ejus spiritualitate, quae cognoscibilitatis et intellectionis est radix [22]; hanc vero cognitionem esse *comprehensivam* patet ex ejus infinitate, siquidem virtus infinita limitationem non agnoscit ex parte objecti, neque ex parte modi quo percipitur [23].

161. **Secunda pars.** *Deus quaecumque et quomodocumque sunt perfecte cognoscit.* Nam **Scripturae** Deo canunt : *Tu cognovisti omnia* [24] : expresse ei tribuunt notitiam rerum occultarum, siquidem Deus *abyssum et cor hominis investigavit* [25] : et docent quod *non est quidquam absconditum ab oculis ejus* [26]. Neque rerum cognitionem qualitercumque Deo tribuunt, sed modo claro et manifesto, siquidem opera nostra sunt *velut sol in conspectu Dei* [27], et *non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt in conspectu ejus* [28]. — **Patres** similiter docent quod « nihil latet Dominum, sed et arcana nostra prope ipsum sunt » [29]. Hujus vero perfectissimae scientiae rationem deducunt ex creatione, ex aeternitate, et ex medio divinae scientiae : *ex*

---

cognitionem et eam etiam *secundum modum et mensuram creaturae* hominibus revelare ». In *h. l.* p. 460.

[17] « Si Spiritus S., novit omnia *etiam profunda Dei,* ut scriptum est, novit utique omnia, quae sunt in ipso ». CYRIL. Alex. *Thesaur.* 22.

[18] « Quae Dei sunt cognovit et Dei Spiritus, quae autem non cognovit Spiritus Dei, utique *Dei non sunt* ». AMBR. *De Fide* V c. 7.

[19] « Si de Spiritu S. dictum est, ipsum (Deum) *scrutari,* neque necesse fuit dicere, *et insuper comprehendere;* nam in eodem sermone demonstrat, inesse Spiritui S. Dei cognitionem et profundorum Dei ». EPIPH. in *Ancor.* n. 15.

[20] ATHAN., AMBR., FULG., PASCH., EUSEB. Emis. apud PETAV. *De Trin.* II c. 14.

[21] « Non enim (Pater) seipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in eius Verbo, quam in ipso ». AUG. *De Trin.* XV c. 15 n. 23.

[22] Supra n. 155.

[23] S. THOM. 1 p. q. 14 a. 1 et 2.

[24] Ps. **138**. 5.

[25] Eccli. **42**. 18.

[26] Eccli. **39**. 24.

[27] Eccli. **17**. 16-7.

[28] Hebr. **4**. 10.

[29] IGNAT. M. *Epist. ad Eph.* n. 15; CLEM. Alex. *Strom.* 6 sub fine.

creatione quia « non potuit *creator* omnium ignorare quod fecit, nescire quod ipse donavit » [30] : *ex aeternitate* quia hac Deus « omnibus quae volvuntur incomparabiliter supereminet, *omnia simul* suis subjecta conspectibus *praesentialiter* videt » [31] : *ex medio divinae cognitionis,* quia « non ex rebus ipsis res discens novit divina mens, sed seipsa et *in ipsa,* secundum causam, omnium scientiam et notionem praehabet. *Seipsam igitur divina sapientia noscens scit omnia* » [32]. **Rationem** a DIONYS. propositam sic explicat S. THOM. : « Manifestum est quod (Deus) seipsum perfecte intelligit; alioquin suum esse non esset perfectum, cum suum esse sit suum intelligere. Si autem perfecte aliquid cognoscitur, necesse est quod virtus ejus perfecte cognoscatur. Virtus autem alicujus rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea ad quae virtus se extendit. Unde cum virtus divina se extendat ad alia (omnia), eo quod ipsa est causa prima effectiva omnium entium... necesse est quod Deus alia (omnia) a se cognoscat [33] ».

162. **Tertia pars.** *Deum non latent secreta cordium.* **Scriptura** ait : *Oculi Domini circumspicientes vias hominum et profundum abyssi et hominum* CORDA, *intuentes in absconditas partes* [34] ; et iterum : *scrutans* CORDA *et renes Deus* [35]. Imo Scripturae hanc cognitionem constituunt distinctivum Dei [36], eamque derivant ex infinitate scientiae, qua Deus *major est corde nostro* [37]. **Patres** quoque secretorum cordis notitiam *a) aperte* tribuunt Deo, quem « superbae et insolentes cogitationes non fallunt. Agnoscit omnia, et nihil scientiae ejus impenetrabile est » [38] : *b)* enuntiant quasi *distinctivum Dei,* siquidem « res cordis, judicem habere non potest nisi

---

[30] AMBR. *De Fide* c. 7 ubi etiam addit futura contineri in virtute operatoria Dei; HILAR. *De Trinit.* IX sub fine.

[31] DAMASC. *Opusc.* 36 c. 7; CLEM. Alex. *Strom.* 6; AMBR. *De interpel.* c. 2; *De Offic.* c. 14; TERT. *C. Marc.* c. 5; AUG. *De Trinit.* XV c. 7. Cf. etiam THEOD., GREG. Nyss., HILAR., DAMASC, etc. apud *Petav.* IV c. 4.

[32] DIONYS. *De div. nom.* c. 7; AUG. *De Gen. ad litt.* V c. 15.

[33] S. THOM. 1 p. q. 14 a. 5; *Cg.* I c. 48, 49.

[34] Eccli. **23**. 28.

[35] Ps. **7**. 10; Jerem. **17**. 10; Rom. **8**. 27.

[36] *Pravum est cor omnium, et inscrutabile : quis cognoscet illud ? Ego Dominus scrutans cor et probans renes.* Jerem. **17**. 9-10; 1 Reg. **16**. 7. Hinc evangelistae, ut divinitatem Christi ostendant, saepe notant ipsum cognovisse cogitationes adstantium. Matth. **9**. 4; **12**. 25; Luc. **5**. 22; **6**. 8; **9**. 47; etc.

[37] 1 Joan. **3**. 20.

[38] HILAR. in *Ps.* **137**.

Deum »[39]: *c) demonstrant* ex Scripturae testimoniis, quae docent neminem abscondi a Deo[40]: *d) explicant* ex praesentia Dei, siquidem « oculus Domini lucidior sole occulta omnia deprehendit, tenebrosa illuminat, et intimi cordis penetrat conscientiam[41] »: et *e)* inde *concludunt* officium recte agendi[42]. — **Ratio** praecipua deducitur ex *divina praesentia*. Scil. angelus et homo non possunt intueri secreta cordium quia animae illabi nequeunt: atqui Deus animae est praesentissimus[43]: ergo. S. THOM. arguit ex notione causae primae quae, agens opera nostra, cognitiones et volitiones nostras ignorare non potest[44].

163. **Quarta pars**. *Deus cognoscit etiam futura libera. a)* Primum **Scripturae** testimonium sunt *omnes prophetiae* quae, implendae tempore remotissimo et concursu plurium causarum liberarum, firmissima certitudine sunt datae a Deo[45]. Accedunt *b)* expressa testimonia; legimus enim: *Ego scio cogitationes ejus* (populi Israël), *quae facturus sit hodie*[46] — *Sciebat ab initio Jesus quis traditurus esset eum*[47] — Deus *vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt*[48]. Hinc *c)* Deus paratum se ostendit respondere interrogantibus de futuris: *Ventura interrogate me super filios meos, et super opus manuum mearum mandate mihi*[49]: *d)* Isaias vero provocat ad prophetias, quasi ad infallibile divinitatis signum: *Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos*[50]. — **Patres** non solum *a)* affirmant « cogitationes humanas... etiam instinctu futurae voluntatis Dominum Christum non ignorare »[51] et « praescientiam Dei tot habere testes, quos fecit prophetas »[52]; sed *b)* docent quod praescientia futuri est *nota* et *character* divinitatis, siquidem « qui non (est)

---

[39] AUG. *Serm.* 91 n. 5.

[40] AUG. in I *Joan.* trac. 6 n. 3.

[41] AMBR. *De interpel.* c. 2; *De offic.* I c. 14.

[42] « Arcana nostra, prope ipsum sunt. Omnia itaque faciamus sicut ipso in nobis habitante, ut illius simus templa et ipse sit in nobis Deus noster ». IGNAT. M. *Epist. ad Ephes.* n. 5.

[43] Supra n. 123.

[44] S. THOM. *Cg.* I c. 68.

[45] Cf. Vol. 1 n. 123-4; 150.

[46] Deut. **31**. 21.

[47] Joan. **6**. 65.

[48] Rom. **4**. 17. Scil. « gentes, quae nondum aderant, neque ex Abraham sene procreari posse videbantur, vocavit ac si coram jam adessent, quando ei dixit: *patrem* multarum gentium *posui te* ». CORNELY in *h. l.* p. 241.

[49] Isai. **45**. 11.

[50] Isai. **41**. 23.

[51] HILAR. *De Trin.* IX n. 59.

[52] TERTUL. *Cont. Marc.* II c. 5.

praescius omnium futurorum non est Deus »[53]: *c)* adversarios divinae praescientiae damnant de *apertissima insania* et *sacrilegio*[54]: *d)* hanc divinam praescientiam probant ex Dei *omnipraesentia et aeternitate*[55], necnon ex divina *operatione*, qua Deus rebus futuris jam nunc adest[56]. — **Rationis** argumentum sumitur ex divina *aeternitate*. Illud scil. quod modo est futurum contingens, aliquando erit praesens, et qua tale necessarium[57] ac cognoscibile eodem modo eademque certitudine quibus cognoscuntur praesentia : atqui Deus aeternitate, quae est *tota simul*, adest tempori, quo futurum erit praesens : ergo[58].

164. **Quinta pars.** *Deus cognoscit omnia futura conditionata seu futuribilia.* **Ex Scripturis** duo sunt celeberrima testimonia. In primo David quaerit a Domino *si descendet Saul* (Ceilam) *sicut audivit servus tuus ?... Et ait Dominus :* DESCENDET. *Dixitque David : si tradent viri Ceilae ?... Et dixit Dominus :* TRADENT[59]. In altero Christus improperat Corozaitas et finitimos incolas : « *Vae tibi Corozain! vae tibi Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere*

---

[53] ORIG. *Cont. Celsum* l. 6; JUST. M. *Apol.* 1 n. 12; TERTUL. *Apol.* c. 20; CYRIL. Alex. in *Isai.* IV *or.* 2.

[54] « Confiteri esse Deum et negare praescium futurorum apertissima insania est ». AUG. *De Civ. Dei* V c. 9 n. 1.

[55] « Quid futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora ?... Si, sicut in ordine temporalium creaturarum, ita et apud eum nondum sunt quae futura sunt... ; bis ergo ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum praescientiam, altero vero secundum praesentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accidit scientiae Dei : quod absurdissimum atque falsissimum est ». AUG. *Ad simpl.* II q. 2 n. 2; GREG. M. *Moral.* 20 c. 23; BOËT. *Pros.* 3-6.

[56] CYRIL. Alex. *Thes.* 22; ATHAN. *or.* 4; AMBR. *de Fide* V c. 7.

[57] Profecto rei *contingentia* pertinet ad futurum prout consideratur in *sua causa* a qua potest esse vel non esse; cum *in se ipso* existet, habebit esse hypothetice necessarium.

[58] S. THOM. 1 p. q. 14 a. 13. Ad difficultates praecavendas distingue inter *factum* praesentiae Dei futuris temporibus, et *rationem* facti; necnon inter realitatem quam res habent *in se*, et *in Deo*. In praesenti non agimus de modo quo Deus praesentialiter adsit futuris temporibus, sed de *facto;* hoc autem manifeste sequitur aeternitatem, quae est *tota simul*. Porro cum res futurae dicuntur *adesse* Deo, non est cogitandum de aliqua realitate, quam res futurae habeant *in se ipsis;* sed de illa tantum praesentialitate, qua adsunt Deo, prout divina essentia est perfecta imago possibilium, futuribilium et existentium secundum cujusvis temporis differentiam.

[59] 1 Reg. **23**. 10-12.

sedentes poeniterent [60]. Iamvero haec testimonia agunt *a)* de certa scientia *b)* eventuum qui, etsi *c)* futuri non sint, tamen *d)* non sunt mere possibiles, sed *e)* conditionales futuri liberi : atqui futurum liberum sub conditione, recepta voce, dicitur futuribile : ergo. Argumenti *minor* explicatione non eget ; *major* probatur per partes. Profecto allata testimonia *a)* AGUNT DE SCIENTIA CERTA quia non cunctanter, sed firma et absoluta assertione Deus respondet David et Christus enuntiat conversionem Tyriorum et Sidoniorum, quorum probabilis vel conjecturalis tantum conversio non esset efficax reprehensio Corozaitarum [61]. *b)* AGUNT DE EVENTU et non de solis dispositionibus animorum [62], quia David quaesierat de *ipso facto*, de quo etiam tam clare loquitur Christus, ut non solum dicat quod *poenitentiam egissent*, sed quod *perseverassent* in bono. *c)* NON AGUNT DE FUTURO quia David fugit de Ceila et salvatus est, et Tyri ac Sidonii in suis peccatis perierunt. NON AGUNT DE POSSIBILI quia attenta humana libertate, etiam contrarium erat possibile, et, veniente Saule, Ceilanitae *poterant* Davidem non tradere, sicut Christo praedicante, Tyri et Sidonii in malitia *potuissent* permanere. *d)* AGUNT DE FUTURO LIBERO SUB CONDITIONE, quia ipsa verba hoc exprimunt, et quia futurum, quod de facto non eveniet, conditionatum sit oportet. — **Patres** *a)* futuribilium cognitionem in Deo arguunt ex testimoniis Scripturae modo datis [63] : *b)* hanc vero scientiam Dei tam notam habent, ut ex illa explicent praedestinationem et reprobationem, necnon malorum originem : *praedestinationem* quidem quia ille, « qui ratione omnia gubernat, pro sua benignitate *materiam improbitati subtrahit*, dum voluntati, quam, *praesciente omnia vi sua cognovit*, tempus non tribuit, ut reipsa satis se suis in summa illa improbitate monstraret » [64] ; *reprobationem* quia non desunt Deo media efficacia salutis, quae tamen Deus inscrutabili suo judicio praescitis denegat [65] ; *originem plurium malorum*, quia Deus « multos illorum noscens malos alioquin

---

[60] Luc. **10**. 13 ; Sapien. **4**. 7-14 ; Jerem. **38**. 17-18.

[61] KNABEN. in *Matth.* p. 452.

[62] CARD. J. PECCI in *Accadem. Romana di S. Tom.* Vol. 5 fasc. 1 § 2 n. 13 ; CROSTA n. 282 ; JANSSENS p. 49.

[63] CYPR. *De Moral.* apud *A Lapide* in Sap. **4**. 12 ; AMBR. in *Luc.* VII c. 10 ; HIER. *De obitu Blesillae* ep. 25 ; AUG. *De bono persev.* II c. 9 ; *De praedest. sanct.* c. 14 ; *Enchir.* c. 90 ; etc.

[64] GREG. Nyss. *De morte praemat. infant.* ; AUG. *De bono persev.* c. 9.

[65] AUG. *De bono persev.* c. 9 n. 22 ; c. 11. *Ad Simplic. quaest.* 2 ; *De Praed. sanct.* c. 14.

futuros, ideo velut pedicis quibusdam sic eos poenis coërcet » [66]. *Confirmatur sensu fidelium,* qui, praeeunte CATH. ROM., noscunt posse quidem a Deo peti bona temporalia, « sed *ea tantum conditione,* si nobis ad Dei gloriam et ad salutem PROFUTURA SUNT » [67]. — **Ex ratione.** Nam si futuribile, respectu suae causae proximae, non est determinatum [68], nec proinde cognoscibile; in sua tamen praesentialitate, pro conditionata temporis differentia, est aliquid determinatum, siquidem a causa procederet actu determinato. Quia ergo prima veritas comprehendere debet quidquid habet determinatam veritatem, etiam futuribile debet cognoscere [69]. Ceterum, si non ponitur scientia futuribilium, destruitur divina providentia, quae non « potuisset antecedenti consilio ordinem ullum eligere, si ignoraret quidnam causae creatae liberae, pro varia conditione in qua ponerentur, operaturae essent: quemadmodum artifex opus, quod aggreditur, nequiret ordinare nisi praevideret quid consecuturum sit, prout hoc vel illo modo manus et instrumenta admoveat » [70].

165. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1** *(Contra 1 part.).* Infinitum dicitur illud in quo semper est aliud extra accipere: atqui, cum aliquid comprehenditur, totaliter exhauritur ut nihil intelligendum maneat: ergo ens infinitum comprehendi non potest. **Resp.** Aristotelica definitio procedit de virtute limitata, quae de infinito aliquid finitum sumit; sed virtus divina est infinita, et ideo potest infinitum exhaurire seu comprehendere.

166. **Objic. 2.** Comprehendere est limitibus circumducere: atqui infinitum limitari nequit: ergo. **Resp.** Divinae operationes analogice tantum a nobis cognoscuntur; nil ergo mirum quod juxta etymologiam imperfectionem aliquam involvant: ceterum limites in comprehensione non ponuntur *positive* ad perfectionem objecti coarctandam, sed *negative* ad removendum defectum cognitionis, quae non adaequet totam intelligibilitatem objecti.

167. **Objic. 3** *(Contra 2 part).* Cum corpora individuentur materia signata, quae in intellectum cadere nequit, intelligi tantum possunt per conversionem ad phantasmata [71]: atqui in Deo pure spirituali phantasmata

---

[66] CHRYS. ad *Stagirium* I c. 4; CLEM. Alex. *C. Julian.* III; GREG. M. *Moral.* XXXIII c. 19 n. 35; etc.

[67] CATECH. Rom. p. 4 c. 4 n. 5.

[68] Hoc modo nec *futurum,* uti vidimus, est determinatum.

[69] Cf. BILLOT *th.* 22 p. 193.

[70] KLEUTGEN n. 483. C. MAZZELLA *De Gratia* n. 666, 672; HONTHEIM n. 846 sqq.

[71] S. THOM. q. 86 a. 1.

repugnant : ergo Deus non cognoscit corpora. **Resp.** Materia signata, si non est in Deo formaliter, est *eminenter,* prout divina essentia est perfectissima imago omnium quae de ratione entis participant, sive spectent ad rationem generis, sive ad rationem speciei, sive ad rationem individui [72]; et ideo Deus optime cognoscit singularia, quae sua virtute creavit et sua providentia gubernat.

168. **Objic. 4** *(Contra 4 part.).* Quod Deus futurum cognoscit, non potest non evenire; et ideo est necessarium et non contingens : atqui futurum liberum est contingens : ergo. **Resp.** Hanc difficultatem, a Cicerone propositam [73], solverunt Patres ex notione praescientiae Dei quae futurum non causat, sed praesupponit [74]. Patrum vestigiis inhaerens, S. THOM. animadvertit futura non videri a Deo uti *futura,* sed uti *praesentia,* prout sua aeternitate Deus jam adest tempori, in quo futura erunt praesentia. Sicut ergo videndo Platonem sedere, non destruo libertatem actus quo Plato sedit; ita Deus videndo liberam determinationem voluntatis, qua homo aliquando operabitur, operationem ejus non reddit necessariam [75]. « Non igitur per Dei praescientiam mihi potestas (h. e. libertas) adimitur, quae propterea mihi certior aderit, quia ille, cujus praescientia non fallitur, adfuturam mihi esse praescivit » [76].

169. **Objic. 5** *(Contra 5 part.).* Cum de futuribili agitur, Scriptura adverbio *forte* absolutam certitudinem eventus mitigat [77] : ergo Deus futuribilia certa scientia non agnoscit. **Resp.** Imprimis adverbium *forte* non semper occurrit, sed aliquando futuribile absolute enuntiatur [78]; unde, cum adest, haberi potest pro pleonasmo. Ceterum si in latina dictione adverbium *forte* dubitationem sonat, in graeco sermone ἄν saepe est « expletiva confirmantis particula » [79], et, cum dubium insinuat, non respicit eventum pro tempore, quo « conditio executioni est mandata » [80], sed connotat tantum libertatem hominis, « ne ex praescientia

---

[72] S. THOM. 1 p. q. 14 a. 11 ad 1.

[73] CICERO *De Divin.* II.

[74] « Non quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere quod ille praescivit : sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum quasi Deus ». HIER. in *Jerem.* **26**. 3; ORIG. apud *Euseb.* Praep. Evang. c. ult.; AUG. *De lib. arb.* III c. 3 et 4; GAND. Brix. *De Pasch.* tr. 3; BOËT. *De Consol.* prosa 3-6; etc. *NB.* Revoca tamen quae diximus n. 153.

[75] « Nobis, quia cognoscimus futura contingentia, in quantum talia sunt, certa esse non possunt; sed (sunt certa) Deo, cujus intelligere est supra tempus. Sicut ille, qui vadit per viam, non videt illos, qui post eum veniunt; sed ille, qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, *simul* videt omnes transeuntes per viam ». S. THOM. 1 p. q. 14 a. 13; *De Verit.* q. 2 a. 12.

[76] AUG. *De lib. arb.* III c. 3 n. 8.

[77] Matth. **11**. 23

[78] Luc. **10**. 13.

[79] A LAPIDE in *Act.* 8. 22. Vulgata vertit *ne forte* etiam cum in tex. hebr. et graec. legitur simplex *ne.* KNAB. in *Matth.* p. 453.

[80] KNAB. in *Math.* II p. 452.

ejus (Dei, homo videatur) quasi necessitate vel facere quid vel non facere cogi » [81].

170. **Objic. 6.** Nihil est cognoscibile nisi in quantum *est;* intelligibilitas enim rationem entis consequitur : atqui futuribile non *est* in se, neque in suis causis : ergo cognosci non potest [82]. **Resp.** Etsi futuribile non sit actu pro aliqua *temporis realis* differentia [83], habet tamen veram rationem actus pro *tempore hypothetico;* unde si non est cognoscibile tamquam *re* existens, est cognoscibile tamquam *conditionate* existens. Porro S. THOM., cum cognitionem futuri absoluti explicat *praesentialitate,* non loquitur de praesentia, quam futurum coram Deo habet in *physica realitate,* quae certe *non est,* sed de praesentia *intentionali* quam in Deo possunt habere ea quae *in se non sunt.* Profecto, non est major difficultas cognoscendi *futurum,* quam *futuribile:* utrumque in causis proximis habet contingentiam, et caret determinata veritate et cognoscibilitate; sed in Deo, in quo res non repraesentantur solum prout in causis existunt, sed secundum propriam rationem *(possibilem, existentem* vel *futuribilem),* seu *in seipsis,* futurum et futuribile habent necessitatem consequentem, ac proinde determinatam veritatem et cognoscibilitatem.

171. **Objic. 7.** AUG. dicit quod « exinanitur omnino praescientia, si quod praescitur non erit. Quomodo enim recte dicitur praesciri futurum, quod non est futurum? » [84]. Et similiter S. THOM. docet quod « futura, prout futura sunt, nondum habent *esse* in seipsis : *esse* autem et *verum* convertuntur : unde, cum cognitio sit alicujus veri, impossibile est quod aliqua cognitio respiciens futurum *in ratione futuri,* cognoscat ea in seipsis » [85]. **Resp.** AUG. non negat simplicem futuribilium notitiam [86], sed contra Pelagianos, qui ex futuribilibus praemium et poenam parvulorum deducere conabantur, docet futuribilia non habere realitatem *futuri absoluti,* quae sit ratio sufficiens praeparationis praemii vel poenae : *praes*cientia enim *scientiae* respondet; unde *praescientia* ordinata ad praeparationem praemii et poenae est eorum tantum quae aliquando *scientur* digna praemii vel poenae, quod de futuribile non eveniet [87]. Quod attinet ad S. THOM. nulla difficultas, siquidem MOLINISTAE ipsi

---

[81] HIER. in *Jerem.* **26.** 3. De sensu adverbi *forte* vide PESCH n. 214; JANSSENS II p. 48.

[82] JANSSENS II p. 50-1; CROSTA n. 271 sqq.

[83] Neque enim *est,* neque *fuit,* neque *erit,* sed tantum *esset si.*

[84] AUG. *De anima* I c. 12 n. 15.

[85] S. THOM. *De Malo* q. 16 a. 7; 2-2 q. 171 a. 3; etc.

[86] AUG. saepe laudat Deum, quia de mundo eos aufert, quos lapsuros praenoscit : atqui si Deus futuribilia ignoraret non posset morte praevenire peccata, quae futuribilia sunt. AUG. *De Corr.* et *grat.* c. 8 n. 19; *De dono persev.* c. 9 n. 22.

[87] PESCH n. 215.

non dicunt futuribile cognosci a Deo *quasi futurum,* sed futurum cognosci a Deo uti *absolute praesens* pro reali temporis differentia, futuribile cognosci uti *conditionate praesens* pro hypothetica temporis differentia. Quemadmodum Deus sua immensitate non solum est ubique, sed ex parte sui adest illis quae dicuntur spatia imaginaria; ita sua aeternitate non solum adest temporibus realibus, sed etiam hypotheticis; unde, sicut *praesentialitate reali* cognoscit futura, *praesentialitate conditionata* cognoscit futuribilia.

ART. 3 - DE MEDIO DIVINAE COGNITIONIS.

(CATHOLICORUM DISPUTATIO)

172. **Quotuplex medium cognitionis.** Ut taceamus de *principio quod* (suppositum seu persona), *quo remoto* (natura) et *quo proximo* (facultas); nostra cognitio perficitur *a)* specie impressa quae, mentem informando, intellectionem causat, et dicitur *medium subjectivum quo; b)* specie expressa seu verbo mentis, quo intellectus sibi enuntiat objectum, et dicitur *medium subjectivum in quo;* cui in cognitione mediata additur *c) medium objectivum* seu *per quod* quod est res ducens in cognitionem alterius [1]. In Deo nullum est *principium* vel *medium* cognitionis realiter distinctum a natura, hoc enim divinae simplicitati repugnat; quia tamen nos divina humanis intelligimus, solent theologi loqui de *principio* et *medio* divinae cognitionis. Et quod attinet ad *principium* nulla difficultas: *principium quod* sunt divinae Personae quae una intellectione omnia cognoscunt: *principium quo remotum* est divina natura quae, purissimus spiritus, est summe intelligens: *principium quo proximum* iterum est divina natura prout a nobis sub formalitate intellectus percipitur. Quod vero attinet ad *media* divinae intellectionis, *medium in quo* Deus seipsum et omnia cognoscit est Verbum consubstantiale Patri et Spiritui S. [2]: *medium quo* [3] est divina essentia quae, cum « non sit determinata ad aliquam speciem vel genus entis, sed sit universale principium et virtus activa totius entis » [4], sola sufficit pro cognitione omnium: *medium objectivum* est iterum divina essentia quae, eminenter omnia continens, comprehendi nequit, quin simul cetera perfectissime intelligantur.

---

[1] V. g. cum Deum cognosco ex creaturis et animal ex conceptu hominis. In nobis datur etiam medium *sub quo* seu intellectus agens; sed hoc est proprium formae receptae in materia, unde locum non habet cum de Deo agitur.

[2] Videbimus in tr. *De Deo Trino.*

[3] Lato sensu accepto, stricte enim habet rationem causae, et supponit insufficientiam intelligentis.

[4] S. THOM. *Cg.* II c. 98.

173. **De medio objectivo divinae cognitionis opiniones plurimae.** Quamdiu agitur de cognitione *possibilium* et *existentium* nullus est theologorum dissensus, sed cum S. THOM. omnes docent Deum possibilia cognoscere in sua *essentia,* existentia vero in *operatione* qua ipse in res omnes influit esse; sed cum quaeritur de cognitione *futurorum* et maxime *futuribilium,* doctores in diversas abeunt sententias, quarum quinque praecipue recensentur. PRIMA docet futurum et futuribile a Deo cognosci in *comprehensione causarum;* si enim nos ex dispositionibus subjecti magna probabilitate futurum arguimus, Deus, qui intime scrutatur cor, cum certitudine cognoscit [5]: SECUNDA tenet Deum cognoscere in *suis decretis* absolutis vel conditionatis prout agitur de futuris vel de futuribilibus [6]: TERTIA affirmat Deum cognoscere *in se ipsis,* prout futurum et futuribile in se ipsis habent determinatam veritatem independentem a quavis causa creata vel increata; unde sine necessitate alicujus medii objectivi intelligi possunt ab intellectu qui omnem veritatem scrutatur [7]: QUARTA aestimat « unicam formalem rationem, qua Deus omnia futura contingentia intuetur, esse *aeternitatem* » [8]: QUINTA medium objectivum pro cognitione futuribilium constituit in divina *essentia prout est imago entis liberi,* futurorum vero in

---

[5] DE SAN n. 192 pro hac sententia citat DURANDUM, THOM. de Argent. et MOLINA; at Molina non constituit cognitionem futuribilis in perceptione dispositionum subjecti, sed in comprehensione liberi arbitrii; unde fautoribus quintae sententiae debet annumerari. Ad hanc classim melius revocantur qui praedictionem Christi de conversione Tyriorum et Sidoniorum explicant de revelatione dispositionum animorum (J. PECCI in *Accad. Rom. di S. Tom.* Vol. 5 fasc. 1 § 2 n. 13; JANSSENS II p. 49; CROSTA n. 282), necnon AUGUSTINENSES et THOMASSINUS (apud *C. Mazzella* 633 sqq., 678) qui efficaciam gratiae deducunt ex dispositionibus suscipientium.

[6] Decreta, quibus Deo innotescunt futura et futuribilia, non pari modo intelligunt: alii enim dicunt *praedeterminantia,* alii *definientia* et *permissiva,* alii *condeterminantia:* decreta *praedeterminantia,* quae in actum deducuntur praedeterminatione physica posuerunt BANEZ et ALVAREZ, quos secuti sunt THOMISTAE in genere: decreta *praedefinientia* (pro bonis actibus) et *permissiva* (pro peccatis) induxerunt RICARDUS, SCOTUS, BASSOL et MAYRON: decreta *concomitantia* seu *condeterminantia invexerunt* J. NEAPOLI, VULPE et MASTRIUS, de quibus videbis DE SAN n. 193 sqq.

[7] Pro hac sententia, cui adhaeret, DE SAN n. 199 citat CAPREOL., CAJET., FERRAR., CARTHUS., MARSIL., G. ARIMIN. et fere omnes patronos scientiae mediae, uti FONSECA, VASQUEZ, SUAREZ, VALENTIA, LESSIUM, ALBERT., BECANUM, RUIZ, ANNAT., G. DE HENAO, TANNER, RAYNAL., AMICUM, MAYR, ULLOA, FABER, PONCIUM; sed plures, maxime e thomistis, cognitionem *in se ipsis* non intelligunt de *medio,* sed de *objecto* divinae scientiae, quod ultro et nos fatemur; siquidem Deus cognoscit effectum non solum in ordine ad causas sed etiam in propria natura.

[8] JANSSENS II p. 141.

notitia futuribilium conjuncta cum divina operatione decretoque efficiendi quod praevidit [9].

174. **Ponendane est in Deo scientia media?** Scientia *media* est scientia futuribilium, contradistincta a scientia *simplicis intelligentiae* qua Deus scrutatur possibilia, et a *scientia visionis* qua cognoscit existentia juxta temporis differentiam [10]; dicitur autem *media,* quia « medium est quodammodo extrema » [11], et scientia futuribilium participat de scientia simplicis intelligentiae prout excludit absolutam existentiam sui objecti, et de scientia visionis prout supra possibilitatem ponit in objecto existentiam secundum quid, seu conditionatam. Verum, quaestio de scientia media potest institui respectu habito ad *rem* cognitam, et in ordine ad *medium* cognitionis: primo modo scientiam mediam fateri debent omnes qui, futuribile distinguentes a possibile, futuribilium certam notitiam tribuunt Deo [12]: altero affirmant illi qui dicunt Deum conoscere futuribilia *in se ipsis* sine ullo medio objectivo, sed negatur a ceteris qui nobiscum docent Deum cognoscere futuribilia in sua essentia[13].

THES. 17. *Medium objectivum Deo necessarium pro cognitione creaturarum — 1 est divina essentia adaequate inspecta quae, — 2 formaliter considerata, inducit cognitionem possibilium, — 3 prout vero identificatur cum divina voluntate patefacit existentia.*

175. **Prima pars.** *Medium objectivum et necessarium pro cognitione creaturarum est in Deo sua essentia.* Nam, cum Deus sit infinite perfectus et actus purissimus, duci nequit in cognitionem mundi, specie a rebus accepta: ergo medium *subjectivum* (species impressa) suae cognitionis est sua ipsa substantia, seu essentia: atqui species, primo et per se, non actuat intellectum nisi ad cognitionem rei cujus est species: ergo objectum quod primo et per se attingitur a divino intellectu, et quo cetera a Deo percipiuntur, est divina essentia; quae proinde

[9] MOLINA in 1 p. q 14 a. 13; BILLOT *th* 22 p. 190 sqq.; MATTIUSSI in 1 p. q. 57 a. 3. Quoad substantiam doctrinae conveniunt etiam HONTHEIM n. 867 et 880 sqq.; PESCH n. 235 sqq.; SCHIFFINI *Metaph.* II n. 487 sqq.; licet differant quoad modum loquendi, divinam essentiam facientes medium objectivum, prout includit *concursum conditionatum.* At hoc non videtur necessarium, siquidem *concursus,* utpote proportionandus liberae voluntatis electioni, notitiam determinationis ejus praesupponit. Ceterum quae de influxu divino in determinatione voluntatis tenenda sint, dicemus in tr. *De Gratia.*

[10] Scil. praeteritum, praesens et futurum.

[11] ARIST. *Phys.* V Ausc. c. 1.

[12] Hoc sensu a MOLINA esse adhibitam vocem, ostendit BILLOT *th.* 22 p. 204.

[13] BILLOT p. 210 sq.; MATTIUSSI in 1 p. q. 57 a. 3.

dicenda est medium objectivum pro cognitione mundi, siquidem « *totum esse* velut immensum quoddam ac nullis terminis definitum essentiae pelagus, complexu suo, comprehendens » [14] est quasi speculum, in quo omnia repraesentantur.

176. **Secunda pars.** *Possibilia cognoscuntur a Deo in sua essentia formaliter inspecta.* Nam possibilia non habent specialem ordinem ad voluntatem [15] vel operationem [16], quarum non sunt effectus, sed potius radix et fundamentum [17] : ergo debent cognosci a Deo in sua essentia formaliter inspecta ; « unaquaeque (enim) creatura habet propriam speciem secundum quod aliquo modo participat divinae essentiae similitudinem » [18].

177. **Tertia pars.** *Existentia Deus cognoscit in sua voluntate et operatione.* Existentia non cognosci a Deo in sua essentia formaliter inspecta manifestum est, quippe essentia Dei est necessaria, existentia vero sunt contingentia : cognosci e contra in sua operatione vel voluntate [19] facile constat, quippe omnia sunt ex divina operatione, et qui cognoscit operationem cognoscit etiam ejus terminum. « Quicumque, inquit S. THOM., cognoscit perfecte rem aliquam, cognoscit omnia quae de illa re vere possunt dici, et quae ei conveniunt secundum suam naturam. Deo autem secundum suam naturam convenit quod sit aliorum causa. Cum igitur perfecte seipsum cognoscat, cognoscit se esse causam, quod esse non potest nisi cognoscat aliqualiter causatum » [20].

THES. 18. *Futurum liberum sive absolutum sive conditionatum Deus, — 1 non cognoscit in causis, — 2 neque in se ipsis, — 3 neque in sua aeternitate formaliter inspecta, — 4 neque in decretis absolutis vel conditionatis; sed — 5 futuribile intuetur in sua essentia, prout est imago entis liberi, — 6 futurum prout sua voluntate statuit futuribilium conditionem in actum deducere.*

---

[14] DAMASC. *De fide orth.* I c. 9; S. THOM. *Cg.* I c. 54; *Comp. theol.* c. 30; 1 *Dist.* 35 q. 1 a. 2; etc.

[15] Hoc docuit DESCARTES P. 1 epist. 110, 112, 115; P. 2 epist. 104, etc.

[16] Sic OCKAM. 1 *Dist.* 43 q. 2.

[17] « Dicitur aliquid possibile vel impossibile absolute ex habitudine terminorum. *Possibile* quidem *absolute,* quia praedicatum non repugnat subjecto, ut Socratem sedere. *Impossibile* vero *absolute,* quia praedicatum repugnat subjecto, ut hominem esse asinum ». S. THOM. 1 p. q. 25 a. 3. *De Potentia* 1 a. 7.

[18] S. THOM. 1 p. q. 15 a. 2.

[19] Dicimus *operatione* vel *voluntate* seu *decreto* efficiendi, quia operatio est ratio proxima effectus, decretum vero concipitur ut ratio operationis, quamvis proprie loquendo Deus voluntate efficiat.

[20] S. THOM. *Cg.* I c. 49; 1 p. q. 14 a. 5. *NB.* Attendas ly *aliqualiter* non significare *imperfectionem cognitionis,* sed *modum* cognoscendi.

178. **Prima pars.** *Deus futurum et futuribile non cognoscit in causis secundis.* Nam sic futurum « consideratur ut futurum, et ut contingens *nondum determinatum ad unum;* quia causa contingens se habet ad opposita; et sic contingens *non subditur per certitudinem alicui cognitioni.* Unde quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem » [21].

179. **Secunda pars.** *Futurum et futuribile Deus non cognoscit in seipsis.* Nam in praesenti agitur de *medio* divinae cognitionis [22]; unde *cognoscere in seipsis,* est cognoscere independenter a divina essentia tamquam a medio objectivo in quo reluceant, et consequenter etiam independenter ab ea tamquam a medio subjectivo; siquidem, ut vidimus, medium subjectivum (seu species) directe actuat tantum ad cognitionem rei cujus est imago [23]: atqui repugnat Deum attingere res specie distincta a sua essentia, siquidem in sua cognitione ab externa causa penderet: ergo [24]. Ceterum cum scientia Dei sit immutabilis, Deus non potest *aliter cognoscere* futurum et praesens; futurum enim aliquando erit praesens: atqui praesentia Deus non cognoscit *in seipsis,* sed *in seipso:* ergo.

180. **Tertia pars.** *Futurum et futuribile Deus non cognoscit formaliter in aeternitate.* Licet enim aeternitas sit *ratio,* ut ita dicam, *extrinseca* cognitionis futurorum et futuribilium, quae in reali vel hypo-

---

[21] S. THOM. 1 p. q. 14 a. 13; *De Malo* XVI a. 7.

[22] Hinc patet aequivocatio eorum qui cum DE SAN n. 199 citant pro hac sententia S. THOM. 1 *Periher.* lec. 13-4; 1 p. q. 13 a. 6 ad 1; q. 14 a. 13; q. 20 a. 2 ad 2; q. 57 a. 3 ad 3; 2-2. q. 171 a. 6 ad 2; q. 174 a. 1; *Cg.* I c. 66-7; *De Verit.* q. 2 a 4 ad 6; 1 *Dist.* 38 a. 5 etc.; nam S. THOM. cognitionem rerum *in se ipsis* non opponit cognitioni *in se ipso* seu *in sua essentia,* sed cognitioni *in causis secundis,* dicens Deum cognoscere effectus non solum in causa necessaria vel libera, sed etiam *in se ipsis,* h. e. in realitate quam ex proprio esse mutuantur.

[23] Cf. supra n. 175.

[24] « Considerandum est, ait S. THOM.. quod dupliciter aliquid cognoscitur: uno modo *in seipso,* alio modo *in altero. In seipso* (scil. *per se, directe, primario, immediate*) quidem cognoscitur aliquid quando cognoscitur res per speciem *propriam adaequatam* ipsi cognoscibili; sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis. *In alio* (scil. *in medio obiectivo, indirecte, secundarie*) autem videtur id quod videtur *per speciem continentis,* sicut cum pars videtur in toto per speciem totius; vel cum homo videtur in speculo per speciem speculi, vel quocumque alio modo contingat aliquid in alio videri. Sic igitur dicendum est quod Deus seipsum videt *in seipso,* quia seipsum videt per suam essentiam. Alia autem a se videt NON IN SEIPSIS sed IN SEIPSO, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso. 1 p. q. 14 a. 5; *De Veritate* q. 2 a. 3 ad 2 et ad 5; HONTHEIM n. 860 sqq.

thetica existentia adsunt enti aeternitate immutabili [25]; aeternitas tamen non explicat modum hujus praesentiae, nec concipi potest uti medium *in quo* praeterita, praesentia et futura intentionaliter adsunt Deo. Radix hujus praesentiae constituenda est in aliquo quod *repraesentative* exhibeat res cognoscendas; tale autem non est aeternitas formaliter inspecta.

181. **Quarta pars.** *Futurum et futuribile Deus non cognoscit formaliter in suis decretis.* Nam si decretum concipitur *in se ipso determinatum* ad unum independenter ab humana voluntate, cujus determinationis sit causa [26], actum est de libero arbitrio, quod est potentia se ipsam determinans ad unum [27]; si decretum respicit influxum *subsequentem* vel *concomitantem* exercitium humanae libertatis [28], finem non juvat, quippe integra manet quaestio de modo quo Deus determinationem humanae libertatis praevideat, ut ei aptet concursum simultaneum, quo tandem futurum liberum agnoscat: ergo.

182. **Quinta pars.** *Futuribile Deus cognoscit in sua essentia prout est imago entis liberi. a)* Nam vidimus medium *in quo* Deus intuetur alia a se esse divinam essentiam: ergo futuribilia Deus cognoscit in essentia formaliter inspecta vel in eadem virtualiter considerata, h. e. in sua voluntate et operatione: atqui non videt in sua voluntate et operatione, quia futuribilia numquam efficientur divina operatione: ergo [29]. *b)* Ceterum divina essentia non est tantum speculum et imago entium necessariorum, sed etiam liberorum, quae profecto in amplitudine entis infiniti continentur: atqui *contingentia* nihil aliud est quam modalitas quaedam, et, ut ita dicam, inflexio actum liberorum: ergo etiam contingentia actum liberorum repraesentatur in divina essentia, quae proinde est sufficiens medium objectivum pro eorum cognitione. Undenam sit quod ens liberum in determinatis quibusdam circumstantiis agat vel non agat, eligat unum vel aliud, non intelligimus, siquidem est ipsum libertatis mysterium; sed quod in actum aliquem determinatum

---

[25] Supra n. 163.

[26] Hoc docetur a THOMISTIS qui medium exequendi decretum divinum dicunt *praemotionem physicam praedeterminantem.*

[27] « Potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinate exeat in hunc actum vel illum, *non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate* » S. THOM. II *Dist.* 39 q. 1 a. 1; *De Pot.* III a. 7 ad 13; 1-2 q. 10 a. 4, etc.

[28] Hoc docent plures e Soc. Jesu qui constituunt concursum simultaneum *medium in quo* pro cognitione futuri.

[29] Accedit quod divina *operatio* non est medium cognitionis nisi in quantum natura saltem praecedit exercitium virtutis creatae; si ergo esset medium pro cognitione futuribilium, determinatio futuribilium antecederet exercitium liberi arbitrii, quod obstat libertati nostrae.

exire debeat est omnino manifestum : quia ergo omne quod in ratione entis est determinatum habet etiam determinatam veritatem, quae in divina essentia, fonte totius veritatis, inveniri necesse est; profecto futura conditionata seu futuribilia repraesentari debent in divina essentia, et per eam a Deo cognosci. « Futuribile, inquit BILLOT, in quantum hujusmodi hoc habet proprium, ut supra id, quod est *possibile* potentia respiciente virtutem liberae voluntatis creatae, ponat *determinatam contingentiam* unius ex possibilibus oppositis sub hypothesi certorum adjunctorum. Porro haec ipsa *determinata contingentia* est etiam in suo ordine quidam specialis modus entis participati, qui in tantum cadere debet sub divino intuitu, in quantum intuitus ille primario fertur super ipsum Esse subsistens, et ex consequenti super omnes modos atque ordines participationis ejus » [30].

183. **Sexta pars.** *Futurum absolutum Deus cognoscit in libero decreto (seu operatione) quo praevisum futurum conditionatum in actum deducere statuit.* Profecto futurum aliquando *erit;* tunc ergo cognoscetur a Deo ipsissimo modo quo omnia existentia cognoscit : atqui existentia cognoscit prout, praelucente scientia de eorum natura, comprehensione suae virtutis cognoscit decretum, seu operationem, qua esse eis tribuit : ergo futurum aliquando cognoscetur a Deo comprehensione voluntatis qua statuit in actum deducere quod praevidit, et operationis qua esse tribuet eis : atqui scientia Dei est immutabilis : ergo jam nunc Deus futurum cognoscit in comprehensione suae voluntatis qua futurorum existentiam decrevit, et in operatione qua ea in actum deducet. Neque hoc obstat humanae libertati; voluntas quippe Dei non specificat naturam actuum creaturarum, sed eis conformatur, dum transfert de potentia in actum [31]. Difficultas se habet tantum ex modo, quo Deus liberam electionem voluntatis in quibuscumque adjunctis praecognoscit, quod pertinet ad quaestionem de cognitione futuri-

---

[30] BILLOT *th.* 22 p. 207. « Positiva ratio, inquit MATTIUSSI in 1 p. q. 57 a. 3, cur Deus omnia cognoscat, ea est quia *in ipso,* ut in primo fonte omnis entitatis, praecontinentur omnia secundum omnia prorsus, quae in re sunt. Et quod spectat ad necessaria non est difficultas. Quod pertinet ad contingentia intelligendum est *contingentiam* quoque *esse quamdam determinationem entis,* quae in Deo est, et in ipso entitative eminenter et intellective formaliter praecontinetur... Proinde quia haec est positiva ratio cur Deus omnia cognoscat, pariter omnino ille novit, *quae forent in quocumque ordine possibilium* (scil. omnia possibilia et futuribilia).

[31] Deus, ait S. THOM. *De Malo* VI a. unic. « cum omnia moveat secundum rationem mobilium, ut levia sursum et gravia deorsum, etiam voluntatem movet secundum ejus conditionem, non ut ex necessitate, sed ut indeterminate se habentem ad multa ». Cf. *II Dist.* 39 q. 1 a. 1; *Quodl.* I a. 7 ad 2.

bilium; quandoquidem « futurum absolutum nihil aliud est quam ipsum futuribile in existentium ordinem translatum secundum rationem contingentiae et libertatis, sub qua in statu futuribilitatis praesciebatur » [32].

ART. 4. - DE OMNIPOTENTI DEI VOLUNTATE.

184. **Voluntas, libertas.** VOLUNTAS definitur ab ARIST. *appetitio boni cum ratione* [1]. Sicut nempe sensibilem cognitionem consequitur appetitus sensibilis, quo animalia sibi quaerunt necessaria ad propriam perfectionem, puta cibum, habitationem, etc.; ita intellectionem consequitur appetitus intellectualis [2], quo entia rationalia quaerunt bona ab intellectu proposita. Facultas, qua hujusmodi naturalem tendentiam exequimur, dicitur *voluntas* [3]. LIBERTAS non est facultas distincta a voluntate [4], sed est *perfectio voluntatis habentis dominium suae determinationis* [5]: scil. appetitus rationalis, qui per ordinem ad omnia sua objecta genericum nomen *voluntatis* accipit; respectu bonorum, quae illum non determinant ex necessitate, dicitur *liberum arbitrium,* quod proinde a voluntate non distinguitur *re* sed *ratione.*

185. **Voluntatis divisiones.** Voluntas dividitur in *antecedentem* et *consequentem, absolutam* et *conditionatam beneplaciti* et *signi.* Prima distinctio sumitur *ex parte objectorum,* et voluntas dicitur ANTECEDENS si respicit objectum praecisione facta a circumstantiis et veluti in abstracto, CONSEQUENS si illud attingit in concreto seu cum adjunctis, quibus existit vel existere potest [6]. Jamvero « voluntas comparatur ad res secundum quod in seipsis sunt; in seipsis autem sunt in particulari. Unde *simpliciter volumus* aliquid secundum quod volumus consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est *consequenter velle* » [7]. Voluntas ergo antecedens deficit a perfecta ratione voluntatis, et ideo vocatur etiam voluntas *secundum quid* vel voluntas *conditionata,* qua ponuntur quidem nonnulla media ad finem, sed

---

[32] BILLOT th. 22 p. 209.

[1] ARIST. *Rhet.* I c. 10.

[2] S. THOM. 1 p. q. 19 a. 9.

[3] Cf. TIL. PESCH *Inst. Psyc.* Vol. 3 n. 908.

[4] S. THOM. 1 p. q. 83 a. 2; 1-2 q. 13 a. 1; TIL. PESCH *l. c.* n. 914.

[5] BILLOT p. 228.

[6] Exemplum voluntatis *antecedentis* habes in rege cum omnium subditorum felicitatem exoptat, *consequentis* cum homicidam carnifici tradit. S. THOM. 1 p. q. 19 a. 6 ad 1.

[7] S. THOM. *l. c.*

finis ipse non obtinetur [8]. Secunda distinctio se habet *ex parte modi* quo voluntas tendit in objectum et dicitur ABSOLUTA si appetit sine exceptione, CONDITIONATA si vult dependenter ab aliqua conditione, quae potest non impleri. Haec divisio praecedenti affinis est, sed cum illa non confunditur; quamvis enim voluntas *antecedens* semper conditionem aliquam subaudiat [9], voluntas tamen *absoluta* non semper conditionis implementum supponit, siquidem, cum objectum est *per se* bonum, a voluntate *absoluta* appetitur etiam antecedenter [10]. — Ultima distinctio respicit voluntatem *in se*, et voluntas dicitur BENEPLACITI cum existit in ipso volente, SIGNI cum exterius manifestatur; sunt autem quinque signa voluntatis, scil. prohibitio, praeceptum, consilium, operatio et permissio; unde voluntas signi est *prohibitiva* cum aliquid vetat, *praeceptiva* cum aliquid imperat, *consiliativa* cum aliquid ut utilius ad finis consecutionem suadet, *permissiva* cum malum scienter et volenter, intuitu boni, non impedit, *operativa* cum aliquid facit. — Si nunc voluntatem beneplaciti comparare velis cum voluntate signi, invenies hanc semper illam praesupponere [11], non tamen ita, ut in objecto semper conveniant. Revera *permissio* supponit voluntatem beneplaciti de objecto contrario, *praeceptum, prohibitio* et *consilium*, licet ordinarie [12] manifestent voluntatem beneplaciti de se praecepta vel consulta, aliquando sunt signa voluntatis inducendi tantum obligationem vel convenientiam rei faciendae vel vitandae [13].

186. **In quo differat nostra a divina libertate.** Etsi libertas sit perfectio simplex, ex modo tamen quo in nobis invenitur, triplicem suscipit imperfectionem, scil. ex parte sui, ex parte operationis et ex parte objecti. *Ex parte sui* quia nostra voluntas est accidens receptum in anima ac proinde ens imperfectum : *ex parte operationis* quia nostra voluntas non est semper in actu, sed transit

---

[8] Cf. BILLOT *th.* 27 p. 236.

[9] V. g. volo vitam subditorum si bene agant.

[10] Suo loco videbimus voluntatem absolutam in praedestinatione esse *antecedentem*, in reprobatione esse *consequentem*.

[11] Secus esset hypocrisis, Deo repugnans.

[12] Etiam apud nos aliquando superior rem praeceptam non intendit, sed solam vult subditi obedientiam.

[13] Si Deus, *cui subest, cum voluerit, posse* (Sap. **12**. 18), simpliciter et absolute *vellet* quod praecipit, semper eveniret, nec ab humana libertate posset impediri. Cf. S. THOM. 1 p. q. 19 a. 11-12; *De Verit.* q. 23 a. 3; BILLOT p. 248 sqq.; KLEUTGEN n. 916; HONTHEIM 919.

de potentia in actum : *ex parte objecti* quia voluntas nostra potest appetere bonum tantum apparens. In Deo nulla imperfectio esse potest : Dei ergo voluntas *non est accidens* sed subsistens, scil. ipsissima sua substantia : *non transit de potentia* in actum, neque consistit in indifferentia actus sed solius termini [14] : non respicit *ultimum finem, neque media ad illum inordinabilia;* siquidem haec indifferentia est mala, et consequitur imperfectam apprehensionem finis.

187. **Divinae voluntatis multiplex ratio, nulla causa.** Nostra voluntas movetur ab objecto et maxime a fine qui causarum prima dicitur [15]; sed Deus est movens immobile, unde suae voluntatis causam non habet. Quia tamen objecta, quae cadunt sub divina voluntate, saepe vinciuntur nexu causalitatis, dantur divinae volitionis *rationes,* quatenus Deus unum vult esse *pro alio* [16]. S. THOM. rem illustrat analogia sumpta ex cognitione; etenim « cum voluntas consequatur intellectum, eodem modo contingit esse causam alicujus volentis, *ut velit,* et alicujus intelligentis, *ut intelligat.* In intellectu autem sic est, quod si seorsum intelligat principium, et seorsum conclusionem, intelligentia principii est causa scientiae conclusionis. Sed si intellectus in ipso principio inspiceret conclusionem, unico intuitu apprehendens utrumque, in eo scientia conclusionis non causaretur ab intellectu principiorum, quia idem non est causa suipsius, sed tamen intelligeret principia esse causas conclusionis. Similiter est ex parte voluntatis... ; unde si aliquis uno actu velit finem, et alio actu ea quae sunt ad finem, velle finem erit causa volendi ea, quae sunt ad finem. Sed si uno actu velit finem et ea, quae sunt ad finem, hoc esse non poterit; quia idem non est causa sui ipsius. Et tamen erit verum dicere quod ea, quae sunt ad finem, *velit ordinare* in finem. Deus autem sicut uno actu omnia in essentia sua intelligit, ita uno actu vult omnia in sua bonitate. Unde sicut in Deo *intelligere causam* non est causa *intelligendi effectus,* sed ipse intelligit effectus in causa; ita *velle finem* non est ei *causa volendi ea quae sunt ad finem:* sed tamen vult ea, quae sunt ad finem, *ordinari* in finem. *Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc* » [17].

188. **Divinae voluntatis omnipotentia.** Inter praecipuas divinae voluntatis proprietates est *omnipotentia,* de cujus existentia in thesi agemus. Juxta etymologiam dicit infinitam virtutem, quae nulla objecti difficultate vel magnitudine detinetur, unde valet per se facere quae-

---

[14] Supra n. 111.

[15] S. THOM. 1 p. q. 5 a. 4.

[16] HONTHEIM n. 897 sqq.; JANSSENS p. 247 sqq.

[17] S. THOM. 1 p. q. 19 a. 5; *Cg* I c. 86.

cumque aliis potentiis sunt possibilia [18], imo omnia, quae veritatem aliquam exhibent, seu in suis notis contradictionem non involvunt [19]. Porro omnes divinam omnipotentiam distinguunt in ABSOLUTAM et ORDINATAM, sed non omnes in distinctionis sensu conveniunt. Quidam *ordinatam* dicunt omnipotentiam quae explicatur in praesenti ordine providentiae, *absolutam* quae ab ordine statuto praescindit et res in seipsis considerat [20]: alii potentiam *ordinatam* intelligunt de cursu naturae, *absolutam* eam qua Deus *praeter, supra* vel *contra* cursum naturae operatur [21]: JANSENISTAE et AUGUSTINENSES potentiam *ordinatam* eam dicunt, quae consonat omnibus divinis attributis et maxime sanctitati ac sapientiae, *absolutam* quae a sanctitate et sapientia praescindit et objecta respicit tantum secundum notas non repugnantes [22]. Jamvero postremus hic distinctionis sensus retineri nequit; ut enim loquitur S. THOM., « in nobis, in quibus potentia et essentia aliud est a voluntate et intellectu, et iterum intellectus aliud a sapientia, et voluntas a justitia, potest esse aliquid in *potentia,* quod non potest esse in *voluntate justa* vel *intellectu sapiente;* sed in Deo est idem potentia et essentia, et voluntas, et intellectus, et sapientia, et justitia: unde nihil potest esse in *potentia divina* quod non possit esse *in voluntate justa* ipsius, et in *intellectu sapiente* ejus » [23].

189. **Omnipotentia Dei non obstat nostrae libertati.** Prima fronte divina omnipotentia obstare videtur nostrae libertati; si enim frustrare possumus divinam dispositionem, Deus non est omnipotens; et si non possumus, non habemus potentiam *ad utrumlibet,* quod est de ratione libertatis. Sed dicendum cum S. THOMA quod omnipotentia non est confundenda cum coactione; ad omnipotentiam quippe pertinet non solum obtinere *effectus volitos,* sed etiam obtinere *modo volito.* « Cum enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantum secundum *id quod fit,* sed etiam secundum *modum fiendi* vel *essendi*... Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum

---

[18] V. g. *comburere* ut ignis, *refrigerare* ut aqua, *cogitare* ut homo, etc.

[19] S. THOM. 1 p. q. 25 a. 3.

[20] V. g. potentia *absoluta* Deus posset homini nullam gratiam impertiri, sed non potest *ordinata,* quia voluit omnes homines salvos fieri. Cf. S. THOM. 1 p. q. 25 a. 5 ad 1; *Cg.* III c. 96.

[21] Hoc sensu miracula et opera gratiae spectant ad potentiam *absolutam.*

[22] Hoc sensu est possibile de potentia *absoluta* quod Deus justum puniat in inferno, vel quod divina Persona hypostatice uniatur creaturae irrationali.

[23] S. THOM. 1 p. q. 25 a. 5 ad 1; C. MAZZELLA *De Deo Creante* n. 892; SCHIFFINI *Metaph.* II n. 515.

sequitur quod fiant ea, quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quaedam fieri Deus necessario, quaedam contingenter; ut sit ordo in rebus, ad complementum universi. Et ideo, quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quae deficere non possunt, ex quibus effectus *de necessitate* proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus *contingentes* eveniunt [24] ». Et si quaeris de modo, quo Deus ab ente libero obtinere possit quae vult, respondemus esse ex *scientia conditionalium*. Cognoscit scil. Deus in sua essentia quidquid factura esset creatura libera constituta in determinatis quibuslibet circumstantiis sub influxu gratiae vel naturalis motionis: si igitur praeparat circumstantias opportunas et confert gratias praevisas efficaces, effectus bonus certissime habebitur [25], non infallibilitate *antecedente* sed *consequente* electionem causae secundae a Deo praevisam [26].

190. **An divina voluntas sit radix vel causa contingentiae rerum.** Hoc communiter docent THOMISTAE, qui aestimant praedeterminationem non auferre libertatem, quia Deus actuat voluntatem *determinando libere*. Sed pace tantorum auctorum, hoc est absurdum. Sicut voluntas Dei non potest conferre possibilitatem rei, quae notas contradictorias exhibet [27], ita non potest facere ut necessarium sit contingens: atqui operatio, quae antecedenter ad electionem voluntatis est determinata ad unum, est necessaria: ergo. Radix contingentiae non est repetenda ex divina voluntate, sed proxime ex natura rei, ultimo ex divina essentia quae est etiam imago entium contingentium [28]. — Quod si quaestio non proponitur de *contingentia rerum*, sed de *existentia contingentium*, omnino damus contingentia esse ex divina voluntate; ipsa enim esse voluit causas liberas, ut extarent effectus contingentes [29], et, cum posset causas liberas ex necessitate movere [30], media elegit quae effectum assequuntur exercitio liberi arbitrii [31].

---

[24] S. THOM. 1 p. q. 19 a. 8; 1-2 q. 10 a. 4.

[25] Dari gratiam, cui homo libere sed infallibiliter consentit, patet ex infinita virtute Dei. « Quis enim dicat, modum, quo ei (obdurato) persuaderetur, ut crederet, etiam omnipotenti defuisse? ». AUG. *Ad Simp.* I q. 2. n. 14.

[26] Cf. BILLOT p. 246.

[27] S. THOM. 1 p. q. 25 a. 3 et 4.

[28] « Unaquaeque creatura habet propriam speciem (ideoque etiam ens contingens propriam contingentiam), secundum quod aliquo modo participat divinae essentiae similitudinem ». S. THOM. 1 p. q. 15 a. 2; HONTHEIM n. 950-2.

[29] S. THOM. 1 p. q. 19 a. 8 in fine; *Quodl.* XI a. 3.

[30] Profecto Deus posset libertatem auferre et cogere creaturas liberas, ut patet de his quos in infernum detrudit.

[31] S. THOM. *De Verit.* q. 23 a. 5; *Periher.* I lect. 14.

191. **Errores** — **Veritas.** *Objectum* divinae voluntatis corruperunt NOVATORES Deum facientes autorem peccati [32]: *efficaciam* imminuerunt DUALISTAE materiam et mala physica subtrahentes a Deo bono [33]: *libertatem* negarunt FATALISTAE, PANTHEISTAE et OPTIMISTAE [34]. — **Veritas.** Deum non esse auctorem peccati definivit CONC. TRID.: « S. q. d... mala opera, ita ut bona, Deum operari non permissive tantum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli; a. s. » [35]: omnipotentiam et libertatem divinae voluntatis docet CONC. VATIC., affirmans quod Deus « *omnipotenti* virtute... *liberrimo consilio*... utramque de nihilo condidit creaturam » [36].

THES. 19. *Est in Deo — 1 voluntas, qua — 2 seipsum primario, cetera secundario vult; — 3 licet autem mala physica Deus indirecte aliquando velit — 4 peccata nullo modo vult, sed — 5 tantum permittit.*

192. **Prima pars.** *Est in Deo voluntas.* Ex **Scripturis** et ex **Patribus** facile possent congeri testimonia quibus *voluntas* ejusque actus *volitio, permissio, electio,* etc. enuntiantur de Deo; sed quia nimis obvia sunt et in tertia et quarta parte adhuc recurrent, praeterimus. **Ratio** sumitur cum S. THOMA *ex ordine mundi,* qui praesupponit auctorem intelligentem et volentem; intelligentem quidem quia intellectus est ordinare, volentem quia ex sola notitia res non efficiuntur sed in actum deducuntur *imperio,* quod voluntatis est actus. Item *ex natura entis intelligentis.* Nam « illud quod consequitur omne ens, convenit enti in quantum est ens. Quod autem

---

[32] LUT., CALV., MELANC., ZWINGL. apud *Janssens* II p. 273; *Tanquerey* n. 94.

[33] *Dualismus* in Persia ex ZOROASTRO originem duxit, eumque plusminusve professi sunt PLATO, CERDONIANI, MARCIONISTAE, GNOSTICI, VALENTINIANI, MANICAEI, PRISCILLANISTAE, ALBIGENSES et CATHARI, de quibus videbis *Janssens* I p. 408-9.

[34] Ex *Fatalistis* commemorantur HELLENI (*Hergenrother* I p. 51), STOICI et poëtae qui deos fato Parcarum subjiciebant; his medio aevo accesserunt ABAELARDUS, WICLEFFUS, LUTHERUS et CALVINUS; ultimis vero temporibus Rationalistae cum COUSIN et SAISSET necnon Semirationalistae cum GÜNTHER et ROSMINI (pr. 18) necessitatem creationis obtrudentes: de *Pantheistis* diximus n. 6: *Optimistis,* qui blaterabant Deum potuisse quidem non creare mundum, sed creando alium facere non potuisse, connumerantur MALEBRANCHE, LEYBNITZ et WOLF, de quibus suo loco dicetur. Cf. *Janssens* I p. 239, 243-4; *Tanquerey* n. 94 e 100.

[35] CONC. TRID. Sess. 6 cn. 6.

[36] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 1.

est hujusmodi, oportet quod in eo maxime inveniatur, quod est primum ens. Cuilibet autem enti competit appetere suam perfectionem, et conservationem sui esse, unicuique tamen secundum suum modum : intellectualibus quidem per *voluntatem,* animalibus per *sensibilem appetitum,* carentibus vero sensu per *appetitum naturalem*... Hoc igitur primo enti, quod est Deus, deesse non potest. Cum igitur ipse sit intelligens, inest sibi *voluntas* qua *placet* sibi suum esse et sua bonitas » [37].

193. **Secunda pars.** *Deus seipsum primario cetera secundario vult.* DEUS SEIPSUM ESSENTIALITER VULT. Constat *ex processione Spiritus S.* qui, ut videbimus, est terminus amoris, quo Pater diligit Filium : item *ex infinita bonitate Dei;* nulla enim facultas est indifferens ad objectum proprium ; unde nec voluntas, quae est appetitiva boni, libera esse potest circa bonum infinitum intuitive, imo et comprehensive, cognitum : tandem *propter quod unumquodque tale et illud magis;* si ergo divina bonitas, ut mox probabimus, est ratio cur Deus velit cetera, a fortiori ipsamet est objectum divinae voluntatis [38]. — VULT ETIAM ALIA A SE. Constat *ex facto* creationis et conservationis mundi qui apparet effectus causae intelligentis et volentis [39]. Hinc **Scripturae** docent quod *propter voluntatem Dei creata sunt omnia* [40] sive ordinis naturalis [41], sive ordinis supernaturalis [42]. **Patres** affirmant quod « divinus amor... ipsemet est omnium auctor » [43] ; unde concludunt quod mala non essent in mundo, « nisi (Deus) usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo » [44] ; sicut enim iniqui male utuntur bonis operibus Dei, sic, contra, Deus bene utitur malis operibus hominum iniquorum » [45]. **Ratio** petitur *ex notione bonitatis :* nam « hoc pertinet ad rationem bonitatis, ut bonum quod quis habet, aliis communicet secundum quod est possibile... ; unde si res naturales, inquantum perfectae sunt, suum bonum aliis communicant, multo magis pertinet ad voluntatem divinam ut bonum suum aliis per similitudinem communicet, secundum quod est pos-

---

[37] S. THOM. *Cg.* I c. 72 ; SCHIF. *Metaph.* II n. 495 ; HONTHEIM n. 896.

[38] S. THOM. *Cg.* I c. 80.

[39] Supra n. 53.

[40] Apoc. **4**. 11.

[41] *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses ? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur ?* Sap. **11**. 26.

[42] *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* 1 Tess. **4**. 3 ; Ps. **145**. 8.

[43] DIONYS. *De div. nom.* c. 4.

[44] AUG. *Ench.* c. 11.

[45] AUG. in *Joan.* tr. 27 n. 10.

sibile »[46]. — ALIA DEUS VULT PROPTER SEIPSUM. Nam **Scripturae** non solum in genere docent quod Deus est *finis* omnium[47], sed in particulari affirmant quod *hominem*[48] et *universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*[49]; unde provocant creaturas ad benedicendum Deum[50], testantes quod *coeli enarrant gloriam Dei, et opera manum ejus annuntiat firmamentum*[51]. — **Patres** docent quod sicut finis creaturarum irrationalium est homo, ita finis hominis est Deus[52]; quippe « manifestum est Deum... propter seipsum... hominem creasse »[53]. Divinum autem *benevolentiae* affectum cum ordinatione rerum in Dei gloriam inde componunt, quod « Deus laude alicujus non indiget, sed laus Dei laudatoribus prodest »[54]; mala vero gloriae Dei non obstare docent, quia « in suppliciis (peccatores) *potestatem* ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt », manifestant[55], et quia Deus « per pulchritudinem (boni) in *creatoris admirationem* (inducit), per infirmitatem (mali) a *colenda* nos abducit *creatura* »[56]. — **Rationes** deducuntur ex notione *causae primae*, et ex natura *intellectus*. *a)* Profecto qui habet finem extra se, a fine, qui causarum est prima, movetur : atqui Deus, utpote causa prima, a nullo movetur : ergo. *b)* Voluntas, utpote appetitus rationalis, consequitur cognitionem intellectus : atqui Deus in sua essentia omnia videt ut participationem suae infinitae bonitatis, in quam omnia tendunt : ergo etiam per ordinem ad suam bonitatem omnia Deus vult. « Sic igitur vult se et alia : sed se ut *finem;* alia vero ut *ad finem;* inquantum condecet divinam bonitatem, etiam alia ipsam participare »[57].

194. **Tertia pars.** *Mala physica Deus indirecte aliquando vult.* Dicimus *indirecte* seu per accidens, quia malum reduplicative et per se non est objectum voluntatis : « cum (enim) ratio boni sit ratio appetibilis... malum autem opponatur bono; impossibile est

---

[46] S. THOM. 1 p. q. 19 a. 2.

[47] *Ego sum* α et ω, *principium et finis*. Apoc. **1**. 8.

[48] *In gloriam meam creavi eum, formavi eum, feci eum*. Isai. **43**. 7; Deut. **26**. 19.

[49] Prov. **16**. 4.

[50] *Benedicite omnia opera Domini Domino*, etc. Dan. **3**. 57 sqq.

[51] Ps. **18**. 1.

[52] Testimonia dabimus agentes de fine creationis.

[53] ATHEN. *De resur. mort.* n. 12.

[54] HIER. in *Ephes.* **1**. 14; HILAR. tr. in *Ps.* **2** n. 15.

[55] AUG. *De spir. et litt.* c. 33 n. 58; *De lib. arbit.* III c. 11 n. 32.

[56] CHRYS. *Ad pop. Ant* hom. 11 n. 2.

[57] S. THOM. 1 p. q. 19 a. 2; *Cg.* I c. 75.

quod aliquod malum inquantum hujusmodi, appetatur nec appetitu naturali, nec animali, nec intellectuali, qui est voluntas » [58]. Licet tamen Deus directe et per se non velit malum, per accidens tamen aliquando vult. Hinc **Scriptura** docet quod Deus *induxit super nos laqueum* [59] : quod non est *malum in civitate quod non fecerit Deus* [60] : quod *bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt* [61] : quod *ignis, grando, fames et mors, omnia haec, ad vindictam creata sunt* [62]. — **Patres** contra Manichaeos ostendunt quidem mala non esse per se entia, nec proinde habere causam [63], sed addunt quod Deus per accidens vult mala creando entia imperfecta, et infligendo peccatoribus poenam. « Creat, inquit AUG., Deus mala, poenas justissimas irrogando..., non autem malas creando naturas » [64]. **Ratio** est quia malum physicum induit rationem boni et appetibilis in quantum ordinatur ad consecutionem boni. Revera malum *poenae* ordinatur ad vindictam sceleris, malum autem *naturalis defectus* ad naturalem conditionem entis corruptibilis, quod est limitatum bonum ; et ideo « malum naturalis defectus vel malum poenae (Deus *indirecte*) vult, volendo aliquod bonum cui conjungitur tale malum : sicut volendo justitiam, vult poenam, et volendo ordinem naturae servari, vult quaedam naturaliter corrumpi » [65].

195. **Quarta pars.** *Malum culpae Deus nullatenus vult.* Hoc aperte testatur **Scriptura** docens Deum *non velle iniquitatem* [66], sed *odisse* [67], *intentatorem malorum esse* [68], *nemini dare spatium peccandi* [69], *nec facere mala ut eveniant bona* [70]. **Patres** affirmant quod « Deus, cum perfecte sit bonus, perpetuo beneficus est » [71], quod « aliena est a divina natura in malitiam propensio » [72], quod

---

[58] S. THOM. 1 p. q. 19 a. 9.

[59] Ps. **65**. 10 sqq.

[60] Amos **3**. 6.

[61] Eccl. **11**. 14.

[62] Sap. **1**. 13.

[63] DIONYS., JUST., MAXIM., AUG. apud *Petav.* VI c. 6 n. 8-9.

[64] AUG. *De haer.* c. 65.

[65] S. THOM. 1 p. q. 19 a. 9.

[66] *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Ps. **5**. 5 ; Isai. **45**. 12 ; Rom. **9**. 14.

[67] *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus.* Sap. **14**. 9 ; Ps. **5**. 7.

[68] *Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur ; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Jac. **1**. 13.

[69] *Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi.* Eccl. **15**. 21.

[70] Rom. **3**. 5-8.

[71] ATHEN. *Orat. pro Christ.*

[72] GREG. Nyss. *Catech.* c. 1.

Deum negat, qui eum facit auctorem peccati [73], nec posset Deus peccatores condemnare, si ipse esset peccatorum causa [74]. **Ratio** concinnat, nam malum culpae ille tantum appetit qui potest bonum apparens (consequens peccatum) praeferre Deo, quo privat culpa : atqui Deus, qui omnia vult propter semetipsum, non potest quidquam sibi praeferre : ergo [75]. Ceterum « unumquodque agens invenitur per suam actionem alia quodammodo *ad seipsum attrahere*, assimilando ea. Est ergo hoc Deo conveniens, quod omnia ad seipsum convertat, et per consequens, quod nihil avertat a se ipso. Ipse autem est summum bonum. Unde non potest esse causa aversionis voluntatis a summo bono, in quo ratio culpae consistit » [76].

196. **Quinta pars.** *Deus peccata potest permittere.* Nam permissio consistit in tolerantia mali intuitu proportionati boni inde sequentis : atqui **Scriptura** docet quod Deus *induravit* Pharaonem *ut* suam potentiam ostenderet et narraretur nomen Domini in universa terra [77] ; quod, *volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa irae, apta in interitum* [78] ; quod operatus est *impium ad diem malum* [79] : ergo. — **Patres** contra Manichaeos saepe vindicant permissionem peccatorum [80], eo quod Deus « *novit* et de hominum opere malo *facere* opera bona » [81] ; revera autem « multa bona Deus *facit* etiam de nostris malis nostrisque peccatis » [82], « sive ignoscendo, sive sanando ; sive ad utilitatem piorum coaptando atque vertendo, sive etiam justissime vindicando » [83]. Quin autem peccatorum permissio deroget divinae omnipotentiae, eam potius superexaltat ; etenim Deus « impotens appareret et minus bonus, non valendo bene uti etiam malo » [84]. **Ratio** petitur ex divina providentia ; nam « multa

---

[73] « Stultus est... qui dicit non esse Deum. Similis autem huic est... qui malorum causam ait esse Deum... Nam si malorum auctor est, non est utique bonus » ; Deus autem bonus est. BASIL. apud *Petav.* De Deo VI c. 5 n. 12.

[74] ORIG. *Cont. Celsum* VI.

[75] S. THOM. 1 p. q. 19 a. 9 ; *Cg.* I c. 95.

[76] S. THOM. *De Malo* q. 3 a. 1.

[77] Exod. **9**. 16 ; Isai. **63**. 17 ; Rom. **9**. 17.

[78] Rom. **9**. 22.

[79] Prov. **16**. 4.

[80] Vide supra n. 194.

[81] AUG. *C. Faus. Manich.* XXII c. 45.

[82] AUG. *Epist.* 166 *ad Hier.* n. 15 ; *C. Jul. V* c. 12.

[83] AUG. *De contin.* c. 5 n. 14.

[84] AUG. *C. Jul.* V c. 60 ; *De Civ. Dei* XXII c. 1 n. 2.

bona sunt in rebus, quae nisi mala essent, locum non haberent; sicut non esset patientia justorum, si non esset malignitas persequentium; nec esset locus justitiae vindicativae, si delicta non essent » [85].

THES. 20. *Duo sunt praecipua attributa divinae voluntatis: — 1 omnipotentia — 2 et libertas.*

197. **Prima pars.** *Deus est omnipotens.* Nam **Scripturae** *a)* expresse Deum vocant *El Schaddai,* quod est *Deus omnipotens* [86]: sicut autem nomen, ita et rem nomine manifestatam de Deo annuntiant; dicunt enim *b)* quod *non est qui possit Dei voluntati resistere* [87], Deus quippe *omnia potest* [88], et *non erit impossibile apud Deum omne verbum* [89]. Porro *c)* tanta est divina virtus, ut ab homine impediri nequeat, quia *cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud* [90]; imo nec possit intelligi, quia non valemus virtutem magnitudinis ejus annuntiare, neque magnalia ejus invenire [91]. — **Patres** omnipotentiam ponunt *a) notam essentialem* divinitatis, « non enim vere Deus est, qui, quod vult, non potest » [92]; et tam manifestam habent, ut ipsis *gentilibus innotuerit.* « Non dico, inquit AUG., da mihi *Christianum,* da mihi *Judaeum,* sed da mihi *paganum,* idolorum cultorem, daemonum servum, qui non dicat Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest » [93]. Hinc *b)* ex omnipotentia tamquam ex noto principio arguunt *creationem materiae,* quae, si esset infecta et quasi praerequisitum divinae virtutis, Deus omnipotens dici non posset [94]. — **Rationis** argumentum

---

[85] S. THOM. *Cg.* III c. 71.

[86] Gen. **17**. 1; **28**. 3; **35**. 11, etc. coll. 2 Corinth. **6**. 18; Apoc. **19**. 6. *El Schaddai* Vulgata semper vertit *Omnipotens;* graeca LXX in Sap. **18**. 15 transfert *παντοδύναμος (omnia potens),* in ceteris *παντοκράτωρ (Dominus omnium),* sed sensus non mutatur, siquidem potentia est fundamentum dominii. PETAV. V. c. 5 n. 1-2; PESCH n. 438 in nota; CORNELY *Comp. introd. in Sacr. Scrip. Diss.* 4 § 5. n. 6.

[87] Esther **13**. 9.

[88] Job. **42**. 2.

[89] Luc. **1**. 37; Matth. **19**. 26.

[90] Prov. **21**. 1.

[91] *Quis investigabit magnalia ejus? Non est minuere, neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei.* Eccli. **18**. 3-5; Ps. **144**. 3-4.

[92] TERTUL. *c. Marc.* c. 22.

[93] AUG. *De Tempore* serm. 139 c. 2; JUST. M., GREG. Nyss., DAMIAN., imo PLUTAR., PLIN. etc. apud *Petav.* V c. 5. n. 3.

[94] AUG. *De Symb. et fide* n. 2; CHRYS. in *Act. Apost.* hom. 2; EUSEB. Emiss. *De Symb.* hom. 1.

sumitur *ex infinitate* Dei; si enim Deus est infinitus, infinita est virtus ejus; virtus autem infinita potest quidquid, contradictionem non involvens, in se ipso possibile est [95]. Item *ex natura virtutis operativae* quae in Deo identificatur cum sua voluntate [96]; qui enim voluntate operatur, quaecumque vult facit [97]. Tandem *ex termino* divinae operationis; nam « omnis virtus perfecta ad ea omnia sese extendit, ad quae *suus, per se* et *proprius* effectus se extendere potest: sicut aedificativa ad omnia se extendit, si perfecta sit, quae possunt rationem habere domus. Virtus autem divina est per se causa *essendi,* et *esse* est ejus proprius effectus... Ergo ad omnia illa se extendit, quae rationi entis non repugnant » [98].

198. **Secunda pars.** *Divina voluntas plenissima gaudet libertate.* Nam ad exprimendum actum liberum voluntatis dicimus nos agere *ex electione* (qua ex pluribus unum sumimus), vel *secundum consilium* (quo inter plura unum eligimus), vel *quia volumus* (nullo nempe cogente, sed solo imperio voluntatis): atqui his vocibus in **Scripturis** exhibentur opera divinae voluntatis: ergo. Revera legimus: *Quae stulta sunt mundi* ELEGIT *Deus, ut confundat sapientes* [99]. — Deus *operatur omnia* SECUNDUM CONSILIUM *voluntatis suae* [100]. — *Omnia* QUAECUMQUE VOLUIT *fecit, in coelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* [101]. — *Tu creasti omnia, et* PROPTER VOLUNTATEM *tuam erant et creata sunt* [102]. — **Patres** similiter docent quod « Deus non ab aliquo motus, sed sua sententia et *libertate* fecit omnia » [103]: quod « Deus est qui omnia fecit et praeparat, et *juxta voluntatem* suam omnia apte disponit » [104]: quod ipse « *nulla necessitate,* nulla suae cujusque utilitatis indigentia, sed sola bonitate fecit, quod factum est » [105]: explicant etiam qua ratione divina libertas cum impeccabilitate consistat [106], et ex libertate Dei circa creaturas, contra Arianos,

[95] S. THOM. 1 p. q. 25 a. 2 et 3.

[96] *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.* Ps. **32**. 9; **148**. 5.

[97] « Quid difficile est ei, cui velle fecisse est? » AMBR. in *Exaem.* II c. 2.

[98] S. THOM. *Cg.* II c. 22.

[99] 1 Corinth. **1**. 27.

[100] Ephes. **1**. 11.

[101] Ps. **134**. 6; **113**. 3; Rom. **9**. 18.

[102] Apoc. **4**. 11; 1 Corinth. **12**. 11.

[103] IREN. *Adv. haer.* I c. 1 n. 1; II c. 30.

[104] CHRYS. in *Gen.* I hom. 2.

[105] AUG. *De Civ. Dei* XI c. 24; *De Gen. ad litt.* VI c. 15.

[106] « Perabsurdum est, ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus...; nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiae, quia non potest velle peccare ». AUG. *De nat. et grat.* c. 46; *C. Julian. opus imp.* I c. 99.

ostendunt divinitatem Verbi, quod *necessario* a Patre procedit [107]. Argumentum **rationis** sumitur ex conditione creaturarum quae non sunt Deo necessariae *ratione finis* quia Deus *propter se* vult omnia, neque *ratione medii* quia divina voluntas sua infinita bonitate satiatur. « Alia a se, inquit S. THOM., Deus vult, inquantum ordinantur ad suam bonitatem, ut in finem. Ea autem, quae sunt ad finem, non ex necessitate volumus volentes finem, nisi sint talia, sine quibus finis esse non potest... Unde cum bonitas Dei sit perfecta et possit esse sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat; sequitur quod alia a se eum velle non sit necessarium absolute » [108].

199. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1** *(Cont. thes. 19).* Qui agit intuitu sui, operatur amore concupiscentiae : atqui Deus omnia fecit amore benevolentiae : ergo alia a se non voluit propter se ipsum. **Resp.** Ordinatio rerum in gloriam Dei non obstat amore benevolentiae, quo omnia fecit, quia « sic Deus illa amat et vult *propter seipsum,* ut illud *propter seipsum* non significet habitudinem ad eum, cui provenit *utilitas,* sed solum habitudinem ad eum *pro cujus amore* amatur et aliud. De ratione autem benevolentiae solummodo est, quod aliquis sic alterum amet, ut *ei bonum velit,* scil. ejus utilitatem procuret, non suam, tametsi ad hunc ipsum amorem moveatur amore alicujus alius, quod primario et principaliter diligitur » [109]. Hinc cum Ecclesia canimus : « gratias agimus tibi *propter magnam gloriam tuam* » [110]; gloria quippe Dei est ipsum bonum nostrum [111].

200. **Objic. 2.** Quidquid habet rationem entis est a Deo efficienter ac proinde voluntarie : atqui malum culpae, non secus ac malum physicum, habet rationem entis : ergo. **Resp.** In peccato duae formalitates sunt distinguendae, altera *physica* qua est ens, altera *moralis* qua recedit a debito ordine, et est peccatum : secundum primum habet rationem boni et est a Deo, secundum alterum deficit a ratione entis, est malum et a sola creatura procedit. « Sicut, inquit S. THOM., quidquid est de motu in claudicatione ,est ex virtute motiva animalis; sed quidquid est ibi de defectu, non est a virtute motiva, sed a tibia, secundum quod deficit ab opportunitate mobilitatis a virtute motiva. Sic... quod est tibi (in peccato) *de actione* reducitur in Deum sicut in causam : quod autem est ibi *de inordinatione* vel deformitate, non habet Deum causam, sed

---

[107] ATHAN. *C. Arianos* or. 3; PETAV. *De Trinit.* VI c. 8.

[108] S. THOM. 1 p. q. 19 a. 3.

[109] BILLOT p. 226; S. THOM. *Cg.* I c. 93; C. MAZZELLA *De Deo Creante* n. 191.

[110] LITURG. *Gloria in excelsis.*

[111] LESS. *De Perfect. Div.* XIV c. 3 n. 60.

solum liberum arbitrium. Et propter hoc dicitur quod *actio* peccati est a Deo, sed *peccatum* non est a Deo » [112].

201. **Objic. 3.** Peccata *fieri* et peccata *non fieri* contradictorie opponuntur : atqui Deus non vult peccata *non fieri* : ergo vult *fieri*. **Resp.** « Licet mala *fieri* et mala *non fieri* contradictorie opponantur, tamen *velle* mala *fieri* et *velle* mala *non fieri* non opponuntur contradictorie (sed contrarie), cum utrumque sit affirmativum. Deus igitur neque *vult* mala fieri, neque *vult* mala *non fieri*, sed *vult permittere* mala fieri, et hoc est bonum » [113].

202. **Objic. 4.** Ei qui, praevidendo effectum, vult causam, imputatur effectus ; ut patet de illo qui praebet ensem homicidae : atqui Deus creat reprobum ejus peccata et impoenitentiam praevidendo : ergo. **Resp.** Homo non semper valet ex permissione mali proportionatum bonum consequi, et ideo tenetur malum impedire, quod non facit cum absque proportionata causa ponit ejus occasionem ; sed Deus est provisor *universalis* et *omnipotens*, qui potest de malis benefacere et suam gloriam consequi tam in triumpho beatorum manifestantium suam misericordiam, quam in damnatione peccatorum ostendentium suam justitiam. « Quemadmodum, inquit AUG., corporum differentias contemplando... injuste petis auferri quae obscuriora conspexeris, aut clarioribus aequari... nec tibi occurrit perfecta universitas, nisi ubi majora sic praesto sunt, ut minora non desint : sic etiam differentias animarum cogites... ut miseriam, quam doles, ad id quoque valere cognoscas, ut *universitatis perfectioni nec illae desint animae, quae miserae fieri debuerunt*, quia peccatrices esse voluerunt » [114].

203. **Objic. 5** *(Cont. thes. 20)*. Omnipotenti voluntati nemo resistit : atqui homo resistit Deo [115] : ergo. **Resp.** Cum homo dicitur *resistere Deo*, generatim est sermo de voluntate signi (h. e. praecepti vel prohibitionis), cui non semper respondet voluntas beneplaciti [116] : sed etiamsi agatur de voluntate beneplaciti, defectus implementi non arguit defectum potentiae, quia agitur de voluntate conditionata vel antecedenti quae, habens duplicem terminum, in alterutrius eventu impletur. « Infideles, inquit AUG., contra Dei voluntatem faciunt... nec ideo tamen eam vincunt : verum seipsos fraudant magno et summo bono,

---

[112] S. THOM. *De Malo* q. 3 a. 2. Cf. Opusc. meum *De Natura peccati* n. 10 ; JANSSENS p. 272-80 qui exponit doctrinam *Aug.* et *Bonav.*

[113] S. THOM. 1 p. q. 19 a. 9 ad 3.

[114] AUG. *De lib. arb.* III c. 9 n. 25. Cave tamen ne peccata reputes *necessaria* ad gloriam Dei ; *per accidens* enim eam manifestant, unde AUG. *l. c.* n. 27, exemplo sumpto de servo infideli, concludit quod « si servus peccare noluisset, non defuisset domesticae disciplinae alia provisio ».

[115] *Vos Spiritui S. semper resistitis.* Act. 7. 51.

[116] Supra n. 185.

malisque poenalibus implicant, experturi in supplicis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt » [117].

204. **Objic. 6.** Deus est immutabilis : quod ergo facit, ab aeterno et necessario facit [118] : atqui ex necessitate agens, non est liber : ergo. **Resp.** Immutabilitas Dei non obstat ejus libertati, quia libertas in Deo non respicit *actum* volitivum sed *terminum* qui ab aeterno est praevisus et provisus. Nullo vero modo factum creationis sequitur ejus necessitas, siquidem relatio, qua Deus *creator* existit, non est Deo intrinseca sed extrinseca [119].

205. **Objic. 7.** « Deus, si causa est, creare potest, et si causa absoluta est, non potest non creare » [120] : atqui Deus est causa absoluta mundi : ergo. **Resp.** Luditur voce *causa absoluta;* siquidem Deus est causa absoluta quatenus de facto voluit, sed quia poterat non velle, ideo ex existentia mundi sequitur tantum necessitas *consequens,* non *antecedens,* quae sola obstat libertati agentis.

206. **Objic. 8.** Libertas est ad utrumlibet; unde perfecta non est, cum inter plura non potest eligere : atqui Deus inter bonum et malum morale eligere nequit : ergo **Resp.** Cum libertas non sit potentia distincta a voluntate, non habet de sua perfectione indifferentiam quoad omnia, sed circa illa tantum quae sunt media non necessaria ad finem : unde, sicut impossibilitas peccandi non arguit defectum potentiae [121], ita non detrahit libertati. « Liberum arbitrium, inquit S. THOM., sic se habet ad eligendum ea, quae sunt ad finem, sicut se habet intellectus ad conclusiones. Manifestum est autem quod ad virtutem intellectus pertinet, ut in diversas conclusiones procedere possit, secundum principia data. Sed quod in aliquam conclusionem procedat praetermittendo ordinem principiorum, hoc est ex defectu ipsius. Unde quod liberum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus. Sed quod eligat aliquid, divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis » [122].

---

[117] AUG. *De Spir. et Litt.* c. 33 n. 58. Rem illustrat exemplo domini vineae qui servum ignavum damnat in pistrino, ut semper molat, qui quidem domini voluntatem non vincit, nisi « pistrinum contemnens effugerit : quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate ».Cf. etiam *De corr. et grat.* c. 14; S. THOM. 1 p. q.19 a. 6; KLEUTGEN n. 615.

[118] HERMOGENES apud *Tert.* Adv. Herm. n. 3.

[119] Supra n. 111.

[120] COUSIN apud *Tanquerey* n. 100.

[121] « Quid enim potentius quam nescire quidquid infirmitatis est? » AMBR. *Ep.* 50 n. 2.

[122] S. THOM. 1 p. q. 62 a. 8 ad 3. Cf. TIL. PESCH *l. c.* n. 1054 sqq.; BILLOT p. 229.

Art. 5. - De naturali Dei providentia

207. **Quid divina providentia.** « In re creata duo possunt considerari : scil. ipsa *species* ejus absolute, et *ordo* ejus in finem ; et utriusque forma praecessit in Deo. Forma exemplaris rei secundum suam speciem absolute est *idea,* sed forma rei, secundum quod est ordinata in finem, est *providentia* »[1]. Itaque providentia est praecipua pars *prudentiae*[2], et ex Boëtio[3] definitur : *ratio ordinis rerum in finem in mente divina existens*[4]. Providentia rebus *praeexistit,* quia consistit in ordinatione ab aeterno in Deo existente, cujus executio, quae fit in tempore, dicitur *gubernatio*[5] : praeexistit *in divina mente,* quia providentia, licet « includat scientiam et voluntatem, tamen essentialiter in cognitione manet, non quidem speculativa sed practica »[6] : est ratio *rerum in finem,* quia non respicit simplicem existentiam rerum sed eorum ordinem in ultimum finem[7] : est *ordinatio* et non mera cognitio, quia providentia formalem coordinationem seu dispositionem rerum non supponit, sed constituit imperio voluntatis[8]. — Providentia distinguitur in *naturalem* et *supernaturalem,* prout respicit ordinem naturae vel gratiae ; supernaturalis vero subdividitur in *voluntatem salvificam, praedestinationem* et *reprobationem,* secundum quod consideratur antecedenter vel consequenter ad opera bona et mala. De voluntate supernaturali dicemus in articulo sequenti, naturalem tantum nunc attendimus.

208. **Nil fortuito est in mundo.** Respectu causae secundae plura fortuito contingunt ex defectu *materiae* ineptae ad formam[9], vel ex defectu *causae mediae* seu instrumentalis[10], vel ex defectu *intentionis*[11] ; sed respectu causae primae nil fortuito accidit. Nam *materia,*

---

[1] S. Thom. *De Verit.* q. 5. a. 1 ad 1.

[2] *Prudentia* dirigit operationes quascumque in finem. S. Thom. 1 p. q. 22 a. 1 ; Billot p. 254-5.

[3] Boët. *De consol.* IV pros. 6 definit : *Ipsa divina ratio in summo omnium principe constituta, quae cuncta disponit.*

[4] S. Thom. 1 p. q. 22 a. 1.

[5] S. Thom. *l. c.* ad 2.

[6] S. Thom. *De Verit.* q. 5 a. 1.

[7] S. Thom. I *Dist.* 39 q. 2 a. 1.

[8] S. Thom. *De Verit.* q. 5 a. 1 ad 2, 8 et 9.

[9] Sic v. g. apposito igne ligno viridi, non habetur combustio.

[10] V. g. si praeco imperium ducis praepostere deferat, non erit ordinata pugna sed confusio.

[11] V. g. venator, qui hominem pro lepore occidit.

quae potentia naturali non semper potest actuari a causa finita, potentia obedientiali semper subditur omnipotentiae Dei [12]: *causa media* (h. e. creatura) non potest impedire divinam voluntatem quia actualis contingentia causae liberae procedit a Deo [13]: *intentio* tandem in opere Dei abesse nequit, quia Deus sapientissimus omnia ordinat in proprium finem. « Dicendum, inquit S. THOM., quod aliter est de causa universali, et de causa particulari. Ordinem enim causae particularis aliquid potest exire, non autem ordinem causae universalis. Non enim subducitur aliquid ab ordine causae particularis, nisi per aliquam aliam causam impedientem; sicut ignem impeditur a combustione per actionem aquae. Unde, cum omnes causae particulares concludantur sub universali causa, impossibile est aliquem effectum ordinem causae universalis effugere. In quantum igitur aliquis effectus ordinem causae particularis effugit, dicitur esse *casuale* vel *fortuitum* respectu causae particularis; sed respectu causae universalis, a cujus ordine subtrahi non potest, dicitur esse *provisum*. Sicut et concursus duorum servorum, licet sit casualis quantum ad eos, est tamen provisus a domino, qui eos scienter sic ad unum locum mittit, ut unus de alio nesciat » [14].

209. **Errores — Veritas.** Tres errores de divina Providentia occurrunt, scil. de ejus existentia, extensione et ordine. *Existentiam* divinae providentiae negarunt EPICUREI, RATIONALISTAE et PESSIMISTAE [15]: *universalitatem* impugnarunt STOICI et plures DEISTAE coarctantes ad entia nobiliora, ARISTOTELES limitans ad species rerum, CICERO excipiens actus liberos [16]: *ordinem* destruxerunt qui putarunt pari ratione a Deo provideri bono et malo, libero et necessario, enti rationali et irrationali [17]. — **Veritas.** *Universalitas* divinae providentiae prostat in CONC. VATIC.: « Universa, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat » [18]: *ordo*

[12] Accedit quod Deus corporum dispositiones et entium virtutes apprime cognoscens, semper valet activa passivis aptare.

[13] Cf. supra n. 190.

[14] S. THOM. 1 p. q. 22 a. 2 ad 1.

[15] De *Pessimistis*, qui nullum ordinem et bonitatem agnoscunt in mundo, dicemus infra; de ceteris vide TANQUEREY n. 109 et adde SADDUCAEOS *apud* HERGENRÖTHER *Stor. Univ. della Ch.* I p. 121.

[16] Cf. JANSSENS II p. 379-8.

[17] Qui confundunt providentiam de *bono* cum providentia de *malo*, Deum faciunt auctorem peccati, vel cum Manichaeis praedicant duplex principium rerum: qui non distinguunt modum ordinationis actus *necessarii* et modum ordinationis actus *contingentis*, destruunt liberum arbitrium: qui providentiam de *animalibus* aequant providentiae de *homine*, mala animalium poenas aestimant, et peccatum dicunt occidere brutum. S. THOM. *1 Dist.* 39 q. 2 a. 2.

[18] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 1.

continetur in verbis quae CONC. subdit : « attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter », necnon in damnatione EKKARDI dicentis quod « Deus vult aliquo modo me peccasse » [19].

THES. 21. *Omnia subsunt providentiae Dei — 2 qui de creatura rationali specialem curam habet.*

210. **Prima pars.** *Deus sua providentia omnia gubernat.* **Scriptura** divinam providentiam aperte testatur, eamque suavem, efficacissimam et universalem edocet. Sic legimus : *Tua Pater providentia gubernat* [20]. — *Attingit* (divina Sapientia) *a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter* [21]. — *Pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus* [22]. — **Patres** *a)* docent « nihil omnino horum, quae facta sunt, et quae fiunt, et fient, Deum fugere; sed *per illius providentiam unumquodque eorum et habitum, et ordinem, et numerum, et quantitatem accipere* » [23]. *b)* Tam manifestam vero habebant divinam providentiam, ut dicerent atheum solum posse eam negare [24], siquidem, qui « Deum *esse* professus est, et *providentiam* simul concessit; alterum enim sine altero nec *esse* prorsus, nec *intelligi potest* » [25]. Porro *c)* divinam providentiam probant *ex Dei bonitate,* « qui enim non providet non est bonus » [26] : *ex ejus justitia,* nam « Deus quovis homine... justior est; justus autem regens et gubernans universa, nullam poenam cuiquam sinit immerito infligi, nullum praemium immerito dari » [27] : *ex creatione mundi,* « quis (enim) operator negligat operis sui curam?... si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse, cum aliquid non fecisse nulla injuria sit, non curare quod feceris, summa inclementia? » [28] : *ex mundi conservatione,* nam Deus « non fecit, atque abiit, sed *ex* illo *in* illo sunt » [29];

---

[19] EKKAR. pr. 14 e damn. a *Joan.* XXII.

[20] Sap. **14.** 3.

[21] Sap. **8.** 1; 1 Petr. **5.** 7.

[22] Sap. **6.** 8. Attendas quomodo Sapiens *ex creatione* deducat providentiam, quae proinde tam late patet quam universitas creaturarum. Cf. **12.** 13.

[23] IREN. *Adv. haer.* II c. 45; CYRIL. Alex. *Thesaur.* 15; *De Trinit.* dial. 4; ORIG. *Cont. Cels.* VI; BASIL. *in Hexaem.* hom 7 et 8; AMBR. *Hexaem.* VI c. 4.

[24] CLEM. Alex. *Strom.* 6.

[25] LACT. *cont. Epicur.;* TERT. *cont. Marc.* II c. 24.

[26] DAMASC. *De fide orth.* II c. 29; THEOPH. Ant. *Ad Autol.* I; CYRIL. Alex. *C. Jul.* 2; AUG. *83 Quaes.* q. 44.

[27] AUG. *83 Quaes.* q. 44; *Contra Adim. manich.* c. 11.

[28] AMBR. *De Offic.* I c. 13.

[29] AUG. *Conf.* IV c. 12.

« natura (quippe), remota providentia et potestate divina, prorsus nihil est » [30] : *ex rerum ordine* ac *varietate* necnon ex *instinctu* bestiarum, quae, cum sibi consulere nequeant, nociva non fugerent nec necessaria quaererent, si creator eorum conservationi non providisset naturali instinctu [31]. *e)* Doctrinam tandem illustrant *exemplis hominum* imo et *belluarum* quae « propriorum foetuum providentiam habent naturali quodam instinctu, et qui non providet vituperari solet » [32]; *solis* qui cum « minister luminis sit etiam abdita penetrat, et in fundamenta domus, vel secreta conclavia vis caloris ejus irrumpit » [33]; *imperatoris* qui praecepto et permissione, comminatione poenarum et promissione praemiorum rempublicam gubernat [34]. — **Ex ratione.** Nam « in rebus creatis invenitur bonum, non solum quantum ad substantiam rerum, sed etiam quantum ad ordinem earum in finem, et praecipue in finem ultimum qui est divina bonitas [35]. Hoc igitur bonum ordinis in rebus creatis existens a Deo creatum est. Cum autem Deus sit causa rerum per suum intellectum, et sic cujuslibet sui effectus oportet rationem in ipso praeexistere...; necesse est quod ratio ordinis rerum in finem in mente divina praeexistat. Ratio autem ordinandorum in finem proprie providentia est » [36].

211. **Secunda pars.** *Non omnia pari modo divinae subsunt providentiae.* Nam providentia in intellectu quidem subjectatur, sed complementum habet ex voluntate, cujus est imperio coordinare : ergo res divinae providentiae subsunt sicut voluntati : atqui, ut vidimus, *mala* per accidens tantum, *peccata* nullo modo Deus vult, qui insuper *liberum arbitrium* non perimit : ergo bonum et malum, virtus et vitium, contingens et necessarium diversimode ordinantur divina providentia. Quod si de speciali cura entium rationalium quaeris, **Scriptura** docet quod Deus creavit hominem *ut praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae* [37], omnia subjiciendo sub pedibus ejus [38]. Quare Christus provi-

---

[30] LACT. *Div. Inst.* III c. 28; AUG. *De Gen. ad litt.* IV c. 12; CHRYS. hom. *De paralyt.* in fine; GREG. Naz. *De paup. amore.*

[31] CLEM. Alex. *Strom.* 5 n. 1; GREG. Naz. *Or.* 28 n. 6; CYRIL. Alex. *Adv. Jul.* lib. 2; EPHR. Serm. *De div. grat;* AMBR. *Hexaem.* VI c. 4.

[32] DAMASC. *De fide orth.* II c. 29.

[33] AMBR. *De Officiis* I c. 14.

[34] PROSP. *Sent.* tom. 3 sent. 58.

[35] Cf. supra n. 193.

[36] S. THOM. 1 p. q. 22 a. 1.

[37] Gen. 1. 26.

[38] Ps. 8. 6-9.

dentiam Dei pro homine a fortiori concludit ex providentia de liliis agri et de passeribus coeli [39], Paulus vero clamat: *Numquid de bobus cura est Deo?* [40]. **Patres** cum ORIG. docent quod sicut « in civitatibus, qui annonae et macelli curam habent, nullius alterius caussa laborant, quam hominum; ejus tamen providentiae fructum ad canes et alia bruta perveniunt: ita divina providentia *ratione praeditis praecipue prospicit;* ex consequenti autem etiam bruta animantia iis perfrui, quae hominum gratia creata sunt » [41]. Nec deest **ratio,** nam « quanto aliquid est propinquius primo principio, tanto nobilius sub ordine divinae providentiae collocatur. Inter omnia vero alia spirituales substantiae magis primo principio appropinquant » [42]; et ideo dum creaturae materiales cadunt sub providentia *propter alias* et quodammodo *in genere,* homo et angelus in ultimum finem ordinantur *in individuo* et *per se* [43]; illae in finem ordinantur necessario, hi infallibiliter quidem, se contingenter [44]; in illis non distinguitur providentia antecedens et consequens, quae in his maxime elucet [45].

212. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Si omnia a Deo essent disposita, non essent in mundo entia imperfecta et multo minus mala et peccata: atqui plura sunt in mundo imperfecta, nec desunt mala physica et peccata: ergo. **Resp.** Ut alias notavimus, Deus non est provisor particularis sed *universalis,* qui potest mala indirecte velle vel permittere intuitu altioris boni [46]. Profecto « sicut contraria contrariis oppositis sermonis pulchritudinem reddunt; ita quadam non verborum sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione saeculi pulchritudo commendatur » [47], « vitiorum autem nostrorum (Deus) non est auctor... sed ordinator, cum eo loco peccatores constituit, et ea perpeti cogit, quae merentur » [48].

213. **Objic. 2.** Scriptura animalia subtrahit a cura Dei: ergo divina providentia non est universalis. **Resp.** Apostolus non loquitur

---

[39] Matth. **6.** 25 sqq.; **10.** 29 sqq.; 1 Petr. **5.** 6-7.

[40] 1 Corinth. **9.** 9.

[41] ORIG. *C. Cels.* 4; CLEM. Alex. *Strom.* 6; LACT. *De ira Dei* c. 13; HIER. *in Habac.* c. 1.

[42] S. THOM. *De Verit.* q. 5 a. 5.

[43] S. THOM. *l. c.* a. 3; 1 p. q. 22 a. 2.

[44] S. THOM. *De Verit.* q. 5 a. 5.

[45] BILLOT *th.* 30 p. 257.

[46] Supra n. 202.

[47] AUG. *De Civ. Dei* XI c. 18.

[48] AUG. *De Gen. ad Litt.* op. imp. c. 5 n. 25; *De Civ. Dei* I c. 8; *C. advers. legis et proph.* II c. 14; *De Gen. ad Litt.* XI c. 6 sqq.; *De Trinit.* XIII n. 20; GREG. Nyss. *De mort. praem. infant.;* CHRYS. *ad Starig.* III; THEOD. serm. 10 *de Provid.;* GREG. M. *Moral.* XXXIII c. 19 n. 35.

de *naturali* providentia, sed *de lege positiva,* quam dicit latam in bonum hominum; « eum nimirum in finem, ut Judaei non tantum discerent, quanta cum sollicitudine animalia ipsa, quorum opera utebantur, essent tractanda, sed ut simul ex ea concluderent, multo magis homines, pro iis laborantes, mercede sua esse dignos » [49]. Deus boves « curat utique, sed non ita ut de ea re *legem* tulerit » [50].

214. **Objic. 3.** Superior inferioribus per alios providet: atqui Deus est supremus gubernator: ergo singula non curat. **Resp.** *Nego paritatem.* Nam superior humanus: *a)* est provisor particularis, qui de quibusdam tantum curam gerit; Deus autem, omnium *immediatus auctor* omnia curat: *b)* humana insuper providentia potest effectu frustrari, sed divina infallibilis est, unde praeterire nequit entia inferiora, quae superiorum actus possent impedire: *c)* tandem superior creatus non debet singulis providere *per se,* quia cum actibus suae providentiae defatigetur, minora curans, majora negligeret; sed Deus est infinitae virtutis, unde singulari providentia non laborat, neque ex unius cura a gubernatione aliorum impeditur.

215. **Objic. 4.** Si omnia essent a Deo provisa, inutile foret nostra solicitudo, nec humana auxilia essent quaerenda: atqui...: ergo. **Resp.** « Expectare a Deo subsidium, in quibus se aliquis potest per propriam actionem juvare, praetermissa propria actione, est insipientis et Deum tentantis: hoc enim ad divinam bonitatem pertinet, ut rebus provideat *non immediate* omnia faciendo, sed *alia movendo ad proprias actiones* » [51].

216. **Objic. 5.** Deus hominem reliquit *in manu consilii sui* [52], et dedit ut precibus obtineret quidquid vellet [53]: ergo non sunt omnia ab aeterno divina providentia statuta. **Resp.** Qua ratione concilietur humana libertas et precum efficacia cum omnipotentia et immutabilitate divina jam diximus [54], nec iterum repetere debemus.

ART. 6. - DE VOLUNTATE SALVIFICA.

217. **Status questionis.** Cum Deus ordinaverit hominem ad finem supernaturalem, profecto datur supernaturalis providentia, qua homines et angeli in proprium finem ordinantur: imo cum duplex finis ultimus haberi non possit, providentia Dei, simpliciter loquendo, est supernaturalis, eaque naturalia ita disponuntur, ut sint media ad aeternam salutem. De hac supernaturali providentia agentes, distinguere debemus

---

[49] CORNELY in *h. l.* p. 247.
[50] CHRYS. in *h. l.;* AUG. in *Ps.* **145** n. 13.
[51] S. THOM. *Cg.* III c. 135.
[52] Eccli. **15.** 14.
[53] Matth. **21.** 22.
[54] Supra n. 189.

quaestionem dogmaticam a scholastica : illa est de *existentia* et *natura* ordinationis hominis [1] in vitam aeternam ; haec est de modo quo objecta in divina providentia disponuntur. Quaestionem scholasticam dein agemus, dogmaticam duobus articulis expediemus : in praesenti dicemus de universali et, ut ita dicam, generica ordinatione totius humanitatis in finem supernaturalem, in sequenti de particulari regimine electorum et praescitorum.

218. **Quid voluntas salvifica.** Est voluntas antecedens, qua Deus rationales creaturas et praecipue homines ordinavit ad aeternam beatitudinem, omnibus praeparando media sufficientia ad salutem [2]. Haec voluntas est *antecedens* quia praescindit a cooperatione hominis, est *beneplaciti* quia in ipso Deo existit, est *actuosa* quia includit praeparationem et consequentem collationem plurium gratiarum.

219. **Voluntas salvifica diversimode se habet ad adultos et parvulos.** Cum adulti possint ac debeant seipsos adducere in ultimum finem, Deus eis providet offerendo singulis gratias proportionatas eorum conditioni ; scil. conferendo fidelibus gratias *supernaturales*, infidelibus autem *praeternaturales*, quibus si obtemperent, supernaturales opportuno tempore dabit, miraculose etiam, si opus fuerit, vocando ad fidem [3]. Unde « si quis (in sylvis) nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium » [4]. — Qui rationis usum nondum sunt assecuti, seipsos in ultimum finem adducere non valent, et salutem obtinere tantum possunt in N. T. *baptismo*, in V. T. *circumcisione* vel *sacramento naturae* [5] ; unde Deus eis providet sic praeparando baptismum [6], ut ex ipso non pendeat quod aliqui eo priventur. Et si quaeris quomodo, salva hac voluntate, plures sine baptismo decidant ; distinguere debes inter eos qui hoc beneficio privantur ignorantia, negligentia vel malitia parentum, et alios qui sine parentum culpa pereunt, puta infirmitate vel alio infortunio. Quoad primos responsio est facilis : Deus non minus in naturali,

---

[1] *Hominis*, quia de *nostra* ordinatione in vitam aeternam agimus : de ordinatione angelorum quaedam innuemus loquentes de existentia odinis supernaturalis.

[2] Sacramenta, gratias actuales externas et internas, gratiam habitualem, etc.

[3] Cf. C. MAZZELLA *De Gratia* n. 832-72.

[4] S. THOM. *De Verit.* q. 15 a. 11 ad 1.

[5] PESCH *De Sacram.* n. 44-50.

[6] Et in V. L. *circumcisionem* vel *sacramentum legis naturae*.

quam in supernaturali ordine, filiis providet per parentes [7]. Quoad alios difficilior est responsio; cum enim calamitates sint a Deo, plurimis visum est salvificam voluntatem perire, si calamitates, vel saltem consequens privatio baptismi, non refundantur in culpam vel negligentiam parentum aut aliorum, quorum bonis operibus Deus salutem infantium ligaverit [8]. Communissime tamen haec laboriosa explicatio, et satis gratuita affirmatio, non habetur necessaria; siquidem antecedens voluntas Dei potest frustrari etiam cursu naturae, quem Deus miraculis impedire non tenetur, eo ipso quod *in hoc* et non *in alio ordine* voluerit omnes salvari [9].

220. **Errores — Veritas.** *Universalitatem* salvificae voluntatis negarunt PRAEDESTINATIANI saec. V *(Arnobius, Lucidus* et *Morinus)* et IX *(Gothescalcus)* dicentes Deum velle tantum salutem *praedestinatorum* pro quibus solis Christus mortuus est. Hunc errorem instaurarunt maxime WICLEFUS, HUS, LUTHERUS et CALVINUS, cujus asseclae subdivisi sunt in SUPRALAPSARIOS et POSTLAPSARIOS prout limitationem voluntatis salvificae desumebant ex decreto divino antecedente vel consequente praevisionem peccati Adae. *Sinceritatem* salvificae voluntatis impugnavit JANSENIUS dicens Deum de industria pro praescitis eligere gratias insufficientes [10]. — **Veritas** continetur in CONC. CARIS. I: « Deus omnipotens omnes homines vult salvos fieri, licet non omnes salventur » [11], et iterum in CONC. TRID.: « S. q... d. reliquos omnes (scil. non praedestinatos) qui vocantur, vocari quidem sed gratiam non accipere, *utpote divina potestate praedestinatos ad malum;* a. s. » [12]. Hinc uti *haeretica* proscripta est prop. JANSENII: « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse » [13].

THES. 22. *Etiam post Adae peccatum Deum vera et sincera*

---

[7] « Accomodat illis mater Ecclesia aliorum pedes, ut veniant; aliorum cor, ut credant; aliorum linguam, ut fateantur: ut quoniam, quod aegri sunt, alio peccante praegravantur, sic, cum hi sani sunt, alio pro eis confitente, salventur ». AUG. *Serm.* 176 n. 2.

[8] ARRUBAL, HERICE, MARTINON, KILBER apud *Franz.* p. 552.

[9] FRANZ. p. 552 sqq.; BILLOT p. 241-2; PESCH n. 351; HURTER II n. 123; CROSTA n. 320; TANQUEREY *De gratia* n. 91.

[10] De Praedest. cf. HERGENR. II p. 290; de ceteris FRANZ. *De Deo* p. 561-6; JANSSENS II p. 222-5.

[11] CONC. CARIS. I a. 849 cn. 3.

[12] CONC. TRID. Sess. VI cn. 17.

[13] Prop. 5 JANSENII; cf. 4 e damn. ab ALEX. VIII.

voluntate velle omnium salutem — 1 *docet Scriptura* — 2 *testantur Patres et* — 3 *confirmat ratio* [14].

221. **Prima pars.** *Universalitas salvificae voluntatis constat ex Scripturis.* **Arg. 1** *(ex Scripturarum complexu).* Nam in ipso protoëvangelio, etsi obscure, annuntiatur reparatio totius generis humani [15] per Christum, qui, antithetice praefiguratus ab Adam, non paucioribus in salutem factus est, quam ille fuerit in ruinam [16]. Hinc docent quod Deus *non vult mortem impii, sed ut convertatur et vivat* [17]; quod Verbum superna luce *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [18]; quod Christus *pro omnibus mortuus est* [19], factus *Salvator omnium hominum,* MAXIME *fidelium* [20]: atqui, si redemptionis beneficia ad omnes perveniunt, profecto est in Deo universalis praeparatio mediorum ad finem supernaturalem, quod pertinet ad universalem voluntatem salvificam: ergo. **Arg. 2.** *Obsecro... fieri obsecrationes, orationes... pro omnibus... Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad cognitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis: in quo positus sum ego praedicator et Apostolus* [21]. In hoc testimonio agitur de VOLUNTATE SALVIFICA, nam *a)* explicite effertur verbis *vult omnes homines salvos fieri,* et *b)* implicite enuntiatur cum haec voluntas tribuitur Deo tamquam

---

[14] Thesis prout extendit voluntatem salvificam etiam ad non praedestinatos est *de fide,* prout extendit ad omnes adultos est *proxima fidei,* prout parvulos includit est *theologice certa.*

[15] Gen. **3.** 15. Nam *contritio* serpentis importat destructionem operis ejus; quia ergo serpens est diabolus, et semen ejus est peccatum maxime originale (quod universum mundum contaminavit), Christus conterendo caput serpentis salvare debebat universum mundum: ex quo apparet etiam post Adae peccatum neminem a voluntate salvifica excludi.

[16] Rationem typicam Adami, qui Christo opponitur uti homo primus *secundo,* homo vetus *novo,* homo terrenus *coelesti,* saepe tangit Apostolus (1 Corinth. **15.** 45-7; Ephes. **4.** 22-5), maxime vero in Rom. **5.** 12 sqq., ubi, statuto quod Adam est *typus futuri,* concludit: *Si unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. v. 15.*

[17] Ezech. **33.** 11; 2 Petr. **3.** 9; Matth. **9.** 13.

[18] Joan. **1.** 9.

[19] 2 Corinth. **5.** 12.

[20] 1 Tim. **4.** 10. Attendas illud *maxime* quod ad infideles extendit fructum redemptionis.

[21] 1 Tim. **2.** 1-7.

Salvatori, et Christo tamquam *mediatori,* atque pro ejus executione tamquam media assignantur *orationes* fidelium, *conversio ad fidem, mors* Christi et *praedicatio* apostolica, quae non respiciunt ordinem naturae sed gratiae. Agitur de voluntate VERA ET SINCERA, nam *a)* enuntiantur uti *voluntas beneplaciti* contradistincta a praeceptis et operationibus, quorum est ratio; Dei autem voluntas beneplaciti essentialiter est vera et sincera : *b)* effertur uti ratio cur Deo sint *acceptae* orationes pro conversione infidelium et perseverantia justorum, propter quod autem aliud diligitur et ipsum magis diligitur : *c)* manifestatur *incarnatione* Verbi, *morte* Christi et Apostoli *missione,* quae, utpote operationes Dei, sunt infallibile signum voluntatis beneplaciti de re pro qua testimonium reddunt [22]. Agitur de voluntate UNIVERSALI, nam, ut *a)* praescindamus a VERBIS *vult omnes homines salvos fieri,* quorum extensionem ad fideles non esse coarctandam docent sequentia *et ad agnitionem veritatis venire;* universalitas hujus salvificae voluntatis *b)* constat ex RATIONIBUS, MEDIIS, et SIGNIS ab Apostolo adductis. Profecto rationes, media et signa sunt de eodem subjecto quod rationibus probatur, mediis obtinetur et signis manifestatur. Atqui Apostolus RATIONES salvificae voluntatis desumit *ex universali Dei dominio (unus enim Deus),* cui omnes indiscriminatim subduntur [23]; et *ex universalitate finis incarnationis* qui tam late patet quam ratio mediatoris cujus termini sunt Deus et omnes homines *(mediator Dei et hominum),* cujus fundamentum est natura assumpta *(homo Christus Jesus)* [24],

---

[22] A LAPIDE, DRACH, RAMBAUD, etc. apud PADOVANI in *h. l.*

[23] Hoc argumentum quod Apostolus affert etiam cum inutilitatem legalium ostendit (Rom. **3.** 29), estne apodicticum? *Pro re nostra* est apodicticum, quia non agimus de vi probativa argumenti, sed de ejus fine, qui certe ab auctore inspirato absolute intenditur : *in se ipso* est congruentiae, quia non repugnat creatori diversimode suas creaturas ordinare in finem ultimum : *in sensu Apostoli,* saltem probabilius, est apodicticum, quia ipse, ut notat CORNELY in *h. l.,* praesupponit « Deum omnibus, quorum Deus est, dona sua eodem modo sine personarum acceptione conferre et offerre ». Et si quaeris undenam Apostolus intimam relationem ordinis naturalis ad supernaturalem sciverit, respondeo : ex peculiari revelatione sibi facta, vel ex typica ratione Adae (Rom. **5.** 12 sqq.; 1 Corinth. **15.** 45 sqq.), collata cum suavi et universali providentia, quam Sapientia undequaque praedicat (Sap. **6.** 8; **8.** 1; **11.** 25 etc.).

[24] Scil. Jesus *in quantum homo.* Nota tamen cum *Padovani* quod si Apostolus ad vindicandam universalitatem voluntatis salvificae fundamentum *mediationis* Christi desumit ex humanitate, non excludit divinitatem, siquidem « quoniam (mediator) inter duas na-

specie et origine eadem in omnibus : SIGNUM hujus salvificae voluntatis videt in morte Christi qui dedit semetipsum redemptionem *pro omnibus* [25] : MEDIA invenit in *orationibus* fundendis *pro omnibus* [26], et in praedicatione Apostolorum [27], qui missi sunt in *mundum universum* ut docerent *omnes gentes* [28]. Ergo, sicut rationes, media et signa voluntatis salvificae sunt universalia, ita voluntas salvifica est universalis.

222. **Secunda pars.** *Universalitatem salvificae voluntatis Patres implicite et explicite testantur.* Testantur IMPLICITE cum dicunt Christum « ad communem hominum salutem advenisse » [29], « pro universo mundo » [30] ipsisque reprobis sanguinem suum effudisse [31], atque, infinito pretio soluto, non Afros solos, sed orbem terrarum emisse [32]. EXPLICITE profitentur cum affirmant quod « propositum hoc semper est Deo, *humanum salvare gregem* » [33]; unde « sincerissime credendum atque profitendum est Deum velle, *ut omnes homines salvi fiant* » [34], siquidem, sicut omnes ceciderunt per Adam, ita, « *non facta aliqua exceptione...*, per coelestem Adam saluti restituti » sunt [35]. Hanc porro universalem salvificam voluntatem Patres demonstrant ex *Scripturis* quas supra dedimus [36], et arguunt *ex divina bonitate*, quia Deus non invidus, sed « bonus est et salvare vult omnes » [37]; sicut etiam *ex creatione* et *supremo do-*

---

turas medius est, ambarum naturarum oportuit illum esse participem ». CHRYS. in *h. l.* Cf. Hebr. **2**. 11 sqq.

[25] Cf. etiam Joan. **2**. 2.

[26] Non obstat quod addatur et *pro regibus:* licet enim dubitari possit an finis proximus commatis, *ut quietam et tranquillam vitam agamus,* respiciat tantum orationes *pro regibus,* ut vult FRANZ. (thes. 49 p. 559), vel etiam orationes *universales,* ut cum S. THOM. defendit PADOVANI (in *h. l.*); lex grammaticalis, contextus, et Patrum interpretatio exigunt ut orationes praecipue fundatur ut *omnes salvi fiant.*

[27] *In quo* (grae. *ad quod,* scil. testimonium promulgandum) *positus sum ego praedicator et apostolus.*

[28] Matth. **28**. 19; Marc. **16**. 15.

[29] CLEM. Alex. *Strom.* 7; AMBR. *De Abel et Cain* II c. 3.

[30] ORIG. *C. Cels.* 8; BASIL. *in Ps.* **48**.

[31] CHRYS. hom. *De prodit. Judae;* GREG. Naz. *Or.* 3; AMBR. *De Parad.* c. 8.

[32] AUG. *in Joan.* trac. 120 in Off. *Pret. Sang.; in Ps.* **21** enar. 2 n. 2.

[33] CLEM. Alex. *in Protrep.* fine.

[34] PROSP. *in resp. ad Vincent.* ob. 2.

[35] GREG. Naz. *or.* 33 n. 9.

[36] CHRYS. *De long. praem.* hom. 44; *in I Tim.* hom. 7; HIER. *in Ephes.* c. 1; AMBR. *De Cain et Abel* II c. 3; *in Ps.* **72**; AUG. *De Spirit. et Litt.* c. 33 n. 58; AMBROSIASTER apud *Padovani* in Timoth. p. 148; PROSP. *Resp. ad Vincent.* ob. 2; DAMASC. *De fide Orthod.* II c. 29.

[37] JUST. M. *De resurr.* apud Dam. in Eclogis; DAMASC. *De fide orth.* II c. 29.

minio, quia « omnes *suos* vult esse, quos condidit et creavit » [38]: unde et *concludunt* quod, « qui pereunt, sua pereunt negligentia » [39], quia voluntatem Dei non sequuntur [40], « quia medicinam non expetunt, sed refugiunt, ne medicamentis compungatur vis ulceris » [41], quia abutuntur libero arbitrio [42], ita ut, « quod multi pereant, pereuntium sit meritum » [43].

223. **Tertia pars.** *Universalitas voluntatis salvificae confirmatur ratione.* Nam imprimis constat Deum *omnibus* dedisse praeceptum suscipiendi fidem et sacramenta [44], quae sunt media ad finem supernaturalem: atqui repugnat Deum sapientissimum praecepisse media sine ordinatione in finem: ergo omnes ordinavit in finem supernaturalem; in hac autem ordinatione et consequenti praeparatione mediorum consistit universalis voluntas salvifica. Accedit quod in praesenti statu naturae lapsae et reparatae non est medium inter beatificam visionem et damnationem; salvifica ergo voluntate non ordinare in gloriam, est antecedenter damnare ad poenam: atqui hoc repugnat divinae *bonitati* quia antecedens condemnatio crudelitatis sapit; repugnat *divinae sapientiae* quia poenas legislator non intendit nisi per accidens; repugnat *divinae sanctitati* quia antecedens reprobatio supponit positivam voluntatem inducendi in peccatum: ergo.

224. **SOLVITUR DIFFICULTAS. Objic.** S. AUG., contra pelagianos et semipelagianos negat universalitatem voluntatis salvificae; et verba Apostoli ad Timotheum explicat *distributive* de singulis hominum conditionibus [45], et *reduplicative* de his qui salvantur [46]. **Resp.** *Nego assertum* et *consequentiam.* Nego *consequentiam* quia auctoritas unius Patris non est tanta ut infirmet communem aliorum sententiam doctrinamque in Scripturis manifeste propositam. Nego *assertum* quia, si AUG. ex sua opinione de multiplici litterali sensu [47] testimonium Apostoli *ad Tim.* non semper explanavit de universalitate voluntatis salvificae,

---

[38] AMBR. *in Ps.* **39** n. 20; METHOD. M. apud *Oecum.* in Rom. **9**; CLEM. Alex. *Strom.* 7 int.; PAULIN. *ep.* 2.

[39] AMBR. *De Abel et Cain* II c. 3.

[40] CHRYS *De long. praem.* hom. 44; BASIL. *in Ps.* **29**.

[41] AMBR. *Enar. in Ps.* **72**.

[42] AUG. *De Spir. et Litt.* c. 33.

[43] PROSP. *Resp. ad Vincent.* ob. 2. Cf. etiam *resp. ad ob.* 7 et 8; METHOD. M. apud *Oecum.* in Rom. **9**.

[44] Matth. **16**. 16.

[45] AUG. *De Corr. et Grat.* n. 44.

[46] AUG. *Enchir.* c. 103; *De Praed. Sanct.* n. 14; *C. Jul.* IV c. 8 n. 42.

[47] AUG. *Conf.* XII. 31; *Doct. Chris.* III. 27.

tamen aliquando hoc modo exposuit [48]; cum vero, ut se expediret a difficultatibus Semipelagianorum, aliter intellexit, non respuit universalitatem voluntatis salvificae *antecedentis* et *conditionatae,* sed *absolutae* et *consequentis,* quemadmodum ex statu quaestionis innotescit, et patet ex explicationibus sui discipuli PROSPERI [49].

ART. 7 - DE PRAEDESTINATIONIS ET REPROBATIONIS EXISTENTIA (CONTRA HAERETICOS).

225. **Quid praedestinatio.** Est *pars providentiae,* a qua differt extensive et intensive: *extensive* quia providentia est etiam de praescitis, imo et de creaturis irrationalibus; praedestinatio vero est tantum de iis qui vitam aeternam consequuntur: *intensive* quia providentia contingit etiam in voluntate antecedenti et potest in actum deduci collatione solius gratiae, sufficientis; dum praedestinatio pertinet ad voluntatem absolutam, respicit objectum in concreto et includit gratias efficaces [1]. Definitur a S. THOMA: *Ratio transmissionis quorumdam creaturarum rationalium in finem vitae aeternae in Deo existens* [2]: est *ratio* ordinationis *in finem vitae aeternae* quia est pars providentiae, cum qua in generica notione ordinationis rerum in finem convenit: est ratio *transmissionis* et non solius ordinationis quia praedestinatio includit finis assecutionem: est ratio transmissionis *rationalis creaturae* quia homo tantum et angelus aeterna possunt beatitudine perfrui: est ratio transmissionis *aliquorum* quia non omnes sunt praedestinati: est *in Deo existens* quia praedestinatio formaliter inspecta nihil ponit in praedestinato, sed manet in solo praedestinante.

226. **De libro vitae.** *Liber vitae,* de quo saepe loquuntur Scripturae [3], « in Deo dicitur metaphorice, secundum similitudinem a rebus humanis acceptam. Est enim consuetum apud homines, quod illi, qui ad aliquid eliguntur, conscribantur in libro...; patet autem quod omnes praedestinati eliguntur a Deo ad habendam vitam aeternam. Ipsa ergo praedestinatorum conscriptio dicitur *liber vitae* » [4]. Porro *inscriptio* in libro non intelligitur de donis Dei *(gratia),* neque de bonis operibus

---

[48] AUG. *De Spirit. et Litt.* c. 33 n. 58.

[49] Cf. PETAV. X c. 7 et 8; FRANZ. *th. 52* p. 532 sqq.; PESCH n. 346.

[1] S. THOM. *I Dist.* 40 q. 1 a. 2.

[2] S. THOM. 1 p. q. 23 a. 1.

[3] Ps. **68.** 29; Isai. **4.** 3; Luc. **10.** 20; Philip. **4.** 3; Hebr. **12.** 22; Apoc. **3.** 5; **13.** 8; **17.** 8; **20.** 15; **22.** 19.

[4] S. THOM. 1 p. q. 24 a. 1.

(meritis), sed de personis [5], et sumitur sensu *lato* et *stricto:* primo modo in libro vitae scribuntur omnes qui voluntate antecedenti ordinantur in vitam aeternam, altero illi tantum qui salvantur: juxta primum sensum aliqui de libro vitae *delentur,* juxta alterum liber vitae est immutabilis, nemo ei additur, nullus de eo expungitur [6].

227. **De praedestinatorum numero.** Praedestinatorum numerum esse *determinatum* patet ex scientia Dei, « cui cognitus est *numerus* electorum in superna felicitate locandus [7] »; unde AUG. dicebat quod « civitas Dei nec civium suorum numerositate *fraudabitur,* aut *uberiori etiam copia* fortasse regnabit » [8]; nec « propter aliud retardatur hoc saeculum, nisi ut impleatur *praedestinatus numerus sanctorum* » [9]. Si COMPARATIVE quaeritur de *majori* numero praedestinatorum vel reproborum, nil certi dici potest, quia Deus non revelavit [10]; cum magna tamen probabilitate affirmare licet quod *simpliciter* loquendo plures sunt praedestinati quam praesciti, siquidem angeli in immensum superant homines [11] et major *angelorum* pars in bono perseveravit [12]. *Hominum* major pars non est praedestinata, siquidem multi idololatriam colunt et casus miraculosae revelationis [13] non videtur frequens [14]. *Haereticorum* major pars iterum videtur praescita; licet enim multi haeretici sint in bona fide, privantur tamen mediis, quae in ordinaria providentia sunt necessaria ad salutem. Putamus e contra majorem *Catholicorum* numerum salvari, testimonia enim Scripturae et Patrum, quae opponuntur [15], explicari possunt de universalitate generis humani; dum sincera Dei voluntas salvifica, Ecclesiae sanctitas, abundantia gratiarum et mediorum salutis, quae nobis offeruntur, ipsaque parabola de convivio patris familiae, in quo *unus* tantum inventus est sine veste nuptiali, suadent plurimos e catholicis vitam aeternam consequi [16]. Ceterum

---

[5] S. THOM. *l. c.* a. 2.

[6] S. THOM. *l. c.* a. 3.

[7] COLL. MISSAE n. 35 *Pro vivis et defunct.* Cf. Joan. **10.** 27-8.

[8] AUG. *Enchir.* 29; *De Corr. et Grat.* c. 13.

[9] AUG. *De bono Viduit.* n. 28; S. THOM. 1 *Dist.* 40 q. 3 a. unic.

[10] Cf. S. THOM. 1 p. q. 23 a. 7.

[11] S. THOM. 1 p. q 50 a. 3.

[12] S. THOM. 1 p. q. 63 a. 9.

[13] Supra n. 219.

[14] Hoc confirmatum videtur in condemnatione operis *De Paradiso,* de quo loquitur HURTER II n. 145 n. 2.

[15] JANSSENS II p. 496 sqq.

[16] Contra multitudinem praedestinatorum saepe opponunt testimonium Matth. **20.** 16: *multi sunt vocati, pauci vero electi,* sed frustra. Hujusmodi verba sunt conclusio parabolae de operariis vineae, qui *omnes* mercedem receperunt; non ergo agunt de exclusione a praemio, sed de *quantitate* praemii, quod a Deo non confertur secundum opinionem hominum. Operarii evangelici ex *diuturnitate* et *labore* operis metiebantur praemium, quod Deus confert juxta supernaturalem *affectum,* qui abundantiam *gratiae* praecipue sequi-

quaestio de praedestinatorum numero non magni est momenti, siquidem « salus aeterna, non est aliquid *collectivi,* sed cuivis homini *singularis.* Quid tibi proderit, plures homines salvari, si tu damneris? Quid tibi nocebit, non salvari nisi paucos, modo sis de paucis ipse? » [17].

228. **De praedestinationis signis.** « Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut *certo* statuat se omnino esse in numero praedestinatorum... Nam nisi ex speciali revelatione sciri non potest » [18]; nec « convenit, ut reveletur omnibus, quia sic illi, qui non sunt praedestinati, desperarent, et securitas in praedestinatis negligentiam pareret » [19]. Potest tamen probabili conjectura praedestinatio agnosci, quia *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei* [20]. Praecipua autem praedestinationis signa sunt: *a)* contempus mundi [21], *b)* patientia in adversis [22], *c)* inimicorum dilectio [23], *d)* zelus pro salute animarum [24], *e)* religiosa auditio verbi Dei [25], *f)* praxis beatitudinum [26], *g)* SS. Communionis fervida et frequens sumptio [27], *h)* devotiones erga SS. Cor Jesu et B. V. M., quarum prima fovet caritatem Christi [28], altera comparat praesidium *Mediatricis ad Mediatorem,* cujus omnipotentia supplex non sinit eos, qui ad se confugiunt, perire [29].

229. **Quid reprobatio.** Reprobatio est providentiae *absolutae* et *consequentis* pars quae respicit damnandos. « Pertinet, inquit S. THOM., ad divinam providentiam ut *permittat* aliquos ab ultimo fine deficere, et hoc dicitur *reprobare.* Sic igitur, sicut praedestinatio est pars providentiae respectu eorum, qui divinitus ordinantur in aeternam salutem, ita reprobatio non nominat *praescientiam* tantum, sed aliquid addit secundum rationem, sicut et providentia... Sicut enim praedestinatio includit voluntatem *conferendi* gratiam

---

tur. Ideo *multi vocati, pauci electi,* « quia multi vocantur *gratiis ordinariis,* quibus ex sua parte non pro virili respondent, pauci vero ad *gratias omnino sublimes,* quibus egregie cooperantur, pro Dei liberali consilio eliguntur ». KNABEN. in *h. l.* p. 178.

[17] JANSSENS *l. c.* p. 499.

[18] CONC. TRID. Sess. 6 cp. 12; cn. 15 et 16.

[19] S. THOM. 1 p. q. 23 a. 1 ad 4.

[20] Rom. **8**. 16.

[21] Matth. **19**. 29.

[22] Jac. **1**. 2; Rom. **5**. 4; **8**. 17.

[23] Matt. **5**. 12-15; **18**. 23-35.

[24] Jac. **5**. 20.

[25] Joan. **8**. 47; **10**. 27.

[26] Matth. **5**. 3-10

[27] Joan. **6**. 54-5.

[28] Rom. **8**. 35-39

[29] BERNARD. orat. *Memorare.* Cf. PESCH 403-4; JANSSENS II p. 485 sqq.; TANQUEREY n. 157; CROSTA n. 342.

et gloriam, ita reprobatio includit voluntatem *permittendi* aliquem cadere in culpam, et inferendi damnationis poenam pro culpa » [30]. Est igitur reprobatio *praescientia et permissio defectionis aliquorum,* vel *ratio permissionis damnationis aliquorum in Deo existens.*

230. **In quo a praedestinatione differat.** Fundamentalis differentia *a)* est *ex parte objecti,* siquidem salus aeterna est res bona *absolute* et *per se,* damnatio vero est malum quod *per accidens* et *ex consequenti* tantum induit rationem boni [31]. Hinc *b)* praedestinatio cadit *directe* sub voluntate salvifica et dicit *positivam* voluntatem salvandi, reprobatio solum *indirecte* pertinet ad divinam voluntatem et dicit *permissionem* damnationis aliquorum. Consequenter *c)* praedestinatio intelligi potest, imo debet, *ante* praevisa merita; reprobatio autem ante praevisionem demeritorum ne intelligi quidem potest.

231. **Errores — Veritas.** *Praedestinationis* existentiam vel gratuitatem negarunt Origenes, Pelagiani et Semipelagiani [32]. ORIGENES videtur rationem discretionis gratiarum et consequentis gloriae non sumpsisse ex divina praedestinatione, sed ex meritis praecedentis vitae [33]; PELAGIANI omnia opera bona, SEMIPELAGIANI initium fidei deducentes ex solo libero arbitrio, praedestinationem explicabant ex praevisione meritorum [34]. *Reprobationis* naturam corruperunt CALVINISTAE et JANSENIANI qui, dempto libero arbitrio, dixerunt, saltem post Adae peccatum [35], Deum independenter a quavis demeritorum praevisione damnare praescitos ad poenam [36]. — **Veritas** continetur in definitionibus CONC. ARAUS. quod de divina vocatione, quae gratuitae praedestinationis est effectus, ait: « Salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus... sed ipse (Deus) *nullis praecedentibus* bonis meritis, et fidem et amorem sui *prius* inspirat »; de *reprobatione* vero: « Aliquos ad malum divina potestate praedestinatos esse, non solum non

---

[30] S. THOM. 1 p. q. 23 a. 3.

[31] Scil. inquantum ipsa reintegratur, violatus ordo justitiae.

[32] S. THOM. 1 p. q. 23 a. 5.

[33] Ut notum est, ORIG. docuit praeexistentiam animarum.

[34] HERGENR. II p. 278 et 287; JANSSENS II p. 421 sqq. Semipelagianis accedunt quidam e CONGRUISTIS qui praedestinationem explicant ex praeviso bono usu gratiarum.

[35] CALVIN. *Instit.* III c. 21 n. 5; c. 23 n. 1-7; JANSEN. *De gratia Christi* X c. 2 apud *Petav.* 10 c. 6; *Pesch* n. 409-12.

[36] Juxta REFORMATORES humana voluntas peccato originali amisit libertatem.

credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus » [37].

THES. 23. *Datur — 1 aliquorum — 2 gratuita praedestinatio.*

232. **Prima pars.** *Datur aliquorum praedestinatio.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. *Quos praescivit et praedestinavit...: quos autem praedestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit* [38]. In hoc testimonio vocem *praedestinavit* sensu proprio esse sumendam, constat *a)* ex communi interpretationis regula vetante recursum ad sensum improprium, cum necessitas non cogit; *b)* ex Patrum expositione, de qua statim dicemus; et *c)* ex contextu, siquidem Apostolus praedestinationem ponit fundamentum mediorum [39], quibus aeternam felicitatem consequimur. ARGUM. 2 conficitur ex testimoniis quae *perseverantiam in bono* [40] repetunt ex speciali benevolentia Dei, docentque thronum coeleste sanctis ab ipsa mundi constitutione esse *paratum* [41]. ARGUM. 3 deducitur ex locis in quibus agitur de electione vel praedestinatione ad fidem et ad bona opera [42]; haec enim sunt *media* salutis, et praeparatio mediorum praesupponit electionem finis. — **Patres** *a)* ex Apostolo arguunt existentiam praedestinationis, quam cum AUG. definiunt: « praescientiam et praeparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur [43]; vel cum THEOPH.: « impermutabilem Dei bonam voluntatem » [44]: *b)* eam dicunt subsequentem divinam scientiam [45]; non penitus independentem a meritis, siquidem « non ante praedestinavit, quam praesciret, sed quorum merita praescivit eorum praemia praedestinavit » [46]; fontem omnium bonorum, siquidem « obtineri nequaquam possunt, quae praedestinata non fuere, sed ea, quae sancti viri orando efficiunt, ita praedestinata sunt, ut precibus obtineantur » [47]. *c)* Tam vero manifestam habebant prae-

---

[37] CONC. ARAUS. II cn. 25; CONC. TRID. Sess. V cp. 5.

[38] Rom. **8**. 29-30.

[39] Scil. vocationis, justificationis, glorificationis.

[40] Joan. **10**. 26-9. Act. **13**. 48.

[41] Matth. **25**. 34.

[42] Joan. **6**. 66; Rom. **8**. 33; **11**. 5 sqq.; 1 Corinth. **10**. 1 sqq.; 1 Thess. **1**. 4; 2 Thess. **1**. 11; **2**. 12; Ephes. **1**. 3 sqq.; **5**. 1 sqq.; 1 Petr. **1**. 1; etc.

[43] AUG. *De bono pers.* c. 14 n. 35.

[44] THEOPH. *in Rom.* **8**. 30.

[45] HIL. *in Ps.* **64**.

[46] AMBR. *De fide ad Grat.* V c. 5; HIL. *l. c.*; CHRYS. *in Ephes.* hom. 1 et alias saepe.

[47] GREG. M. *Dialog.* I c. 8.

destinationem, ut AUG. dixerit: « Hoc scio neminem contra istam nisi errando disputare potuisse »[48]; et PROSP.: « Praedestinationem Dei nullus catholicus christianus negat »[49]. — **Ratio** sumitur ex praedictis de divina providentia, cujus non solum est coordinare creaturas, praecisione facta a circumstantiis, sed etiam in concreto, ac proinde electis praeparare omnia quibus de facto vitam aeternam consequantur[50].

233. **Secunda pars.** *Praedestinatio saltem adaequate inspecta est gratuita.* Revera **Scripturae** saepe agnoscunt pro electis *specialem amorem Dei*[51] qui, cum nulli quidquam debeat[52], non ex meritis[53], sed ex libera et misericordi voluntate *miseretur cujus vult, et quem vult indurat*[54]; ita ut omnes, qui aliqua bonitate a ceteris discernuntur[55], non debeant gloriari quasi non acceperint[56], quippe a Patre luminum est omne datum optimum et omne donum perfectum[57]. — **Patres** collationem et praeparationem gloriae esse docent « ex charitate (Dei)... et virtute nostra »[58]; ita tamen ut opera nostra bona ipsaeque orationes sint effectus seu objectum praedestinationis Dei[59]. Gratuitatem praedestinationis saepe urget AUG., de quo BILLOT scribit: « Sententia Augustini *a)* elucet praeclarissime, ubicumque praedestinationem parvulorum, quoad gratuitatem, coaequat praedestinationi adultorum[60]. Elucet vel maxime, quando *b)* praeclarissimum lumen praedestinationis *ponit ipsum Salvatorem,* Mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum, qui, « ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei praecedentibus meritis; natura humana, quae in illo est comparavit? » Denique si quis, vel leviter percurrat objectiones, quas movebant Massilienses contra doctrinam Augustini[61], statim videbit,

---

[48] AUG. *De dono persev.* c. 19 n. 48; *De praed. Sanct.* c. 17.

[49] PROSP. *Resp. ad ob. Gall.* resp. 1; FULG. *De fide ad Petr.* c. 35.

[50] Cf. S. THOM. 1 p. q. 23 a. 1.

[51] Cf. Malach. **1**. 2-3. Verba sensu *litterali* agunt de populo Israël et Idumaeo quoad beneficia temporalia, sensu *typico* sunt de Ecclesia et mundo, sensu *derivato* accomodantur electis et praescitis.

[52] Rom. **11**. 35.

[53] Rom. **9**. 11.

[54] Rom. **9**. 18.

[55] Tales sunt profecto electi, qui aeterna salute a praescitis distinguuntur.

[56] 1 Corinth. **4**. 7.

[57] Jac. **1**. 17.

[58] CHRYS. *in Epiph.* hom. 1.

[59] GREG. M. *Dial.* 1 c. 8.

[60] AUG. *De praed. Sanct.* n. 24.

[61] AUG. *De praedest. Sanct.* et *De dono pers.* passim.

eas nequidem habere sensum, in suppositione praedestinationis ortae ex meritis » [62]. — **Ex ratione.** Nam « impossibile est quod totus praedestinationis effectus in communi habeat aliquam causam *ex parte nostra,* quia quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem, *totum* comprehenditur sub effectu praedestinationis, etiam ipsa praeparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit nisi per auxilium divinum; secundum illud: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur* [63]. Habet tamen hoc modo praedestinatio ex parte effectus pro ratione *divinam voluntatem,* ad quam totus effectus praedestinationis ordinatur ut in finem, et ex qua procedit sicut ex principio primo movente » [64].

THES. 24. *Datur — 1 reprobatio aliquorum, sed — 2 non debetur antecedenti voluntati positivae.*

234. **Prima pars.** *Datur aliquorum reprobatio.* Nam **Scripturae** docent quod Deus *impium in diem malum* operatus est [65]; quod, *volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa apta in interitum* [66]; quod *posuit* Pharaonem, *ut ostenderet* in eo fortitudinem *suam et narraretur* nomen Dei *in universa terra* [67]; quod *Jacob dilexit et Esau odio habuit,* antequam quidquam boni vel mali fecissent [68]: atqui haec exhibent pro reprobis providentiam qua, permissis praescitorum peccatis et finali eorum impoenitentia, Deus ordinat mala ad manifestandam suam patientiam, fortitudinem, justitiam, etc.: ergo, antequam praesciti creentur, est in Deo praescientia et voluntaria permissio defectionis eorum; in hoc autem consistit reprobatio. **Ratio** confirmat: cum enim nil eveniat casu [69], etiam damnatio praescitorum a Deo praevisa et provisa esse debet [70].

235. **Secunda pars.** *Reprobatio non pertinet ad voluntatem positivam antecedentem.* Nam velle omnes salvos fieri, et velle aliquos perire contrarie opponuntur, nec simul consistere queunt: atqui **Scriptura** et **Patres** docent quod Deus antecedenti voluntate vult omnes homines salvos fieri: ergo antecedenti voluntate neminem Deus praeordinat ad damnationem. Hinc Aug.: « Imme-

---

[62] Billot *th. 32* p. 279 in nota.
[63] Thren. **5**. 21.
[64] S. Thom. 1 p. q. 23 a. 5.
[65] Prov. **16**. 4.
[66] Rom. **9**. 22.
[67] Exod. **9**. 16; Rom. **9**. 17.
[68] Malach. **1**. 2-3; Rom. **9**. 11-13.
[69] Supra n. 208.
[70] S. Thom. 1 p. q. 23 a. 3.

ritum et nulli obnoxium peccato, si Deus damnare creditur, *alienus ab iniquitate* non creditur » [71]. Et FULG. : « *Erit injustitia,* si lapso Deus retribuit poenam, quem stantem praedestinasse dicitur ad ruinam » [72]. Similiter PROSP. : « Praedestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi » [73]. **Ex ratione.** Nam reprobatio positiva facit Deum *crudelem, injustum, mendacem* et *peccati auctorem.* Facit *crudelem,* quia parat poenam innocenti [74] : facit *injustum,* quia de libertatis abusu eum damnat, qui liber non est : facit *mendacem,* quia ad bene agendum invitat, quem bene agere non potest : facit *peccati auctorem,* quia ad actum peccati ex necessitate impellit.

236. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Dicit Scriptura : *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem atque electionem faciatis* [75] : ergo ante exercitium bonorum operum non est determinatio finis, nec proinde praedestinatio. **Resp.** *Neg. conseq.* Nam S. Petrus loquitur de vocatione ad fidem [76], nec considerat ordinem *praeparationis* beneficiorum sed *collationis,* in quo omnes concedunt gloriam esse propter merita. « In summa, cum nemini Deus det gratiam inefficacem, praecise quia inefficax praevidetur, semper est in plena et expedita uniuscujusque potestate efficere ut accepta gratia effectum salutis consequatur. Ideo omnia apud nos eveniunt, non secus ac si praedestinatio esset in manu creaturae ; et hoc sensu approbari potest id quod aliqui dicunt : *si non es praedestinatus, fac ut praedestineris* » [77].

237. **Objic. 2.** Data praedestinatione, inutilis est salutis studium : vel enim sum praedestinatus vel non sum : si sum praedestinatus, quidquid egero, salvabor ; si non sum praedestinatus, etiamsi bene agam, damnabor : atqui haec conclusio est manifeste falsa : ergo. **Resp.** Teneret difficultas si praedestinatio ad gloriam esset penitus independens ab operibus ; sed Deus praedestinat ad gloriam tamquam ad praemium bonorum operum ; et ideo praedestinatio non aufert necessitatem bonorum operum, quae praesupponit [78].

238. **Objic. 3.** Ex praedestinatione sequitur praedestinatum infallibiliter salvari, praescitum infallibiliter damnari : atqui, quod infallibiliter evenit, necessario contingit : ergo praedestinatio et reprobatio destruunt humanam libertatem. **Resp.** Praedestinatio et reprobatio non

---

[71] AUG. *Epist.* 186 n. 20.
[72] FULG. *Ad Monim.* I c. 22 ; c. 25.
[73] PROSP. *Resp. ad ob. Gall.* ob. 12.
[74] Ante peccatum quisque innocens est.
[75] 2 Petr. 1. 10.
[76] BELLAR. *De Just.* III c. 19.
[77] BILLOT p. 297.
[78] Cf. BILLOT 295-6.

sunt aliquid receptum in nostra voluntate, sed sunt partes providentiae, quae in ipso Deo manent; nullo modo ergo impediunt liberum arbitrium [79]. Infallibilitas praedestinationis provenit ex praescientia, qua Deus futurum praevidet eique intentionaliter adest; unde necessitas, quae praedestinationem sequitur, non est antecedens sed consequens exercitium liberi arbitrii. Sicut ergo, cum video Socratem sedere, in sensu composito cum sessione, necesse est ipsum sedere, etsi libere sederit; ita futurum, a Deo praevisum et provisum, *necesse est ut eveniat,* sed non est necesse ut eveniat *necessario;* futurum quippe contingens Deus praevidit *libere* futurum.

239. **Objic. 4.** Repugnat partem divinae providentiae refundi in negationem: atqui reprobatio est pars divinae providentiae: ergo est objectum positivae Dei voluntatis. **Resp.** *Quomodo* reprobatio explicetur sola *permissione* dicemus in sequenti articulo: nunc nota praedestinationem et reprobationem *non pari ratione* cadere sub providentia, quae, sicut diversimode ordinat in finem rationalia et irrationalia, ita diversimode respicit praedestinatos et praescitos. Ceterum reprobatio *permissiva* non absolvitur negatione; dicit enim positivam voluntatem creandi praescitum intuitu bonorum naturalium et supernaturalium, quae per se vel accidens ejus existentiam sequuntur [80].

ART. 8 - DE PRAEDESTINATIONIS ET REPROBATIONIS MODO.

(CATHOLICORUM DISPUTATIO)

240. **Praenotanda.** De modo praedestinationis et de gratiae efficacia acris theologorum disputatio exarsit sub fine saec. XVI: causa delata est ad R. P., et Clemens VIII indixit congregationem *De Auxiliis* quae novem integris annis (1598-1607) insudavit ut litem dirimeret [1]. Nil tamen est definitum, imo ab Inn. X « serio admodum vetitum est in quaestione hac pertractanda, ne quis partem suae oppositam aut qualificaret, aut censura quapiam notaret... Quin optat etiam (R. P.), ut a verbis asperioribus amaritiem animi significantibus, invicem abstineant » [2]. Hanc regulam secuti, modeste nostram sententiam exponemus, eorum quoque memores quae S. IGNATIUS in aureo exercitiorum libro admonet, ne scil. *per modum consuetudinis* de praedestinationis mysterio loquamur, cum vero justa de causa de eodem agere opportet, ita propo-

---

[79] S. THOM. *De Verit.* q. 6 a. 3 ad 8.

[80] In praescito sunt bona *per se* natura et opera sancta quae facit, *per accidens* ea quae peccata sequuntur, scil. electorum purgatio et justa damnatio.

[1] DENZINGER n. 964.

[2] INNOC. X *Decr.* 22 apr. 1654.

namus veritatem, ut a fatalismi lue christiana plebs arceatur; « valde attendentes... ne, dum plurimum praedestinationi et gratiae tribuamus, vires et conatus liberi arbitrii infringamus : vel, dum nimium extollimus liberi arbitrii vires, gratiae Jesu Christi derogemus » [3].

241. **Status quaestionis.** Catholicorum quaestio non est de *existentia* praedestinationis aliquorum aliorumque reprobatione, sed de praedestinationis *gratuitate;* et quidem non de absoluta gratuitate eorum omnium, quae sub praedestinatione cadunt [4], sed de gratuitate gloriae praecisive inspectae; unde, distinguentes inter praedestinationem *adaequate* et *inadaequate* sumptam, disputant an *praedestinatio ad gloriam* sit ANTE vel POST praevisa merita. Porro, ut verum fatear, quaestio parum recte est proposita; S. THOMAS enim, qui in effectu (seu objectis) praedestinationis apprime distinxit [5], *praedestinationem inadaequatam* non agnovit; et merito, quippe praedestinatio est *ratio trasmissionis aliquorum in finem vitae aeternae,* unde notio praedestinationis non salvatur in sola praeparatione gloriae quae hujus trasmissionis est *finis,* neque in sola praeparatione gratiae quae ejusdem est *medium.* Itaque non de praedestinatione inadaequate sumpta, sed de *electione ad gloriam* quaerendum est an sit *ante* vel *post* praevisa merita.

242. **De electione ad gloriam sententiae plurimae.** Tres praecipue enumerantur, thomistarum scil., molinistarum et neo-thomistarum. THOMISTAE seu Bañeziani cum ALVAREZ, BANEZ, GONET, BILLUART [6] et integra schola Dominicana, quibus accedunt SUAREZ et BELLAR., electionem ad gloriam dicunt *antecedentem et independentem* a meritis utcumque praevisis : MOLINISTAE cum DE-VALENTIA, VASQUEZ, LESSIO, PETAVIO et ex recentioribus FRANZ., MAZZELLA, HURTER, PESCH [7] et fere omnibus PP. Soc. Jesu, aestimant electionem ad gloriam in adultis *consequi* praevisionem meritorum : NEO-THOMISTAE cum

---

[3] IGNAT. LOY. *Exercit.* Reg. *Ad sentiendum cum Ecclesia* n. 14, 15 ex vet. man.

[4] Contra Pelagianos et Semipelagianos omnes catholici docent gratuitatem *primae gratiae* et per consequens gratuitatem praedestinationis, qua prima gratia praeparatur.

[5] « Nihil prohibet aliquem effectum praedestinationis esse causam et rationem alterius; posteriorem quidem prioris *(merita propter gloriam)* secundum rationem causae *finalis;* priorem vero posterioris *(gloriam propter merita)* secundum rationem causae *meritoriae...* ; sicut si dicamus quod Deus praedestinavit se daturum alicui gloriam ex meritis, et quod praeordinavit se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam ». S. THOM. 1 p. q. 23 a. 5.

[6] ALVAREZ. *De Auxil.* Disp. 37; BANNEZ in 1 p. q. 23 a. 5; GONET *De Volun. Dei* Disp. 5; BILLUART *De Deo* Disp. 9 a. 4.

[7] FRANZ. *th.* 49 p. 632 sqq.; MAZZELLA *De Gratia* n. 705 sqq.; HURTER II n. 128-50; PESCH n. 369-96.

BILLOT, JANSSENS, SATOLLI, etc.[8] docent electionem esse *ante* praevisa merita, non tamen *independenter* ab illis, ut mox declarabimus.

243. **De reprobationis modo duplex opinio.** Explosa reprobatione *antecedente positiva*, quam catholici omnes damnant in Calvino, THOMISTAE agnoscunt reprobationem *antecedentem negativam*, qua ante praevisionem peccatorum Deus *excludit* praescitos a gloria aeterna tamquam a dono indebito; exequitur vero suum decretum physica praemotione, qua voluntatem praesciti determinat ad actum peccati, prouti est quaedam realitas physica[9]: MOLINISTAE et in genere omnes PP. Societatis Jesu negant in reprobatione dari divinam voluntatem *antecedentem* sive positivam, sive negativam, docentque Deum reprobare solum *permissive*, voluntate *consequenti* praevisionem peccatorum; exequitur vero reprobationem conferendo gratias finaliter *pure sufficientes*, non quidem de industria eligendo gratias inefficaces, qua tales, sed permittendo quod gratia per se valida, seu vere sufficiens, malitia praesciti evadat finaliter inefficax[10].

244. **De praedestinationis et reprobationis ordine.** In confesso est apud omnes praedestinationis actum in indivisibili consistere, quippe actuum multitudo et successio divinae simplicitati repugnant; quia tamen infinitam perfectionem divini actus dimidiata et analogica nostra cognitione attingere non valemus, solent theologi in praedestinatione distinguere plures actus, quibus ille aequivalet. « In praedestinatione (itaque) tria sunt consideranda, quorum *duo* praesupponit ipsa praedestinatio, scil. *praescientiam* Dei et *dilectionem*, idest voluntatem qua vult praedestinatum salvare; et tertium est ipsa *praedestinatio*, quae nihil aliud est quam directio in finem, quem vult Deus rei dilectae »[11]. Primus igitur praedestinationis actus est PRAESCIENTIA, qua Deus in sua essentia intuetur omnia *possibilia* et *futuribilia*[12], non solum prout sejunctim exhibent ali-

---

[8] BILLOT p. 283 sqq.; JANSSENS II p. 459-60; 470 sqq.; SATOLLI *De Oper. Div.* p. 412-8.

[9] Non omnes Thomistae pari modo rem exponunt. ALVAREZ, SALMANT., JOAN. A S. THOMA, ESTIUS, etc. loquuntur de *exclusione* a gloria; GONETUS, GODOY, GOTTI, etc., *de derelictione* in massa damnationis, in quam peccato Adae omnes ceciderunt; GOUDIN, GRAVESON, BILLUART de derelictione *in debilitate*, qua post Adae peccatum de facto non possunt evitare peccata. His valde accessit SUAREZ (*De Praed.* V. c. 4 et 5) docens Deum in praedestinatione sanctorum *praeterire* praescitos, quos (etsi non praedeterminet ad malum) ad bonum tamen movet gratiis, quas scientia media novit finaliter inefficaces. Cf. PESCH n. 418-26; BILLOT p. 280 sqq.

[10] BILLOT *th 31* p 283 sqq.

[11] S. THOM. *Quod.* XI a. 3.

[12] Primum praedestinationis actum esse praescientiam, electis et reprobis communem, saepe docet AUG., ut videre est apud *Hergenr.* II p. 282.

quam veritatem, sed prout in complexu plurium rerum constituunt ens illud physicum simul et intentionale quod vocamus *mundum,* multiplicem, imo infinitum, secundum quod diversitate entium earumque relationibus variatur. Praescientiam sequitur VOLUNTAS SALVIFICA, siquidem « non praecipitur aliquid ordinatum *in finem,* nisi praeexistente *voluntate finis;* unde praedestinatio aliquorum in salutem aeternam praesupponit, secundum rationem, quod Deus velit illorum salutem » [13]. Et quia duplex est voluntas salvifica, universalis scil. pro omnibus hominibus, et *particularis* pro electis, ratio vero universalis praecedit particularem; secundus actus praedestinationis est VOLUNTAS SALVIFICA UNIVERSALIS qua e numero creabilium excluduntur mundi in quibus entia rationalia non ordinarentur ad supernaturalem finem, vel omnibus non praepararentur media sufficientia salutis. Ex hoc tamen actu divinae voluntatis nil sequitur, siquidem voluntas salvifica universalis in infinitis mundis a nostro diversis posset compleri, unde in praedestinatione debet agnosci novus actus quo, praelucente praescientia et concomitante voluntate salvifica, Deus elegit mundum praesentem. Hic est actus *specialis amoris* quem sequuntur *praedestinatio* gratuita (etsi non penitus independes a meritis praevisis) electorum, et praescitorum *reprobatio* permissiva. Est actus AMORIS, quia, ut notat S. THOM., « electio et dilectio aliter ordinatur in nobis et in Deo; eo quod in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono praeexistente incitamur ad diligendum, et ideo eligimus aliquem, quem diligamus; et sic electio dilectionem praecedit in nobis. In Deo autem est e converso. Nam voluntas ejus, qua vult bonum alicui diligendo, est causa quod illud bonum ab eo prae aliis habeatur. Et sic patet quod dilectio praesupponitur electioni secundum rationem » [14]. Hunc amorem sequitur electorum PRAEDESTINATIO, quia ante dilectionem erat in divina scientia speculativa *ratio dispositionis eorum in finem vitae aeternae,* quae dilectione et electione transiit in practicam et facta est *ratio transmissionis aliquorum in finem vitae aeternae:* sequitur ELECTIO, quia « hoc bonum (Deus) aliquibus prae aliis vult » [15]; potuisset enim eligere alium mundum in quo, qui nunc salvantur, damnarentur et vicissim, qui nunc damnantur, salvarentur: sequitur ELECTIO AD GLORIAM ANTE PRAEVISA MERITA, quia merita *realia* non sunt causa sed effectus dilectionis Dei; merita vero *hypothetica* esse nequeunt ratio dilectionis et electionis *absolutae:* sequitur ELECTIO NON INDEPENDENS A MERITIS, quia si meritorum praevisio non est *causa,* est tamen *conditio;* siquidem electio non est facta ad aeternam gloriam tamquam ad purum *donum* sed tamquam ad *praemium,*

---

[13] S. THOM. 1 p. q. 23 a. 4.
[14] S. THOM. *l. c.*
[15] S. THOM. *l. c.*

quod non est praevisum, nec proinde praeparatum, sine ordine ad meritum [16]: sequitur REPROBATIO PRAESCITORUM, siquidem in mundo, a Deo prae aliis dilecto, non continetur eorum transmissio in finem vitae aeternae, ac proinde electio hujus mundi includit voluntatem permittendi praescitorum ruinam: sequitur reprobatio MERE PERMISSIVA seu *post praevisa demerita,* quia dum electio, utpote bonum, *per se* seu antecedenter cadit sub divina voluntate; reprobatio, utpote malum, solum *per accidens* (ac proinde consequenter ad praevisionem peccati) cadere potest sub actu amoris, quo Deus hunc mundum elegit. Et si quaeras quodnam bonum, a divino amore appetitum, fuit ratio permissionis damnationis, dico praeter ipsum bonum *vindictae,* consequens peccatorum damnationem [17], fuisse bonum *naturae* [18] quod in peccatore manet, bonum *sanctorum operum* quae in hac vita etiam a praescitis eliciuntur [19], et tandem *nexum cum praedestinatis* [20], quibus in ordine physico [21], morali [22] et spirituali [23], proxime vel remote uniuntur [24].

THES. 25. *Electio ad gloriam — 1 non est post praevisa merita, ut volunt Molinistae, sed — 2 neque independenter a meritis ut Thomistae contendunt.*

245. **Prima pars.** *Electio ad gloriam non est post praevisa merita.* Nam *a)* praeparationem *gloriae* Scripturae sumunt ex divina *electione* [25]: atqui « *electio* est acceptio unius prae alio *ex arbitrio* eligentis » [26]: ergo electio ad gloriam in illo signo invenitur, in quo nondum est debita: atqui, praesuppositis meritis, gloria est debita: ergo. *b)* Gloria in praedestinatione habet rationem *finis,* merita autem sunt *media:* atqui intentio finis in ordine logico praecedit electionem mediorum: ergo. *c)* « Per electionem ille, qui in finem dirigitur, ab aliis sepa-

---

[16] Testimonia Scripturae et Patrum dabimus in thesi.

[17] « Voluit Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos praedestinat, suam repraesentare bonitatem per modum misericordiae parcendo; et quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiae puniendo. Et haec est ratio quare Deus quosdam eligit et quosdam reprobat ». S. THOM. 1 p. q. 23 a. 5 ad 3.

[18] Nam peccator *natura* praestat brutis. Cf. AUG. *De orig. anim.* IV n. 15.

[19] Qui in peccato moritur, non totam vitam in peccato agit, sed opera etiam supernaturalia et salutaria aliquando operatur.

[20] « Propter hoc enim est totus ordo actionis circa nos ut impleatur numerus electorum ». S. THOM. in Hebr. **1**. lect. 6 in fine. Cf. Matth. **24**. 22; 2 Tim. **2**. 10; Hebr. **1**. 14; AUG. *De bono viduit.* n. 28.

[21] V. g. Pater et filius.

[22] V. g. carnifex et martyr.

[23] V. g. confessor et poenitens.

[24] Cf. BILLOT p. 286 sqq.

[25] Cf. Matth. **24**. 24; 31; Marc. **13**. 20; 27; Rom. **8**. 33 coll. CORNELY in *h. l.* p. 459.

[26] Cf. BILLOT p. 275.

ratur, qui non hoc modo in finem diriguntur... : (atqui) separatio non est propter diversitatem inventam in his qui separantur, quae posset (Dei) amorem incitare [27]; quia *antequam nati essent aut aliquid boni egissent aut mali, dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui,* ut dicitur *Rom.* 9. 13 » [28] : ergo. *d)* Omnino inconveniens est electionem adultorum concipere aliter quam electionem parvulorum; sumus enim in eodem praedestinationis ordine : atqui ne Molinistae quidem explicare audent electionem parvulorum *post* praevisa merita : ergo. *e)* Tandem doctrina de electione *post* praevisa merita non juvat finem intentum; quidquid enim contra electionem *ante praevisa merita* opponitur ex universalitate salvificae voluntatis, ex libertate hominis, et ex salutis studio, in sententia Molinistarum explicandum manet quoad gratuitam praeparationem gratiarum efficacium, quibus merita praevisa perficiuntur. Merito ergo S. THOM. dicit praedestinationem « *praesupponere* secundum rationem quod Deus *velit illorum salutem* » [29].

246. **Secunda pars.** *Electio ad gloriam non est penitus independens a meritis.* Nam Deus ad illam gloriam eligit, quam praestituto tempore confert : atqui, testibus **Scriptura** [30] et **Patribus** [31], gloria non confertur uti simplex *donum* sed uti *praemium:* ergo etiam electio ad gloriam est electio ad gloriam conferendam uti praemium; non concipitur autem uti praemium quod sine ordine ad merita apprehenditur. Ceterum si electio ad gloriam esset omnino independens a meritis, vix, aut ne vix quidem, intelligeretur reprobatio *permissiva,* sed *negativam* saltem concedere oporteret.

THES. 26. *Reprobatio — 1 nullo modo pertinet ad voluntatem antecedentem, — 2 sed praevisionem peccati consequitur.*

247. **Prima pars.** *Reprobatio non pertinet ad voluntatem antecedentem negativam.* Nam *a)* si reprobatio positiva universalitati voluntatis salvificae opponitur *contrarie,* negativa opponitur *contradictorie;* sive enim concipiatur ad modum *exclusionis,* sive ad modum *derelictionis* vel *praeteritionis,* numquam verificatur positiva voluntas salvandi praescitos, quod e contra exigit universalitas salvificae voluntatis. Neque juvat derelictionem constituere in praeparatione *mediorum* et non in

---

[27] Rom. **11**. 33; 1 Corinth. **4**. 7.

[28] S. THOM. *De Veritate* q. 6 a. 1.

[29] S. THOM. 1 p. q. 23 a. 4.

[30] Sap. **5**. 16; Matth. **5**. 12; **10**. 42; **25**. 34-45; 1 Corint. **3**. 8; **9**. 24; 2 Tim. **4**. 7-8; Jac. **1**. 12.

[31] Patres tam clare et instanter loquuntur de collatione, imo et de praeparatione gloriae cum respectu ad merita, ut, nisi caute explicentur, haeresim pelagianam docere videantur. Cf. THEOD. HILAR., AMBR., FULG. apud *Pesch* n. 382, ORIG., CHRYS., OECUM., HIER., PROSP. apud *Petav.* IX c. 3 et 16.

electione *finis;* qui enim media necessaria non praeparat, interpretative saltem non vult finem. *b)* Adde *non electionem* in praesenti statu elevationis ad ordinem supernaturalem *re* coincidere cum *positiva condemnatione,* siquidem nunc finis naturalis non datur, nec medium extat inter beatum et damnatum, et pro adultis inter coelum et infernum [32]: quare reprobatio *negativa* a sententia CALVINI differre non intelligitur.

248. **Secunda pars.** *Reprobatio pertinet ad voluntatem consequentem et permissivam tantum.* Est corollarium praecedentis; si enim Deus non reprobat positive neque negative *ante* praevisa peccata, profecto reprobat *post* praevisa peccata, ideoque actu voluntatis consequentis. Revera voluntas *directa* non est nisi de re per se bona: atqui reprobatio non est bona nisi per accidens, scil. reduplicative *uti peccati poena,* quae ante culpam non concipitur: ergo.

249. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Juxta AUG. et S. THOM. eodem modo se habet ordo praedestinationis ac executionis: atqui in ordine executionis gloria retribuitur meritis: ergo etiam praeparatur post praevisa merita [33]. **Resp.** Difficultas confundit *objectum praeparatum* cum *modo praeparationis* de quo unice in praesenti agitur: gloria praeparatur quidem ut *retribuenda meritis* sed praeparatio non causatur *ex praevisione meritorum.* Ad praeparationem spectat *ratio finis,* ad executionem *causa disponens;* docet autem S. THOM. quod contrario modo se habet prioritas et posterioritas in causa finali et in disponente [34].

250. **Objic. 2.** Si gloria caderet sub divina electione *ante* praevisa merita, non praeparetur ut *praemium:* atqui...: ergo. **Resp.** Ut gloria praeparetur in ratione praemii, non est necesse quod prius eligantur merita et dein eligatur gloria, sed sufficit quod eligatur gloria cum respectu ad merita tamquam ad media necessaria pro consecutione finis. Qui transfretare intendit, implicite vult navim, sed *per prius* cogitat et vult finem, ad quem navi perveniendum est.

251. **Objic. 3.** Si Deus diligit ante praevisa merita, non vult salutem eorum quos non praedestinat: atqui...: ergo. **Resp.** Voluntas salvifica universalis est *conditionata;* non pertinet ergo ad quaestionem de praedestinatione et reprobatione, quae cadunt sub voluntate *absoluta.* Licet praescitos Deus minori amore diligat, diligit tamen amore vero quo in aeternam vitam conditionate ordinat, praeparans et conferens eis sufficientia media salutis.

---

[32] Dicimus *pro adultis,* nam parvuli non damnantur ad ignem vel ad aliam poenam positivam.

[33] PESCH 377.

[34] Cf. supra n. 241 not. 5.

252. **Objic. 4.** Si electio non est *independens* a meritis, est *propter* merita, ac proinde non est *ante* praevisionem meritorum : atqui electio est *ante* praevisa merita; ergo est independens ab illis. **Resp.** «Magnum est discrimen inter illa duo : praedestinationem ad gloriam esse *gratuitam* seu fieri ante praevisa merita, et praedestinationem ad gloriam esse decretum dandi gloriam *gratuito* (h. e. independenter a meritis)... : praedestinatio non est decretum ut gloria habeatur gratuito, sed decretum gratuitum eam dandi uti mercedem meritis ex gratia orituris rependendam » [35]. Paucis : merita *simul* cum gloria cadunt sub electione, sed in linea causae finalis non respiciunt gloriam tamquam causam ejus, sed tamquam media ad illam.

253. **Objic. 5.** Qui ad finem aliquos tantum ordinat, ceteros excludit vel praeterit : atqui praescitos Deus non ordinat ad aeternam beatitudinem : ergo. **Resp.** *Excludit* vel *praeterit* si non ordinatio ex solo ordinante pendet, *conc.:* si ratio non ordinationis praecipue pendet a non ordinato, *nego.* Uti saepius diximus, non eadem est ratio praedestinationis et reprobationis; nam finis in *praedestinatione* est bonum *per se,* unde in se ipso, absolute inspectus, est objectum directum voluntatis; in *reprobatione* finis est bonum per accidens tantum, unde non appetitur nisi indirecte locum praebens *permissioni* proprie dictae.

---

[35] LAFOSSE, *De Deo* apud *Jans.* p. 470.

TRACTATUS V.

DE DEO TRINO

IN PERSONIS

254. **Totius tractatus ratio.** Magno humilitatis et timoris affectu tractationem aggredimur de SS. Trinitate, cujus « recta confessio est *ignoratio scientiae* »[1]; « nullo (quippe) sermone, declarari potest ineffabilis profunditas mysterii, quomodo res eadem et numerabilis est et numerum fugit, et cernitur in distinctione et in monade intelligitur, et distinguitur hypostasi et non dirimitur subiecto (h. e. natura) »[2]. Verum, si mysterii altitudo humilitatem praecipit, sciendi desiderium non extinguit; unde AUG. qui nos terret dicens quod « nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur », animum quoque addit subdens quod « nec fructuosius aliquid invenitur »[3]. Porro in mysteriorum enarratione regula est, ut « de *credendis* nulla infidelitate dubitemus, *de intelligendis* nulla temeritate affirmemus : in illis auctoritatem teneamus, in his veritatem exquiramus »[4]. In Trinitatis mysterio duo credenda sunt, scil. *factum* pluralitatis Personarum in unitate naturae, et facti rationem seu divinae *processiones* et consequentes *relationes:* circa factum vix quidquam rationi relinquitur et theologi munus absolvitur demonstratione ex principiis fidei divinitatis, distinctionis et consubstantialitatis Personarum; quod attinet ad modum processionis dogma fidei solet illustrari analogiis cum processionibus naturae. Communem usum secuti, ex fidei objecto tractatum distinguimus in duo capita : *De Trinitate in Unitate,* — 2 *De processionibus et relationibus divinis.*

---

[1] HIER. *Prooem.* ad **18** in Isai.
[2] GREG. Nyss. *Orat. catech.* c. 3.
[3] AUG. *De Trin.* I c. 1 n. 5.
[4] AUG. *l. c.* IX c. 1 n. 1.

CAPUT I.

De Trinitate in Unitate.

255. **Capitis divisio.** Totius Trinitatis mysterii summa, uti ab infantia didicimus, in eo est ut credamus Patrem, Filium et Spiritum S. esse tres personas realiter distinctas, quarum unaquaeque est Deus, quin tamen sint tres Dii, sed unus Deus. Haec doctrina enuntiat divinarum personarum *divinitatem, distinctionem* et *consubstantialitatem,* unde rectus ordo postulat ut, 1 *notionibus* fundamentalibus *praemissis,* agamus — 2 *de inscrutabilitate hujus mysterii,* — 3 *de divinitate personarum,* — 4 deque earum *distinctione* ac — 5 *consubstantialitate,* quibus coronidis gratia articulum addemus — 6 de *Trinitatis professione* ante Conc. Nicaen. ut appareat hoc dogma non solum implicite sed explicite a primis christifidelibus creditum fuisse.

Art. 1 - Notiones praeviae.

256. **Natura, essentia, quidditas.** Hae voces dicunt illam substantiae realitatem, *qua res est id quod est,* seu *qua res constituitur in propria specie* [1]. Essentia (ab *ente*) eam enuntiat in ordine *metaphysico,* et exprimit comprincipium potentiale entis [2], cui, tamquam actus, respondet existentia quae, de se infinita, ab essentia coarctatur ad perfectionem alicujus determinati entis [3]: natura, a *nativitate* dicta [4], realitatem essentiae effert in ordine *physico* et *dynamico,* et formaliter exprimit principium seu radicem

---

[1] V. g. humanitas qua Petrus distinguitur a brutis et ab angelis.

[2] Scholastici ens creatum coalescere dicunt ex duobus partibus (essentia et existentia) quarum una est *potentia* receptiva, altera *actus* respondens. Hujusmodi partes, etsi phantasia apprehendantur quasi duae res (duo *quae* sint), mente intelliguntur ut duo *principia entis* (duo *quibus* unum ens est), quorum unumquodque separatim existere nequit.

[3] Causa *efficiens* limitationis existentiae est divina voluntas quae creavit, sed *fundamentum limitationis* est essentia, siquidem produci nequit existentia major vel minor essentia, in qua recipitur.

[4] Etymologice *natura,* a *nativitate* dicta, est terminus generationis: identificatur vero cum essentia, quia terminus directus generationis non est persona sed quidditas seu essentia rei; homo siquidem generat *hominem.*

potentiarum et consequentium operationum [5]: QUIDDITAS est essentia in ordine *logico*, prout scil. definitione essentiae respondetur quaerenti *quid* res sit [6].

257. **Suppositum, res naturae, hypostasis, subsistentia, subjectum, persona.** Si *naturâ* tota realitas substantiae absolveretur, distinctio personae et naturae non occurreret; sed non omnia, quae pertinent ad ens reale et existens, sunt de ratione naturae; et ideo praeter naturam agnoscitur in rebus SUPPOSITUM quod, quasi *positum sub omnibus* [7], dicit illud omne quo res efficitur *ens in se* seu *incommunicabile* [8]. Quod in *ordine logico* vocatur SUPPOSITUM, in *metaphysico* dicitur RES NATURAE quia ipso natura sic perficitur, ut sit *res* simpliciter seu *hoc aliquid*, et HYPOSTASIS quia est subjectum accidentium: in *ordine physico* vocatur SUBSISTENTIA quia, dum includit *existentiam*, exprimit rem quae *est in se* seu *subsistit:* in *ordine grammaticali* suppositum audit SUBJECTUM quia, exprimens principale de quo cetera enuntiantur, in propositionibus locum subjecti occupat [9]. PERSONA est nomen dignitatis [10],

[5] Scholastici potentiam vocant *principium quo proximum*, naturam *principium quo remotum*, suppositum *principium quod*.

[6] Cum *natura* (*graec.* φύσις juxta etymologiam dicat originem, et a philosophis intelligatur principium motus, GREG. Naz. in ep. ad *Evagr.* negavit Deum esse φύσιν; quia vero *substantia* (graec. οὐσία) dicitur etiam de creaturis, et ab Aristotele vocatur subjectum accidentium, ut simplicitatem Dei, summamque ejus perfectionem exprimeret, idem Greg. hanc quoque vocem in *Or.* 12 removere conatur a Deo, quem ὑπέρουσιαν vocari mallet. PETAV. *De Deo Trino* I c. 1 n. 1 c. 2 n. 1-2.

[7] SUPPOSITUM dici subjectum *cui omnia insunt*, innuit S. THOM. de *Pot.* IX a. 1; alias tamen (1 p. q. 29 a. 2) considerat in ordine logico, quasi subjectum *de quo cetera enuntiantur*.

[8] Quomodo omnia, quibus res fit *ens in se*, spectent ad suppositum, subtiliter disputant philosophi, quorum alii aestimant naturam et cetera suppositum *constituere* seu integrare (S. THOM. *II Dist.* 3 q. 1 a. 1), alii dicunt ad illud pertinere *connotative*, scil. in horum sententia suppositum est natura individua et completa prout dicit transcendentalem ordinem ad *esse* (existentiam) quo existit, vel (secundum aliam opinionem) ad *modum personalitatis* quo fit incommunicabilis.

[9] Alii *subjectum* explicant sensu physico, prout suppositum est *sub* accidentibus quae *sustentat*.

[10] « Quia in comoediis et tragoediis repraesentabantur aliqui homines famosi (ut reges et magnates dignitate excellentes), impositum est hoc nomen, *persona*, ad significandum aliquos dignitatem habentes. Unde consueverunt dici *personae* in Ecclesiis, quae habent aliquam dignitatem... Et quia magnae dignitatis est *in rationali natura* subsistere, ideo omne individuum rationalis naturae dicitur *persona* ». S. THOM. 1 p. q. 29 a. 3 ad 2.

et dicitur de supposito rationali, quia in ipso independentia et distinctio magis elucet, prout sua libertate eligit finem et modum suae operationis [11].

258. **Definitio personae.** Cum persona sit suppositum naturae rationalis, et suppositum substantia completa incommunicabilis, persona definitur cum BOËTIO: *Rationalis naturae individua substantia* [12]. Dicitur *substantia,* quia includit naturam: dicitur *individua,* quia superaddit naturae omnia quibus ipsa fit subsistens in se a quolibet alio contradistincta [13]. Porro « huic strictae rationi individui triplex *communicabilitas* repugnat: communitas *partis,* ut in anima separata; communitas *assumptibilis,* ut in humanitate Christi; communitas *numericae identitatis* cum pluribus distinctis subsistentibus, ut in natura divina [14]. Sola igitur substantia singularis cui nulla ex his communicabilitas manet, dici potest simpliciter et sine addito *substantia individua,* eidemque soli, utpote ultimo attributionis subiecto, *suppositi* nomen competere potest et ratio » [15]. Adduntur verba *rationalis naturae* ut distinguatur persona a simplici supposito. — Definitioni Boëtii consonat alia S. THOMAE: *Persona est distinctum subsistens in natura intellectuali* [16]: cum enim persona dicitur *subsistens,* affirmatur realitas substantiae concretae, quae in sua natura et non in alia existit; unde excluditur communicabilitas universalitatis et assumptibilis: cum dicitur subsistens *in natura,* affirmatur perfectio naturae, quae existentia subsistit; unde excluditur communicabilitas partis: cum dicitur *distinctum* subsistens, affirmatur omnimoda individuatio, quae excludit communicabilitatem numericae identitatis: cum dicitur in *natura intellectuali* signatur specialis excellentia personae, prout a supposito contradistinguitur.

---

[11] Qui plura cupit de *natura* et *persona* adeat S. THOM. 1. p. q. 29 per totum; SYLV. MAUR. *Quaest. Philos.* II q. 13 ubi tamen sunt quaedam improbanda; BILLOT p. 422 sqq.; JANSSENS III p. 276 sqq.; TIL. PESCH *Inst. Logic.* n. 1470 sqq.; SCHIFFINI *Princ. Philos.* n. 531.

[12] BOËT. *De duab. nat.* c. 2.

[13] *Individuum* etymologice dicit *indivisum in se et divisum* (seu distinctum) *a quolibet alio.*

[14] Datur etiam communitas *universalitatis* quae competit naturae abstractae; sed hic omittur quia in definitione Boëtii *substantia* sumitur pro *substantia prima* seu concreta, quae ab universali contradistinguitur. S. THOM. 1 p. q. 29 a. 1 ad 2.

[15] BILLOT p. 423.

[16] S. THOM. *III Dist.* 5 q. 1 a. 3.

259. **Aliter persona individuatur in Deo et in creaturis.** In creaturis ultimum complementum substantiae quo natura fit incommunicabilis consistit in aliqua realitate absoluta [17], sed in Deo naturae nil ordinis absoluti potest addi, quippe quae simplicissima est et infinita [18]; persona ergo in Deo formaliter consistit in relatione, ac proinde divina Persona definitur: *Distinctum relatione* (paternitatis, filiationis, spirationis passivae) *subsistens in divina natura;* vel *relatio* (paternitas, filiatio, spiratio passiva) *subsistens in divina natura* [19].

260. **Voces ESSENTIA, HYPOSTASIS et PERSONA non eodem semper sensu in Ecclesia sunt acceptae.** Definitiones *essentiae* (seu naturae) et *personae* (seu hypostasis) quas dedimus, sensum exhibent quem voces a saec. 4 in Ecclesia habent, fateri tamen oportet primis saeculis non solum apud profanos, sed etiam apud aliquos Patres, alium habuisse [20]. Cum enim philosophi pagani πρώτην οὐσιαν (essentiam primam h. e. substantiam cum notis individuantibus) aestimarent incommunicabilem, et consequenter vocarent ὑποστασιν [21], vocibus in usum sacrum receptis [22], non minus in Scriptura [23] quam apud Patres [24] *hypostasis* aliquando sensum habuit substantiae concretae, a persona adhuc contradistinctae [25]. Similis confusio contigit in voce *personae*. Cum enim πρόσωπον (persona) a fictione comoediarum sit deducta [26], nonnumquam de

---

[17] In quo proprie haec realitas sit constituenda, ut videbimus in tr. de *Verbo Inc.*, disputant theologi: quidam constituunt in *defectu ulterioris perfectionis* qua natura a nobiliori persona assumitur (SCOTUS - TIPHANIUS - FRANZELIN), alii in *modo* quodam *substantiali,* quem vocant subsistentiam (SUAREZ - CAJETANUS), alii in *existentia* quae, dum recipitur in essentia, absolvit perfectibilitatem ejus et omnino incommunicabilem facit (BILLOT).

[18] Si persona adderet naturae perfectionem, haec cum illa in compositionem veniret, et unicuique divinae Personae deesset perfectio qua aliae constituerentur.

[19] S. THOM. 1 p. q. 29 a. 4; *I Dist.* 23 q. unic. a. 3; FRANZ. *De Deo Trin.* thes. 24 p. 372 sqq.; BILLOT p. 430 sqq.; JANSSENS III p. 291 sqq.

[20] Cf. SOCRAT. *H. E.* V c. 5; HIER. *ep.* 15 *ad Dam.;* PETAV. *De Trin.* IV c. 1 et 2; HERGENR. I 313; FRANZ. *De Deo Trin.* p. 130 sqq.; BILLOT p. 426 in not.

[21] Cf. PETAV. et FRANZ *l. c.*

[22] Cf. Vol. I n. 69.

[23] Hebr. **1**. 3. Nomen *substantiae* graec. est *ὑποστάσεως*. Cf. PADOVANI in *h. l.*

[24] ORIG., IREN., DAMAS., ATHAN., CONC. NICAEN., ROM. sub Damaso, etc. apud *Petav.* l. c. IV c. 1 n. 4 sqq.

[25] Hoc sensu Patres in Deo ponebant *tres personas* et *unam hypostasim,* damnantes arianos quia differentes hypostases praedicabant (Apud PETAV. *l. c.*). Hac eadem ratione CYRIL. Alex. *Schol. de incarn.* c. 11 docuit in Christo *duas hypostases impermixtas.*

[26] Supra not. 10.

mera apparentia est intellecta a Patribus et reprobata cum de subsistenti realitate agebatur [27].

261. **Dogmatis historia.** « Uti sol exortu suo lumen terris afferens, non eo ipso, quo oritur, puncto plenum ac perfectum efficit diem, sed quibusdam illuminandi gradibus et incrementis attolitur : sic Dei divinarumque rerum cognitio non se tota repente humanis permisit ingeniis, sed paullatim pro captu temporum explicata, novis accessionibus pervenit ad summum » [28]. In **V. T.** populo Israël [29], idololatriae summe addicto [30], Trinitatis dogma non est clare propositum, adumbratum tamen est quoad Personarum distinctionem in creatione hominis [31], quoad earum consubstantialitatem in theophania Abrahae et Isaiae [32], et quoad generationem Filii [33] et processionem Spiritus S. [34] in Psalmis et Prophetis [35]. — In **N. T.,** cum, *praevaricatione consummata,* polytheismi occasio cessavit [36], Deus in Filio nobis loquens, aperte hoc dogma enuntiavit, nec solum *nomina* Trium Personarum earumque *divinitatem, consubstantialitatem* et *distinctionem* docuit, sed *processionis modum* enarravit [37]. **(Saec. 1-2).** Christi doctrinam praedicarunt Apo-

---

[27] Hinc ad Sabellianorum errorem excludendum Patres graeci (BASIL., GREG. Naz. etc. apud *Petav.* De Trin. IV. c. 2 n. 5 sqq.) cum AUG. *De Trin.* VII n. 9 ponebant in Deo « tres *substantias* unam essentiam » ; et dum praedicabant Personarum *consubstantialitatem* nolebant vocem *μονοούσιον (unius substantiae).* ATHAN. *Exp. fidei.*

[28] PETAV. *De Trinit.* II c. 7.

[29] Dicimus *populo* Israël, quia probabiliter *prophetae* sat claram notitiam huius mysterii habuerunt. C. MAZZELLA *De Virt.* n. 483, 502.

[30] Hac eadem de causa Deus populo Israël vetuit imagines divinitatis, occultavit corpus Moysis, et de futura vita mortuorumque cultu pauca tantum innuit.

[31] *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Gen. **1.** 26 ; **3.** 22 ; **11.** 7.

[32] Gen. **18-9**, *tres* angeli apparent, singillatim vocantur *Jahve* et *unus* adoratur. Isai. **6.** 3 audivit angelum ad angelum clamantem : *Sanctus, sanctus, sanctus* (trinitas) *Jahve, Deus exercituum* (unitas). Cf. etiam trinam benedictionem Dei Num. **6.** 24-6.

[33] *Dixit Dominus ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ps. **2.** 7 et **44.** 7 coll. ad Hebr. **1.** 5 et 8 ; Ps. **109.** 1 sqq. coll. Matth. **22.** 43 sqq. ; Isai. **7.** 14 ; **9.** 6 ; **35.** 4 ; 49 ; **40.** 3 ; 10 ; **52.** 6-7 ; Mich. **5.** 2 ; Prov. **8.** 22 sqq. ubi *Sapientia* subsistens est Unigenitus Patris. Cf. S. THOM. *Cg.* IV c. 11.

[34] *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Ioël **2.** 28 coll. Act. **2.** 16 sqq. ; Job **33.** 4 ; Sap. **1.** 6 ; Ps. **103.** 30 ; Isai. **9.** 17 ; **11.** 2 ; **61.** 1.

[35] Hoc saepe testantur PATRES contra Arianos, Sabellianos et Macedonianos. Cf. PETAV. II. c. 7 ; FRANZ. p. 97 sqq. ; BILLOT p. 452 sqq. ; PESCH n. 468 sqq.

[36] Dan. **9.** 24.

[37] Testimonia dabimus in thesibus.

stoli [38], sed statim *prodierunt ex nobis,* qui *non erant ex nobis* [39]. Sicut enim Judaei alexandrini ad graecorum aversionem imminuendam, auctoribus Aristobolo, Philone et Essenis, V. T. allegoricis expositionibus ad philosophorum placita aptare conati erant, ita christiani quidam *decepti per philosophiam et inanem fallaciam... secundum elementa mundi* [40] doctrinam fidei exponere tentarunt. Nonnulli ex JUDAEIS hellenistis Christum dixerunt prophetam angelis inferiorem [41], CERINTHUS, unitate personae in Christo negata, nobiliorem ejus partem praedicavit eonem, qui in baptismate super Filium Mariae et Joseph descendit inde avolans tempore passionis [42]. Spiritus S. divinitatem impetiti sunt EBIONITAE, dicentes partem foemineam Christi [43]. Platonicam divinitatis evolutionem, ab Alexandrinis interminabili eonum genealogiis amplificatam, in fidei fines obtruderunt GNOSTICI, qui verbo tenus Trinitatem agnoverunt in principiis mundi, sed Personarum distinctionem [44] vel aequalitatem negarunt [45]. — PATRES, etsi lege arcani [46] detinerentur a publica professione hujus mysterii [47], non solum testimonia reliquerunt de divinitate Filii et Spiritus S., [48] sed cum unitate Dei [49] trinitatem Personarum clarissime confessi sunt [50], ipsumque no-

---

[38] Simultaneam trium Personarum commemorationem invenies 1 Corinth. **2.** 12-6; **12.** 4-7; 2ª **2.** 13; 1 Petr. **1.** 2.

[39] 1 Joan. **2.** 19.

[40] Colos. **2.** 8.

[41] HERGENR. *St. Un. d. Chiesa* I p. 137.

[42] HERGENR. I p. 138-9.

[43] HERGENR. I p. 180-2.

[44] SIMONIANI apud *Hergenr.* I p. 190.

[45] SATURNILUS, OPHITAE, BASIL., IUST. PHIL., VALENT. apud *Hergenr.* I p. 188-223. GNOSTICI ab *Epiph.* haer. 51 dicuntur ALOGI seu irrationales, quia negabant Λόγον *(Verbum).*

[46] Hanc arcani disciplinam negant *Modernistae,* sed fundatur in Evang. (Matth. **7.** 6) et testantur ATHEN. *Leg. pro chr.* c. 34; CLEM. Alex. (apud *Lumper* Hist. Cr. IV p. 425-440); ORIG. *C. Cels.* 1. 7 sq.; III. 32 VI. 6; VIII. 56; in *Rom.* V. n. 8; in *Lev.* hom. 9 n. 10; hom. 13 n. 3; in *Exod.* hom. 8 n. 4; TERT. *De Praesc.* c. 41; *Apol.* c. 7; ad *Uxor.* II c. 5; THEOD. in *Num.* inter. 16; CYRIL. Hier. *Post Procat.;* CHRYS. in 1 *Corinth.* hom. 40 n. 1; INNOC. I *Epist.* 25 n. 6; AUG. *Serm.* 132 n. 1 et alias saepe. Cf. HERGENR. I p. 381; PESCH *De Euch.* n. 91; BILLOT *De Sacr.* I p. 356 sqq.

[47] E libris saec. 1-3 fere tantum supersunt opera apologetica contra paganos; volumina enim contra Gnosticos (si excipiatur opus IREN. *Adv. haer.*) interiere. Cf. HERGENR. I p. 173, 252.

[48] Testimonia dabimus infra.

[49] Supra n. 146.

[50] CLEM. Rom. (apud *Basil.* De Spir. S. c. 29 n. 72) confitetur vitam Patris et Dei J. C. et Spiritus S.; IGNAT. M. *ad Magn.* 13 comparat Trinitati gradus hierarchicos; ATHEN. *Leg. pro Chr.* c. 10 ab atheismi labe purgat Christianos, quia agnoscunt Patrem, Filium et Spiritum S.; similia habet JUST. M. *Apol.* I n. 6 qui n. 59 sqq. alludit ad formam baptismi, et analogiam Trinitatis invenit in triade Platonis.

men *Triadis* et *Trinitatis* adhibuerunt [51]. Nondum tamen doctrina de modo processionis erat clare proposita, et quidam cum JUST. M. sic de generatione Verbi locuti sunt, ut ad externam missionem seu ad theophanias coarctare videantur, alii vero de Spiritu S. tam obscure dixerunt ut ejus distinctio a Filio non appareat [52]. — **(Saec. 3).** Tertio saeculo NEOPLATONICI, ut ethnicae religioni novam vitam infunderent et christianismum impetirent, allegoricis mythologiae explicationibus, monotheismum in polytheismo invenerunt, et eclecticismo religioso idololatriae consonantiam cum philosophia Platonis probare conati sunt [53]. Ut ab eorum impugnationibus se expedirent, plures e catholicis hellenicam philosophiam christianam reddere voluerunt, sed infelici exitu. SCHOLA ALEXANDRINA allegoricis Scripturae expositionibus nimis indulsit, et ORIGENES, ceteroquin vir eruditissimus, plurimos errores docuit [54]. Aliquid gravius contigit Romae, ubi de Trinitate inter SUBORDINATIANOS et PATRIPASSIANOS grave exarsit bellum [55]: illi, auctoribus duobus THEODOTIS et ARTEMONE, divinas Personas distinguebant, sed Filii et Spiritus S. consubstantialitatem cum Patre negabant [56]; hi, ducibus PRAXEA, NOËTO, EPIGONO, CLEONTHE et SABELLIO, divinitatem Personarum confitebantur, sed distinctionem connotativam tantum, seu respectu habito ad manifestationes divinitatis, ponebant [57]. — Catholica fides de Trinitate hoc tempore patronos habuit ORIG., TERTUL.,

---

[51] Patrem, Filium et Spiritum S. *triadis* nomine exprimunt THEOPH. *ad Autol.* III n. 15, ORIG. in *Ps.* **137** n. 3: *Trinitas* saepe occurrit in TERT. *Adv. Prax.* c. 3, 4, 12; *De Pudic.* c. 21.

[52] HERGENR. *St. Un. d. Ch.* I p. 254-6.

[53] Neoplatonismum proposuit AMMONIUS quem secuti sunt PLOTINUS et PORPHYRIUS. Cf. HERGENR. I p. 298-301.

[54] HERGENR. I p. 303, 316-23.

[55] SUBORDINATIANI inde nomen habuerunt quod Filium et Spiritum S. *subditos* Patris facerent: PATRIPASSIANI sic sunt vocati quia Patrem incarnatum et passum dicebant: SUBORDINATIANI dicti sunt etiam *Antitrinitarii,* PATRIPASSIANI vero *Monarchici* (h. e. docentes unum principium), *Modalistae* (h. e. modalem et non realem distinctionem Personarum confitentes), *Noëtiani* et *Sabelliani* (a praecipuis haereseos patronis).

[56] HERGENR. p. 306-7.

[57] HERGENR. p. 308-10. Modalistarum haeresis praeformata a SIMONIANIS, qui Filium dicebant *virtutem Patris* prout apparuit Moysi (JUST. M. *Dial. c. Tryph.* n. 128; HERGENR. p. 190), patronos habuit etiam MONTANISTAS (apud *Hergenr.* p. 231) et serius M. SERVETUM, SOCINIANOS, UNITARIOS et SWEDENBORGIANOS, quibus Deus est Pater ut *creator,* Filius ut *redemptor,* Spiritus S. ut *sanctificator.* Accesserunt KANT Deum dicentem Patrem ut *creatorem* et *legislatorem,* Filium ut *gubernatorem,* Spiritum S. ut *judicem* (TANQUEREY *De Deo Trino* n. 21 sqq.), et ROSMINI trinitatem explicantem forma *reali, ideali* et *morali* ejusdem divinae substantiae (DECR. *Post Obit.* pr. 26).

CALLIXTUS et dein CYPR. et DIONY. Rom. : contra *Patripassianos* fortiter dimicarunt HIPPOLYT. in occidente et DIONYS. Alex. in oriente, sed ille verbis saltem in oppositum errorem defluxit [58] et schisma excitavit [59], hic a subordinatianismi labe apud R. P. se expurgare debuit [60]. — **(Saec. 4).** Hucusque dogma SS. Trinitatis ex funesto platonicae philosophiae influxu inimicos invenerat, sed sub initio hujus saec. impugnari coepit fontibus revelationis et maxime Scriptura. Praeeuntibus PAULO Samos. [61] et LUCIANO, ARIUS *divinitatem* Verbi aggressus est quasi deorum pluralitatem induceret, et quia in Scripturis Christus dicitur inferior Patri et creatura [62], unde concludebat esse quid medium inter Deum et mundum qui per ipsum (Verbum) factus est [63], ceteris quidem creaturis perfectius, sed infinite distans a Patre, a quo cum in tempore processerit, per catacresim tantum Filium Dei potest vocari. Arius patronos nactus est duos EUSEB. Caes. et Nicom. et sectatores habuit URSAC., VALENT., AËTIUM, EUNOM., ACACIUM, THEOD., THEOGN. quorum opera in synodis *Tyri* (335), *Anthiochiae* (341), *Philippopolis* (343), *Anthiochiae* (344), *Sirmii, Berriers* (356), *Sirmii* (357) catholica veritas est oppressa [64]. SEMIARIANI Filium Dei creaturam dicere non audentes, mediam viam ingressi sunt et *consubstantialem* (ὁμοούσιον) cum Patre negantes; *similem* (ὁμοιούσιον) affirmarunt. SEMIARIANISMI coryphaei fuerunt BASIL. Ancyr. GEORG. Laodic., THEOD. Heracl., AUXEN. Mediol., qui primas partes habuerunt in synodis *Sirmii* et *Ancyrae* (358), *Arimini* et *Seleuciae* (359), *Cp.* (360), *Nicomediae* (366) et *Cariae* (378). — Contra Arianos et Semiarianos strenue dimicarunt omnes Patres hujus aetatis, celebratissimi autem sunt PETRUS et ALEX. Alex., ATHAN., LI-

---

[58] Cum saec. 3 voces *hypostasis, natura* et *persona* nondum communem sensum haberent (supra n. 260) verba HIPPOL. in catholicum sensum sunt trahenda, maxime quia polemice contra Patripassianos scribebat. HERGENR. I p. 313.

[59] HIPPOL. cogere volebat Callixtum ad damnandum Patripassianos, sed Callixtus alterius factionis periculum timens noluit : hinc defectio Hippol., qui romanum pontificatum usurpavit. Sub Pontiano tamen ad unitatem Ecclesiae rediit et martyr occubuit.

[60] HERGENR. I p. 364-5.

[61] PAULUS SAMOSATENUS negavit divinitatem *Christi,* at error non respiciebat proprie naturam Verbi, sed potius hypostaticam unionem, siquidem, ut dein Nestorius, unitatem Personae in Christo non agnovit. HERGENR. I p. 370-1.

[62] Eadem argumenta adduxerat *P. Samos.* apud HERGENR. *l. c.* p. 371.

[63] Ex Platonicorum philosophia Deum concipiebat a mundo sejunctum, atque ideo *medio* (h. e. Verbo) egentem ad res mundanas efficiendas.

[64] ARIANI puri vocati sunt *Anomei,* quia dissimilem (*ανόμοιον*) faciebant Filium a Patre.

BERIUS, HOSIUS [65], EPHREM, DAMASUS, BASIL. Caes., GREG. Nyss., GREG. Naz., DIONYS. Mediol., AMBR., AUG., etc. Arianismus damnatus in Syn. *Alex.* (320), solemniter est proscriptus in conc. oecum. *Nicaen.* (325) [66]: et in syn. *Sardic.* (343-4): semiarianismus proscriptus in syn. *Paris.* (360-1) et *Alex.* (362) [67], damnatus est a R. P. DAMASO in Conc. *Rom.* (367), quo arianismi causa et finita plurimis semiarianis ad unitatem Ecclesiae redeuntibus [68]. — *Divinitas Spiritus S.* a semiarianis MACEDONIO ep. Cp. et MARATONIO ep. Nicom. inde (maxime in syn. Zelae) est impugnata quod processio Tertiae Personae contradicere videbatur unitati principii et singularitati Unigeniti Patris, unde Spiritum S. dixerunt *ministrum* Patris et Filii, *creaturamque* ceteris perfectiorem [69]. — Veram doctrinam post ATHAN. illustrarunt BASIL. Caes., CYR. Hier. [70], AMPHIL., DAM., AMBR. et EPIPH.; *Pneumatomachi* vero [71] proscripti in syn. *Alex.* (362), damnati sunt in conc. *Rom.* (369, 374, 380), *Illyr.* (375), *Icon.* (376) et in *Cp.* I (381), cujus canones dogmatici

---

[65] HOSIUS et LIBERIUS de semiarianismo sunt accusati quasi subscripserint formulae Sirmiensi, sed non est certum, et si fecerunt, non secus ac plurimi e Patribus synodi Ariminensis tertiam aequivocam formam sensu catholico interpretarunt. HERGENR. II p. 68-9; JUNGMANN Diss. VI n. 55 sqq.; SAVIO, *Studi su Papa Liberio.*

[66] In CONC. NICAEN. divinitas Filii est proposita voce ὁμοούσιος (*consubstantialis* Patri). Obstabant Ariani, quia in Scripturis vox non continetur, sed ATHAN. (*Epist. ad ep. Libiae et Aegypti* c. 3) respondit aequivalenter inveniri, esse autem necessariam ad praecludendam viam effugiis arianorum.

[67] In hac synodo disputatio exarsit inter Patres orientales et occidentales: ORIENTALES cum Meletio solam distinctionem *Personarum* insufficientem habebant ad haeresim Sabellii vitandam, unde dicebant esse in Deo *tres hypostases* et *unam essentiam:* OCCIDENTALES cum Paulino antiocheno, scientes arianos vocem οὐσίαν explicare de generica ratione substantiae, communi Deo et creaturis, ut identitatem substantiae individuae et concretae defenderent, docebant esse in Deo *tres personas* et *unam hyspostasim.* Verum quod « fidei videbatur diversitas, erat de sono vocis altercatio » (GREG. Naz. *Or.* 21. n. 35), unde vocum explicatione lis est composita ab Athanasio, formula dein fere ab omnibus recepta *trium personarum* et *unius essentiae* seu *naturae.* FRANZ. p. 130-3; HERGENR. II p. 74.

[68] Commemorandi essent ACACIANI, medii inter Arianos et Semiarianos docentes Personarum *similitudinem* in *voluntate* et non in *essentia;* sed merito cum Arianis connumerantur quia Verbum faciebant *creaturam;* unde, cum Semiariani ad catholicos transierunt, ipsi ad Arianos accesserunt. HERGEN. II p. 71 sqq.

[69] HERGENR. II p. 82; JANSSENS III p. 64, 583.

[70] CYR. Hier. prius fuerat Semiarianus.

[71] MACEDONIANI vocati sunt *Pneumatomachi,* quia Spiritus S. erant inimici.

(1 et 2) pro oecumenica definitione sunt recepti [72]. — **(Saec. 6-7).** Usque ad finem saec. 5 dogma SS. Trinitatis lites excitaverat ratione Trinitatis Personarum, sed inimicos habere debebat etiam ex parte unitatis naturae. Cum enim catholici opponerent Monophysitis confusionem naturae cum persona [73] trinitatem substantiae in Deo inducere, J. ASCOSNAGES et J. PHILIPONUS id ultro concesserunt, et sic apparuit TRITHEISMUS Patrem Filium et Spiritum S. dicens tres naturas quae moraliter vocantur unus Deus; non secus ac multitudo hominum dicitur unus populus [74]. Hunc errorem renovarunt saec. 11 et 12 ROSCELINUS, ABBAS JOACHIM. et GIL. PORRETANUS [75] contra quos pugnarunt ANSELMUS, P. LOMBARDUS et BERNARDUS [76]. Tritheismus proscriptus in synod. *Paris.* (1147) et *Rhem.* (1148), damnatus est in *Conc. Lat.* IV (1215) [77]. — **(Saec. 8-9).** Soluta quaestione de unitate in Trinitate, altera manebat de modo processionis. Revera *Conc. Cp.* docuerat originem Spiritus S. a Patre, sed nihil dixerat de ejus processione a Filio [78]; quia tamen haec manifeste continebatur in Scriptura et Traditione, Hispani in *Conc. Tol. III* (589) vocem *Filioque* addiderunt Symbolo. RR. PP. ad lites vitandas additionem non approbarunt, sed in syn. *Aquil.* (796) et *Aquisg.* (809) confirmata est, et paullatim in toto occidente est recepta [79], reluctantibus graecis qui formam *Con. Cp. I* mutare nolue-

---

[72] CONC. CP. I non fuit oecum. convocatione neque celebratione; canones tamen dogmatici ab universa Ecclesia sunt recepti. HERGENR. II p. 87.

[73] Error MONOPHYSITARUM et TRITHEISTARUM fundabatur in errore phylosophico de *substantia individua* quam philosophi ethnici reputabant suppositum: illi ex definitione data contra *Nestorium* de unitate personae in Christo unam naturam in ipso affirmabant; hi ex divinarum personarum distinctione definita contra *Sabellium* ponebant in Deo trinitatem substantiarum.

[74] HERGENR. II p. 365; JANSSENS III p. 17-8; CONC. LAT. IV.

[75] PORRETANUS realem distinctionem inducens inter naturam et personam *quaternitatem* posuit in Deo.

[76] JANSSENS *l. c.*

[77] TRITHEISMI errorem renovavit GÜNTHER unitatem Dei constituens in harmonica conspiratione trium substantiarum, et SCHELL processiones divinas explicans causalitate. Cf. Janssens III p. 19 et 420 sqq.

[78] Cf. JUNGMANN Diss. VI n. 45-6. Nec mirum ut enim notat Franz. th. 35 p. 487, « usque ad medium saec. IV oppugnatio ex parte haereticorum, et propterea etiam defensio, industrior expositio et instantior praedicatio Ecclesiae catholicae circa mysterium SS. Trinitatis ita habebatur, ut fere restricta videretur ad personam Patris et Filii; de persona autem Spiritus S. simplex fides secundum doctrinam Scripturae et traditionis apostolicae in Ecclesia obtineret absque directa controversia, et ideo etiam absque subtilioribus explicationibus ».

[79] HERGENR. III p 182-6.

runt [80], et maxime PHOTIO qui de errore Occidentales damnare non est veritus [81]. Quaestio, suis jam terminis proposita, solvenda erat, et in *Lugd. II* (1274) prius, dein in *Florent.* (1439) definitum est Spiritum S. procedere ex Patre et Filio « tamquam ab uno principio et unica spiratione » [82]. — **(Saec. 16-20).** Saeculis insequentibus dogma Trinitatis ex rationalismi principiis est impugnatum. RATIONALISTARUM agmen aperuerunt SOCINIANI rejicientes hoc dogma quasi contrarium rationi [83]; secuti sunt TELLET, WEGSCHEIDER, SCHLEIERMACHER aliosque usque ad HARNACK et SEBATIER omnem supernaturalem ordinem respuentes [84]. SEMIRATIONALISTAE Trinitatem non negarunt, sed humanae rationis lumine demonstrabilem contenderunt [85], processiones vero actionibus creatis comparantes, consubstantialitatem Personarum corruperunt [86]. Sequuntur MODERNISTAE [87] qui ex evolutionismi principiis dixerunt dogma SS. Trinitatis Paulo ipso fuisse ignotum, et ex Gnosticismo ac Hellenismo paullatim prodiisse [88]. Rationalistae et Semirationalistae damnati sunt in Conc. *Vatic.* et a *Greg. XI, Pio IX, Leone XIII,* Modernistae a *Pio X* [89].

---

[80] Substantia doctrinae a graecis non impugnabatur, sed forma non placebat, malebant enim dicere *a Patre per Filium,* ut Filii origo a Patre insinuaretur. Inter ipsos graecos tamen non defuerunt qui latinam dictionem adhibentes dixerunt Spiritum S. esse *ex Patre et Filio* vel *ex ambobus.* Cf. JANSSENS III p. 582. Vide infra n. 305 not. 97.

[81] PHOTIUS prius latinos improbavit littera quadam encyc. relata a *Baron.* a. 863 n. 33 sqq., dein canonibus act. 6-7, qui ab eo additi sunt Oecum. VIII jam expleto. Cf. JUNGMANN Diss. XIII n. 58-60, 123-4.

[82] JUNGM. Diss. XVIII n. 119; XXXV n. 45; HERGENR. V p. 275-6.

[83] C. VASCOTTI *Inst. H. E.* II p. 356-7.

[84] Cf. vol. I n. 65.

[85] Ex antiquis citantur P. ABELARD. (1142), RICAR. a. S. VICT. (1173), RAIM. LULL. (1314); ex modernis MASTROFINIUS, GÜNTER, FROSCHAMMER, ROSMINI, SCHËLL.

[86] Systemata *R. Lull., M. Mastrofinii, Günther* et *Rosmini* referuntur a JANSSENS III p. 380-93; errores *Schëll* ab eodem p. 417-26 impugnantur.

[87] Modernistarum coryphaei habentur TYRRELL, LOISY, TURMEL (qui assumpserat pseunomina *Dupin* et *Herzog*), LE ROY, HOUTIN, ANON. (auct. *Il Progr.*) de quibus cf. Vol. I n. 19 et 497; *Scuola Catt.* Gen. 1909.

[88] Evolutionem dogmatis trinitarii a Modernistis propositam exposuimus Vol. 1 n. 497; sententiam TURMEL videbis in *Scuola catt.* gen. 1909.

[89] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 4, § 4 cn. 1; GREG. XI (1376) pr. 69 *R. Lulli;* PIUS IX *Litt. ad ep. Wrat.;* LEO X Decr. *Post obitum* pr. 25; PIUS X Decr. *Lament.* et encyc. *Pascendi.*

Art. 2 - De inscrutabilitate mysterii SS. Trinitatis.

262. **SS. Trinitatis symbola et imagines.** Etsi mysteriorum fidei ratio neque essentiam neque existentiam demonstrare valeat, tamen revelatione facta, quasi « radici jam positae, ostendit congruere consequentes effectus » [1]: hoc sensu Trinitatis vestigia [2] et similitudines assignantur [3]. Revera *a)* OMNE ENS est effectus *potentiae, sapientiae, bonitatis,* est *unum, verum* et *bonum,* est *in numero pondere* et *mensura,* est secundum *modum, speciem* et *ordinem: b)* MUNDUS constat *corporibus, spiritibus,* et *compositis ex utrisque: c)* MATERIA *trina dimensione* continetur et in triplex regnum *minerale, vegetale* et *animale* distinguitur: *d)* PLANTA, FLUMEN, SOL trinitatis imaginem exhibent, et similiter TRIANGULUM trinitate linearum in unitate figurae [4], ac LUX triplici suo fundamentali colore [5]: *e)* ANIMA nostra multiplicem Trinitatis imaginem praesefert, siquidem *est, vivit,* et *sapit;* habet *memoriam, intellectum* et *voluntatem;* corpus *vivificat, movet* et *gubernat* [6]; intellectu generat *verbum* et voluntate producit *amorem,* sicut a Patre intellectione generatur Filius, a Patre et Filio amore spiratur Spiritus S. [7].

---

[1] S. Thom. 1 p. q. 32 a. 1 ad 2.

[2] C. Mazzel. *De Deo Crea. n.* 141-53.

[3] Cave ne similitudines ultra debitum premas; non enim similitudines forent, sed veritates vel perfectae imagines. Hinc Patres aliquas similitudines, ceteroquin non penitus ineptas (ut v. g. *solis*) reprobarunt, quia haeretici analogiam urgentes sensum falsum depromebant. Just. M., Cyril. Alex. et Max. Taur. apud *Hergenr.* I p. 256 in nota, *Janssens* III p. 397-8.

[4] « Tertius a *radice, fructus* ex *frutice,* tertius a *fonte, rivus* ex *flumine,* et tertius a *sole, apex* ex *radio* » Tertul. *Adv. Prax.* c. 8. In sole, ab Athen. (*Leg. pro chr.* c. 8 n. 9) jam adhibito pro symbolo Trinitatis, alii distinguunt *substantiam, lucem* et *calorem* vel *lumen, calorem* et *motum.* Symbolum *trianguli* apparet in antiqua pictura et sculptura. R. Majocchi ex De- Rossi in *Scuol. Cat.* Luglio 1895 p. 602.

[5] Dante Alig. *Paradiso* cant. 33 v. 115 sqq. Exemplum tamen fundatur in falso supposito.

[6] Ambr. *De dign. cond. hum.* c. 2 et 3.

[7] « Cum increata Trinitas distinguatur secundum processionem Verbi a dicente et Amoris ab utroque, inquantum invenitur processus verbi secundum intellectum et processio amoris secundum voluntatem, anima potest dici imago Trinitatis increatae... In aliis autem creaturis apparet quoddam vestigium, quod haec inveniantur in causa producente. Nam hoc ipsum quod creatura habet substantiam modificatam et finitam, demonstrat quod sit a quodam *Principio.* Species vero ejus demonstrat *Verbum* facientis, sicut forma domus demonstrat conceptionem artificis. Ordo vero demonstrat *Amorem* producentis, quo effectus ordinatur ad bonum, sicut usus aedificii demonstrat artificis voluntatem ». S. Thom. 1 p. q. 93 a. 6; *Cg.* IV c. 11 et 26: Aug. *De Trinit.* IX c. 12; XI c. 11; etc.

263. **Errores — Veritas.** Inscrutabilitatem dogmatis SS. Trinitatis negant imprimis RATIONALISTAE et MODERNISTAE dicentes evolutione deductum a philosophia hellenica et orientalibus religionibus, dein vero SEMIRATIONALISTAE aestimantes scientiarum progressu aliquando in se cognitum iri [8]. **Veritas.** Inscrutabilitas mysterii SS. Trinitatis, etsi nondum expresse sit definita [9], proxima saltem fidei dicenda est, utpote contenta in definitione CONC. VATIC. « S. q. d., in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri... ; a. s. » [10]; si quae enim sunt mysteria, praecipuum sane est unitas divinae Trinitatis.

THES. 27. *Trinitatis dogma — 1 ex graeca philosophia vel orientalibus religionibus non est evolutum, sed — 2 verum fidei mysterium, revelatione tantum innotescere potuit.*

264. **Prima pars.** *Dogma SS. Trinitatis non debetur naturali evolutioni philosophiae graecae et orientalium religionum.* Nam huic naturali evolutioni dogmatis obstat *logica, historia* et *comparatio doctrinae*. Obstat LOGICA quia sola consonantia doctrinae, dependentiae judicium non justificat; Mosaica quippe revelatio praecessit Platonem et volumina sacra orientalium religionum, quae extant, perantiqua non sunt, unde potius quam *causae* dogmatum nostrae religionis, haberi debent *effectus*, prout graeca philosophia quaedam a judaica revelatione accipere, orientales vero religiones multa a christiana doctrina 1 et 2 saec. mutuare potuerunt [11]. Obstat HISTORIA, quia ostendimus in tractatu de *fontibus revelationis* fidei dogmata tempus apostolicum attingere, siquidem Patres novitatem doctrinae in fide semper exhorruerunt [12] : atqui Apostolos et Christum Trinitatis notitiam non sumpsisse ex philosophia hellenica et orientalibus religionibus, vel inde patet, quod origine Judaei et cultura sine litteris, ex carne et sanguine scire non potuerunt quae Palestinae fines excedebant [13]. Ceterum historia dogmatis, quam praemisimus, aperte docet ex placitis philosophiae hoc dogma non derivatum esse, sed corruptum a Gnosticis, Marcionitis et Arianis, contra quos Patres inclamarunt [14]. Obstat COMPA-

---

[8] Supra n. 261; Vol. I n. 497.

[9] Expresse est proposita in syn. COLON. Agrip. 1860 appr. a *Pio IX*, et erat in schemate pro definitione *Conc. Vat.* Cf. JANSSESNS III p. 357.

[10] CONC. VAT. *Dei Filius* § 4 cn. 1.

[11] Cf. Vol. 1 n. 196.

[12] Cf. Vol. 1 n. 501.

[13] Cf. Vol. 1 n. 196.

[14] Supra n. 261.

RATIO DOCTRINALE quia triades *Platonica, indica* et *aegyptiaca* toto coelo distant a SS. Trinitatis mysterio. Profecto « TRINITAS PLATONIS ex toto differt a dogmate catholico [15]; nam *a)* Plato tenet *tres deos;* catholicum dogma *unum: b)* Dii Platonis sunt *diversae naturae* et *inaequales,* secundus a primo, tertius a secundo, gradatione descendente dignitatis; in dogmate catholico tres Personae unam habent communem naturam, secunda est a prima, tertia simul ab alii duobus... : *c)* trinitas Platonis *per gradus* a summo principio *ad ipsam creaturam* corpoream descendit, quam per animam mundi deum tertium deificat: Trinitas catholica processionibus non gradibus constituta, infinite omnem creaturam excedit » [16]. TRIMÛRTIS INDICA [17] e monotheismo exorta [18], christianismo probabilius posterior [19], resolvitur in trinitatem principiorum mundi vel in pantheismum evolutivum [20], quo divinitas (res quaedam universalis et indeterminata) diversimode apparet in indefinito mundi progressu [21]. Porro quae analogia inter hujusmodi trinitatem secum ipsa pugnantem vel successivam, natura et perfectione diversam, cum *una, aeterna* et *indivisibili* Trinitate nostrae fidei? Ibi nullum mysterium et multae absurditates, hic nulla absurditas et altissimum mysterium. Similia repetenda sunt de TRIADE AEGYPTIACA *Iside, Oriside et Oro,* qui successive apparent et non sunt una substantia,

---

[15] PLATO distinxit *Patrem* mundi moderatorem, *Mentem* (Verbum) quo mundus regitur, *Animam* qua mundus existit et movetur: PLATONICI proposuerunt trinitatem mentis *prioris, posterioris* et *verbi:* vel *patris, factoris* et *operis.* Cf. JANSSENS p. 568-9.

[16] JANSS. p. 369; FRANZ. 298 sqq.

[17] *Trimûrtis* ex sanscripto (*tri* tres et *mûrtis* forma) significat tres divinitatis manifestationes quae in Vedangas vocantur *Ragas* (creatio), *Satva* (conservatio) et *Tamas* (destructio), in Brahmanismo vero *Brahmâ, Vishnu* et *Siva.* F. BERTANI in *Scuola Catt.* sett. 1891.

[18] CANTÙ *Stor. univ.* I, 2 c. 13; *Docum.* 1 p. 2 n. 3.

[19] BERTANI *l. c.* marzo 1892.

[20] Originem hujus numeri ternarii DE BROGLIE (*Prob. e concl.* c. 2 p. 68) deducit ex polytheismo emanationis, quo notio familiae *(pater, mater, filius)* in divinitatis ordinem est translata, vel ex intellectuali evolutione numerorum 1 et 2, scil.: 1 + 2 = 3.

[21] « La teosofia brahmanica va riassunta nei due seguenti concetti: *a)* Esistenza di un Dio, non tanto extramondano, Uno e Sovrano quanto confuso col mondo, Universale ed indeterminato... *b)* Trapasso di questo Dio mondano, Universale e Indeterminato in tutte le altre *checcosalità* o *personalità* già realizzate o da realizzare. Siccome il tre è numero primo e piacevole, il Dio Universale e Indeterminato avrà tre primi effetti, ovvero tre prime e principali apparizioni ». F. BERTANI l. c. marzo 1892 p. 245.

sed tres dii diversae virtutis, qui variis hominum necessitatibus distributive praesunt [22].

265. **Secunda pars.** *SS. Trinitatis mysterium creatae virtuti est omnino inscrutabile.* Nam **Scriptura** notitiam divinarum Personarum absolute tribuit revelationi [23], et **Patres** dicunt hoc mysterium nullo sermone posse declarari [24], esse immensum, incomprehensibile, intelligentiae capacitatem excedere [25], imo tam « excedere omne quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus » [26]; unde ATHAN. illud explicare tentantes sic improperat: « O stulti, atque ad omnia audaces praecipites! Quare non potius SS. Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque esse dumtaxat creditis, magistrum Apostolorum hac in re imitati, cujus haec sunt verba: *credere enim oportet primum Deo quia est?* » [27]. **Ratio** confirmat, siquidem « homo per rationem naturalem in cognitionem Dei pervenire non potest, nisi ex creaturis. Creaturae autem ducunt in Dei cognitionem, sicut effectus in causam. Hoc igitur solum ratione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est secundum quod est omnium entium principium... Virtus autem creativa Dei est communis toti Trinitati. Unde pertinet ad unitatem essentiae, non ad distinctionem personarum. Per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea quae pertinent ad unitatem essentiae, non autem quae pertinent ad distinctionem personarum » [28].

266. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** AUG. Platonicos improperavit quia, cum Trinitatem invenissent, Filii incarnationem credere noluerunt: ergo Trinitas naturaliter potest cognosci [29]. **Resp.** AUG. Neoplatonicos alloquitur qui christianam revelationem philosophiae placitis corruperant [30]; nil ergo mirum quod supponat eos aliqualem Trinitatis notitiam habuisse.

---

[22] CANTÙ *l. c.* I, 2 c. 22.

[23] *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Matth. **11**. 27. Unde, cum Petrus Christum vocavit Filium Dei, ipse respondit: *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus.* Matth. **16**. 17.

[24] GREG. Nyss. *Or. catech.* c. 3.

[25] HILAR. *De Trin.* II n. 5 sqq.

[26] FULG. *Ad Thras.* II c. 1.

[27] ATHAN. *Ad Serap.* epist. 1 n. 18; BASIL. *C. Eunom.* I n. 14; GREG. Naz. *Or.* 20 n. 10-12; *Or* 29 n. 8; CYRIL. Hier. *Catech.* VI n. 6; CHRYS. *De Incomp.* hom. 5 n. 1; CYRIL. Alex. *De Trin* Dial. 2; EPIPH. *Haeres.* 76 ad c. 7 *Aëtii;* etc.

[28] S. THOM. 1 p. q. 32 a. 1.

[29] AUG. *De Civ. Dei* X c. 29.

[30] Supra n. 261.

267. **Objic. 2.** ATHAN. Dei virtutem et sapientiam, quam Paulus notam dicit *per creaturas,* affirmat esse Christum, CYRIL. vero docet quod « creatura clamat creatorem Deum Verbum » [31] : ergo naturaliter homo potest Personarum distinctionem cognoscere. **Resp.** ATHAN. et CYR., qui expresse altitudinem huius mysterii confessi sunt, locis objectis, Scripturam explicant sensu *accomodatitio* [32] appropriando Filio quae dicuntur de tota Trinitate [33].

268. **Obji. 3.** Homo ex mundi consideratione cognoscit Deum esse *intelligentem* et *volentem:* atqui terminus divinae intellectionis est *Verbum,* terminus divini amoris est *Spiritus S.:* ergo. **Resp.** Naturae viribus homo noscit quidem Deum intelligere et velle, sed judicare non potest esse in Deo *terminum* realiter distinctum a *principio;* siquidem terminus nostrae intellectionis est ex indigentia subjecti, quae in Deo non est; de termino vero nostri amoris ignoramus an realiter distinguatur a suo actu [34].

ART. 3 - DE DIVINITATE TRIUM PERSONARUM.

269. **Divinarum personarum nomina propria.** Cum, ut suo loco videbimus, ratio personae in Deo constituatur *relationibus,* quae *processiones* consequuntur, cognitio nominum divinarum personarum proprie pertinet ad tractatum de processionibus divinis; quia tamen quaestio de divinitate et distinctione Personarum institui non potest, si nomina penitus ignorantur, statim notare debemus primam Personam vocari *Patrem,* secundam *Filium,* tertiam *Spiritum S.* Quod ad nomen PATRIS attinet verum est aliquando dici de Deo uti creatore et sanctificatore [1], quo sensu competit toti Trinitati; sed nonnumquam opponitur aliis Personis quae cum ipso numerantur [2] : itaque *Pater* est nomen determinatae Personae quae est prima, ut ex nominis significatione et ex aliarum processione ab ipso innotescit. Nomen secundae Personae est FILIUS, non

[31] ATHAN. *C. Arian.* Or. 1 n. 11; CYRIL. Alex. *Thes.* t. 4.

[32] Cf. JANSSENS III p. 364-5.

[33] Qua ratione communia approprientur alicui Personae dicemus in fine tractatus.

[34] Cf. S. THOM. 1 p. q. 32 a. 1 ad 2; *Supra Boët.* De Trin. q. 1 a. 4 ad 6; BILLÔT *th.* 15 p. 451.

[1] Matth. **6.** 4, 6, 9; Rom. **8.** 15; Gal. **4.** 6; 1 Thess. **3.** 11; etc.

[2] Commemorantur *explicite* cum simul enumerantur, ut Matth. **28.** 19; *implicite* cum verba in plurali adhibentur et secunda Persona proprio nomine exprimitur, *Filius* enim non minus in divinis, quam in humanis, sine *Patre* non intelligitur.

solum quia pater et filius sunt nomina relativa quae simul consistere debent, sed quia, si in Scripturis nomen filii Dei dicitur de justis [3], aliquando tamen cum tanta proprietate locutionis de determinata persona effertur, ut ejus *naturalis* origo a Deo [4], ac proinde vera divinitas, appareat : hanc autem divinam Personam esse secundam, inde patet quod a prima procedit et est principium tertiae. Porro Filius Dei non ex evolutione graecae philosophiae [5], neque ex polemica necessitate impugnandi Gnosticos [6], sed ex divina revelatione post Joannem [7] a catholicis vocatur VERBUM, quo propria

---

[3] Joan. **1.** 12 et passim.

[4] Explicabimus in tr. *De Verbo Inc.*

[5] Derivationem *Verbi* divini a verbo Platonis et Philonis post RATIONALISTAS (J. CLERICI, MOSCHEMIUS apud *Billot* De Trad. p. 89; SIEGFRIED, etc. apud *Knab.* in Joan. p. 66) affirmant MODERNISTAE (LOISY *l'Évang. et l'Égl.* p. 139; ANONYM. *Il Program.* p. 85), sed hi, ut notat *Billot* (De Trad. p. 89), confundunt praesuppositum revelationis cum doctrina ipsa revelata. Sicut nempe revelatio mysterii SS. Trinitatis praesupponit naturales ideas *unitatis* et *trinitatis;* ita revelatio nominis secundae Personae praesupponit notitiam *verbi mentis nostrae,* ex cujus analogia a nobis nominatur. Haec notio *verbi mentis* a Platone proposita et ab Aristotele clarius enuntiata, a Philone est quidem personificata in realitate subsistente, sed tali, quae cum Verbo Joannis nullatenus possit confundi. Profecto VERBUM PLATONIS non est hypostasis sed abstracta quaedam ratio Dei, rerum ideas exhibens, at nil cognoscens; VERBUM PHILONIS est *angelus* summus, *interpres* et *minister* Dei, summus *sacerdos* in hoc universo, *primogenitus* Dei, *imago* Dei, *alter* Deus, *medius* inter Deum ingenitum et creaturam, *locus* mundi intelligibilis, *idea* archetypa, *vis* quaedam vel potentia, adjuvans divinum intellectum ad efformationem conceptus mundi, sed non est Deus, nec Creator, nec Messias (FRANZ. *De Deo Trin.* p. 302; KNAB. in *Joan.* p. 67). VERBUM JOANNIS e contra est hypostasis, vere *Deus,* Patri *consubstantiale,* naturalis et supernaturalis ordinis *auctor, Messias* promissus, quod *caro factum est* in Christo, Deo-homine, in quo Verbum a Jesu amplius separare non licet (Joan. **1.** 1-14; 1ª **4.** 3). Cf. CORLUY *Cong. Scient. de Paris* 1889 t. 1 p. 75; HERGENR. *St. Un. d. Ch.* I p. 76-7.

[6] MALDONATUS et alii (apud *Knab.* l. c. p. 65) aestimant vocem, ceteroquin aptam ad designandam secundam Personam, Joan. assumpsisse ut directe impugnaret Cerinthum aliosque Gnosticos ,qui Filium Dei vocabant Verbum et dicebant creaturam. Sed hi confundunt *occasionem* scribendi de Verbo, cum *origine* nominis, quod ex haereticorum usu in sacra devenisse male audit.

[7] Undenam Joan. nomen *Verbi* hauserit, non est certum. Quidam cum KNAB. l. c. aestimant deduxisse, sicut Judaeorum Targumim, ex Scripturis V. T. in quibus *verbum Domini* (Ps. **32.** 2. 6; **106.** 20; **147.** 15; Sap. **18.** 15; Isai. **55.** 11) et *Sapientia* Dei (Prov. **8.** 12-**9.** 18) personaliter aliquando assummuntur (Cf. Hebr. **4.** 12) : alii cum CORNELY *De div. insp.* p. 12; VIGOUROUX et BACUEZ *Man. Bibl.* III n. 80; PESCH *De insp.* n. 461; SCHIFF. *De*

ratio generationis ejus exprimitur [8]. Tertia persona est SPIRITUS S. [9]; licet enim hoc nomen in Scripturis dicatur etiam de divina substantia [10], saepe praedicatur de Persona, quam esse tertiam ex connumeratione cum Patre et Filio et ex processione ab utroque apparet [11].

270. **Errores — Veritas.** *Patris divinitatem,* exceptis atheis, nemo negavit: *divinitatem Filii* ex influxu hellenicae philosophiae impugnarunt GNOSTICI, ex Scripturae praepostera intellectione ARIANI et SEMIARIANI, ex rationis independentia RATIONALISTAE, cui multum accesserunt SEMIRATIONALISTAE suis explicationibus consubstantialitatem Filii cum Patre evertentes [12], et MODERNISTAE systemate immanentiae et evolutionis supernaturalitatem et objectivitatem ipsam divinitatis corrumpentes [13]: *divinitas Spiritus S.,* ab ARIO jam impugnata [14], expresse est negata a MACEDONIANIS, qui Spiritum S. dicebant ministrum Patris et Filii creaturamque ceteris perfectionem, necnon a GÜNTHER et SCHELL, qui blasphe-

---

insp. 86, putant a Deo accepisse speciali revelatione, quod quidem suadetur analogia ad V. T., in quo nomen *Jahve* est revelatum (Exod. **3**. 14), et maxime ex Apoc. **19**. 13, cum Joan. raptus in coelum, cognovit de Agno quod *vocatur nomen ejus Verbum.*

[8] Videbimus Filium Dei generari a Patre ut terminus divinae intellectionis; apud nos vero terminus intellectionis dicitur *verbum.*

[9] Si quaeris cur vox *Spiritus,* quae est communis, speciali appropriatione sit attributa tertiae Personae, respondeo fuisse ex imperfecta notitia processionis nostri amoris et ex analogia halitus nostri pectoris. Profecto, ut millies diximus, revelatio non fit infusione conceptuum supernaturalium, sed coordinatione, affirmatione et negatione naturalium (Vol. 1 n. 69). Quia ergo terminus nostrae processionis intellectivae erat notus et dicebatur *verbum mentis,* hoc nomine est proposita secunda Persona; sed terminus nostrae volitionis non est notus, imo dubitatur an habeatur et in quo consistat; necesse ergo fuit processionem Personae, quae est terminus divini amoris, exhibere voce communi. Porro vox merito est deducta ex halitu pectoris, qui dicitur *spiritus,* siquidem subtilitate notionem immaterialitatis praefert, et emissione ex pectore exhibet notionem amoris, quo amans in amatum tendit. Cf. BILLOT *De Deo* p. 367-8.

[10] Joan. **4**. 24 et alias saepe. Etiam Patres nomen *Spiritus* aliquando accipiunt de natura divina, ut CLEM. R., CALLIXTUS, IGNAT. M. apud *Hergenr.* I p. 354 in nota.

[11] Testimonia Scripturae dabimus in thesi: ex antiquissimis Patribus *Hergenr.* l. c. affert CLEM. R., IGNAT. M., JUST. M., ATHEN., HERM., IREN., quibus consentit TAT.

[12] Supra n. 261.

[13] Vol. 1 n. 25-27.

[14] KLEUTGEN *De ipso Deo* n. 613.

marunt eum esse *effectum* Patris et Filii [15]. **Veritas.** Divinitas Filii contra Arianos definita est in CONC. NICAEN., divinitas Spiritus S. contra Macedonianos in CP. I, divinitas totius Trinitatis clare proponitur in SYMB. maxime in ATHAN., quo confitemur: « Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. et tamen non tres dii, sed unus est Deus » [16].

THES. 28. — 1 *Pater est Deus,* — 2 *Filius est Deus,* — 3 *Spiritus Sanctus est Deus.*

271. **Prima pars.** *Pater est Deus.* Nota imprimis testimonia divinitatem Filii praedicantia, divinitatem quoque Patris docere, siquidem in principio deesse nequit quod est in principiato. Adde nunc **Scripturas** quae de Patre [17] a Filio contradistincto dicunt quod est *Deus* [18], *Deus vivus* [19], *solus Deus verus* [20], *omniscius* [21], *Dominus coeli et terrae* [22], *auctor ordinis supernaturalis* [23], qui *sua providentia omnia disponit* [24]. **Patres** divinitatem Filii ex divinitate Patris desumunt, siquidem « Deus ex Deo gignitur, quemadmodum homo ex homine; nec aberrabit Dei ac Patris antecellens omnibus natura, ut congruentem sibi non pariat fructum » [25].

272. **Secunda pars.** *Filius est Deus* [26]. Nam de Filio Dei **Scripturae** testantur divinitatem *nomine* et *attributis*. NOMINE quia dicunt quod est *Deus* [27], *Dominus* [28], *Deus verus* [29], *Deus magnus* [30], *Deus*

---

[15] PETAV. I c. 6-14; BILLOT p. 617 sqq.; PESCH 447 sqq.; JANSSENS *l. c.*; TANQUEREY *De Deo Trino* proleg. n. 21 sqq.

[16] CONC. NIC. a. 325 symb.; CP. I a. 381 cn. 1 et symb. De SYMB. ATHAN. cf. Vol. 1 n. 597.

[17] Nomen Patris esse *personale* constat ex communi usu et ex modo quo effertur; siquidem locum subjecti in propositione occupat, et uti principium *(quod)* agens exhibetur.

[18] *Pater meus... Deus vester est.* Joan. **8.** 54; **1.** 1; **5.** 18; **6.** 46; **20.** 17; 1 Joan. **8.** 6.

[19] *Tu es Christus filius Dei vivi.* Matth. **16.** 16.

[20] *Ut cognoscant te solum Deum verum... Clarifica me tu Pater.* Joan. **17.** 3-5.

[21] *De die illa et hora nemo scit... nisi Pater.* Matth. **24.** 36.

[22] *Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae.* Matth. **11.** 25.

[23] Matth. **16.** 17; Joan. **6.** 44; **17.** 11 sqq.

[24] Act. **1.** 7.

[25] CYRIL. Alex. *in Joan.* II c. 8. Alios Patres dabimus in secunda parte.

[26] Quae ad divinitatem Verbi spectant, paucis perstringimus, quia repetenda sunt in tr. *De Verbo Inc.*

[27] Joan. **1.** 1; **20.** 28; Rom. **9.** 5; Hebr. **1.** 8.

[28] Ps. **109.** 1; Joan. **20.** 21; 1 Corinth. **16.** 22.

[29] 1 Joan. **5.** 20.

[30] Tim. **2.** 13.

fortis [31], *Jahve* [32], *Filius naturalis Dei* cui proinde in natura convenit [33]: ATTRIBUTIS quia enuntiant quod est *aeternus* [34], *necessarius* [35], *immutabilis* [36], *omnipotens* [37], *adorandus* [38], *creator* [39] et *conservator* mundi [40] hominumque *sanctificator* [41]. **Patres** non solum secundae Personae [42] tribuunt divinitatem strictissimo sensu, quippe « non perfunctorie nominandus (est) *Deus*, sed ita, ut eandem divinitatem praedices in Filio quam habet Pater » [43]: sed divinitatem ejus probant ex *Judaeorum* opinione [44], ex *Apostolorum* confessione [45], ex totius *traditionis* testimonio [46]; ex Scripturis quae nomen *Dei* Christo tribuunt [47]; ex nomine *Filii Dei*, nam « nomen Filii substantialiter a Patre genitum esse significat » [48]: ex *connumeratione* cum Patre et Spiritu S. maxime in forma baptismali, quia inferior cum superiori non connumeratur [49]: ex *unitate operationis*, « si enim eadem et una est virtus amborum (Patris et Filii) eadem quoque est substantia » [50]: ex ratione *mediatoris*,

---

[31] Isai. **9**. 6; KNAB. in *h. l.*

[32] Ps. **96**. (*heb.* 97) 1; 5; **97**. 9 (*heb.* 96. 10); Isai. **40**. 3; 5; 10; Malach. **3**. 1; 10. Addi possent testimonia N. T. Christum dicentia *Κύριον*; hac enim voce LXX vertunt hebraicum *Jahve*.

[33] Agi de Filio *naturali* constat ex forma *singulari* (Matth. **16**. 16 et saepissime), ex *contradistinctione* a filiis *adoptivis* (Joan. **1**. 14-18; **20**. 17; Rom. **8**. 29; Gal. **1**. 10; Hebr. **1**. 5; **3**. 5-6), et ex *proprietate vocis* (Matth. **3**. 17; Rom. **8**. 32; 1 Joan. **5**. 20), unde dicitur etiam *in sinu* Patris (Joan. **1**. 18).

[34] Joan. **1**. 1; **8**. 58; Apoc. **1**. 8.

[35] Apoc. **1**. 8; 17.

[36] Joan. **3**. 13.

[37] Joan. **5**. 17-21.

[38] Joan. **5**. 23; **9**. 38; Hebr. **1**. 6.

[39] Prov. **8**. 12 sqq.; Joan. **1**. 3.

[40] Hebr. **1**. 3.

[41] Joan. **1**. 8 apud KNAB. in *h. l.* p. 71 sqq.

[42] Patres ordinarie loquuntur de *Christo*, sed Christus est Deus ratione personae, quae est Verbum.

[43] AMBR. *De Fide* III c. 7.

[44] AUG. *in Joan.* tr. 17 n. 16.

[45] HIL. *De Trin.* 7; CYRIL. Alex. in *Joan.* 12 c. 9; *Thesaur.* 32.

[46] ATHAN. *Decr. con. Nicaen.* n. 27; AUG. *De Trin.* I c. 4.

[47] Maxime ex Joan. **1**. 1 sqq.; **10**. 30; **14**. 9; **16**. 15; Rom. **9**. 5; 1 Corinth. **8**. 6 etc. apud *Petav.* II. c. 8 et 9.

[48] CYRIL. Alex. *Dial.* 5; in *Joan.* II c. 8; *Thes.* 10 et 23, etc. HILAR. *C. Auxim.*; ATHAN. *C. Arian.* 4 et 5; AMBR. *Sym. Apost.* c. 2; *De Fide* III c. 7; EPIPH. *Ancor.* n. 11; GREG. Nyss. *C. Eunom.* 1; CHRYS. in *Joan.* hom. 74; in *Act.* hom. 33; AUG. *C. serm. arian.* c. 36.

[49] ATHAN. Epist. *ad Serap.*; BASIL. *C. Eunom.* 2; AMBR. *De Fide* I c. 1; GREG. Naz. or. 13.

[50] CHRYS. in *Joan.* hom. 61; AUG. in *Joan.* tr. 71 n. 2; *C. Maxim.* c. 20; CYRIL. Alex. in *Joan.* 2 c. 135; 7 c. 10; 9 c. 38.

qui utrique termino (Deo et homini) consubstantialis esse debet [51] : ex *adoratione*, « creaturam quippe creatura non adorat; sed servus Dominum et creatura Deum » [52] : ex modo quo constituitur terminus nostrae *fidei* [53] et *spei* [54] : atque ex attributis *aeternitatis* [55] et *omniscientiae* [56]. Haec paucis perstringens HILAR. ait : « Deum D. N. J. C. his modis novimus : *nomine, nativitate, natura, potestate, professione* » [57].

273. **Tertia pars.** *Spiritus S. est Deus.* Divinitatem Spiritus S. **Scripturae** testantur *nomine* Dei, *operationibus* divinis, *connumeratione* cum Patre et Filio et *consubstantialitate* cum eis. NOMEN DEI de Spiritu S. effert Petrus, cum explicans peccatum Ananiae, qui mentitus erat *Spiritui S.*, ait : *Non es mentitus hominibus, sed Deo* [58]; et similiter Paulus qui docet Ecclesiam esse templum Dei, quia Spiritus S. habitat in ea : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis ?* [59]. Accedunt testimonia quae prophetias et divinas locutiones V. T. tribuunt Spiritui S. [60]. OPERATIONES DIVINAE saepe in N. T. [61] dicuntur de Spiritu S., cui appro-

---

[51] DIONYS. ep. 4 *ad Cajum;* AMBR. in 1 *Tim.* **2.** 5; CHRYS. in 1 *Tim.* hom. 7; AUG. *De ascen.* serm. 3; *De Civ. Dei* IX c. 25; DAMASC. *De Fide Orth.* III c. 9 : apud *Petav.* III c. 2 n. 7.

[52] ATHAN. *C. arian.* or. 3; AUG. *C. Serm. arian.* c. 29. Hinc Patres idololatras vocabant arianos, quia negantes Christum esse Deum tamen adorabant. BASIL. *C. Sabell. et Arian. hom.* 27; ATHAN. *C. Arian.* or. 1 et 4; GREG. Nyss. *De Fide ad Simpl.;* CYRIL. Alex. *Dial.* 4 et 5.

[53] AUG. in *Joan.* tr. 67 n. 1 coll. *Enar.* in *Ps.* **77** n. 8.

[54] CHRYS. in 1 *Tim.* **1**; 1 *Corinth.* **15.** 19; CYRIL. *Thes.* 32.

[55] Saepissime aeternitatem Filii deducunt ex verbis *in principio erat.* BASIL. in *init. Joan.* hom. 15; ATHAN. passim; GREG. Naz. *Or.* 49; GREG. Nyss. *C. Eunom.* 3; AMBR. *De Symb.* c. 4; AUG. in *Joan.* trac. 1 n. 12; *Serm. de diver.* 118 (alias 13) n. 1 et 2; 119 (alias 24) n. 2; CYRIL. Alex. in *Joan.* 1 c. 1; *Thes.* 4 et 32; FULG. *Ad Thras.* 1 c. 6.

[56] HIL. *De Trin.* 9 n. 71; ATHAN. *C. Arian.* or. 3 n. 37; 42; GREG. Naz. *C. Arian.* or. 3; CYRIL. Alex. *Thes.* 22; AUG. *De Trin.* XV c. 15 n. 23.

[57] HIL. *De Trin.* 7.

[58] Act. **5.** 3-4.

[59] 1 Corinth. **3.** 16. Cf. **6.** 19-20; **12.** 4-6 « Haud immerito, inquit CORNELY in *Corinth.* p. 92, Patres multi divinatem Spiritus S. ex his verbis demonstrarunt, siquidem Apostolus per *Spiritus* inhabitationem Ecclesiam esse *Dei* templum confirmat ».

[60] Sic v. g. : SPIRITUS S. *locutus est per Isai... dicens : Vade ad popolum,* etc. Act. **28.** 25 sqq.; Isai. autem **6.** 8 sqq. scripserat : *Audivi vocem* DOMINI *dicentis... Vade* etc.

[61] Loquimur de *N. T.* quia testimonia *V.* (Ps. **32.** 6; **103.** 30; Sap. **1.** 7) potius per appropriationem, quam per simplicem enuntiationem, intelliguntur de tertia Persona.

priantur *incarnatio* Filii Dei [62], *miracula* Christi [63], *confirmatio* martyrum [64], *missio* praedicatorum [65], *virtus* sacramentorum [66], *sanctificatio* hominum [67], distributio *gratiarum* gratis datarum [68], *omniscientia* [69] et consequens *revelatio,* per prophetas data in V. T. [70] et per Apostolos in N. manifestata [71]. Tertium argumentum sumitur EX CONNUMERATIONE Spiritus S. cum Patre et Filio [72], siquidem quae connumerantur in eodem gradu constituuntur [73]; unde nec creatura cum creatore [74], nec servus cum Domino [75] connumerari possunt. CONSUBSTANTIALITATEM Spiritus S. cum Patre et Filio, si aperte non docent, certe innuunt testimonia quae tertiam Personam vocant Spiritum *Dei, Domini, Patris* et *Filii* [76]; Spiritus enim est aliquid intrinsecum habenti illum [77], et nihil in Deo simplicissimo esse potest quod ei consubstantiale non sit. **Patres** testimonia Scripturae modo recitata saepe adducunt et explicant contra Macedonianos. Spiritus S. divinitatem desumunt *a)* EX NOMINIBUS *Dei* [78], *Spiritus* [79], *alius Paracleti* [80], quae soli vero Deo convenire possunt.

---

[62] Luc. **1**. 35.

[63] Matth. **12**. 28; Rom. **8**. 11.

[64] Marc. **13**. 11; Act. **7**. 55.

[65] Act. **13**. 4.

[66] Joan. **3**. 5; **20**. 22.

[67] Act. **8**. 15-17; Rom. **5**. 5; 1 Corinth. **6**. 11; Gal. **3**. 2; **4**. 6.

[68] Act. **2**. 4; 1 Corinth. **12**. 8-11.

[69] *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* 1 Corinth. **2**. 10.

[70] 2 Petr. **1**. 21; Hebr. **1**. 1; **10**. 15; etc.

[71] Joan. **14**. 16; 26; **16**. 13; 1 Corinth. **2**. 9-12.

[72] Matth. **3**. 16-17; **28**. 19; Luc. **1**. 26-35; 2 Corinth. **1**. 21-22; **13**. 13; 1 Joan. **5**. 7.

[73] Ne dicas aliquando (Exod. **14**. 31; Act. **15**. 21; 1 Tim. **5**. 21) Deum connumerari angelis et hominibus; tunc enim conjungitur hominibus non in unitate *principalis operationis,* sed vel in consensu *testificationis* vel in ratione causae *instrumentalis,* quo sensu non solum homines et angeli, sed irrationales creaturae connumerantur Deo (Deut. **32**. 1; Isai. **1**. 2; Matth. **3**. 12; Joan. **3**. 5). Cf. ATHAN. *ad Serap.;* BASIL. *De Spir. S.* c. 13 et seq.

[74] ATHAN. *C. arian.* or. 3.

[75] ISIDOR. Pelus. 1 *ep.* 109.

[76] Matth. **10**. 20; Luc. **4**. 18; Rom. **8**. 9; 1 Corinth. **2**. 11; etc.

[77] *Quis hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* 1 Corinth. **2**. 11.

[78] ATHAN. *De hum. nat.;* BASIL. *De Spir. S.* c .16; *C. Eunom.* 5; GREG. Naz. *or.* 37; AMBR. *De Spir. S.* I c. 4; III c. 10; AUG. *C. Maxim.* c. 21; CYRIL. Alex. *Thes.* 34.

[79] ATHAN. *ad Serap.;* EPIPH. *haer.* 74; AUG. *De Trin.* XIV c. 14; *De Gen. ad Litt.* XII c. 7; *De verb. Dom.* serm. 43.

[80] AMBR. *in Sym.* c. 6; *De Spir. S.* I c. 4; GREG. Naz. *or.* 37; 44; CYRIL. Alex. *Thes.* XIII c. 4. *NB.* Spiritus S. dicitur *alius Paraclitus* (Joan. **14**. 16), quia *primus* est Christus.

b) EX ATTRIBUTIS, siquidem Spiritus S. dicitur *sanctus* « non participatione, neque externa ad Filium habitudine, sed natura et veritate » [81] : dicitur *omniscius,* omniscientia autem est proprietas Dei [82]; dicitur *habitator templi,* quod soli Deo erigitur [83] : constituitur *terminus fidei* nostrae, quia credimus *in eum;* « neque enim idem est credere in aliquid, et credere de ipso; illud enim convenit divinitati, hoc cuilibet rei » [84] : enuntiatur ut *subjectum nostrae servitutis,* quae soli Deo rependitur [85]. *c)* EX PROCESSIONE a Patre et Filio quia « sicut creata dici non potest *Sapientia* quae *ex ore* Dei procedit, nec *Verbum* quod eructatur *ex corde,* nec *virtus* in qua plenitudo majestatis aeternae est; ita etiam creatus non potest *Spiritus* aestimari qui *ex ore* Dei funditur » [86]. *d)* EX OPERATIONIBUS DIVINIS, siquidem Spiritui S. tribuuntur *incarnatio Verbi,* quod creationi ipsi praestat [87], plurima *miracula* [88], *prophetiae* [89] et *sanctificatio;* notum est autem « creaturam non posse sanctificare creaturam » [90], eo quod « non potest sanctificatio et corruptela unius esse naturae; et ideo non potest gratia Spiritus S. et creatura unius esse substantiae » [91]. « Dicatur igitur, concludit FULG., si *coelorum virtutes firmare* potuit qui non est Deus; si potest *vivificare* qui non est Deus; si potest in baptismatis regeneratione *sanctificare* qui non est Deus; si potest *caritatem tribuere* qui non est Deus; si potest *in credentibus habitare* qui non est Deus; si potest *gratiam dare* qui non est Deus; si potest *templum membra Christi habere,* qui

---

[81] CYRIL. Alex. Dial. 7 *de Trinit.; De Spir. S.; Thes.* XIII c. 4; BASIL. *C. Eunom.* 5.

[82] ATHAN. *ad Serap.;* AMBR. *De Spir. S.* II c. 12; EPIPH. *Ancor.;* CYRIL. Alex. *Thes.* 33; THEOD. *C. haer.* 6; EUSEB. Emis. *De Trinit.* hom. 33.

[83] ATHAN. *De com. essent.; C. arian.* c. 14; BASIL. *De Spir. S.* 21; GREG. Naz. *or.* 34. 12; DIDYM. Alex. *De Spir. S.* (*M.* 39. 1055); THEOD. in 1 *Corinth.* 3. 16; AMBR. *De Spir. S.* III c. 12; AUG. *C. Maxim.* II 21; *De Trin.* I c. 6 n. 13; etc.

[84] GREG. Naz. *Or.* 37; PASCHAS. *De Spir. S.* praef.

[85] AUG. *De Trin.* I c. 6 n. 13.

[86] AMBR. *De Spir. S.* I c. 7.

[87] AUG. *C. Maxim.* III. 17; RUFIN. *com. ad Symb.*

[88] ATHAN. *De com. essent.; De hum. nat. susc.;* AMBR. *Sym.* c. 6; GREG. Naz. *Or.* 37; CHRYS. *hom.* 89; CYRIL. Alex. *Thes.* 34; FULG. *ad Thrasim.* c. 35.

[89] BASIL. *C. Eunom.* 4; GREG. Nyss. *C. Eunom.* 1; AMBR. *De Spir. S.* II c. 12.

[90] BASIL. *C. Eunom.* 5.

[91] AMBR. *De Spir. S.* I c. 5; ATHAN. *ad Serap.;* BASIL. *C. Eunom.* 5; *ep.* 141; AUG. *C. Arian.* c. 32; CYRIL. Alex. in *Joan.* XI n. 1-2; *De Trin.* Dial. 7; *Thes.* 34.

non est Deus; et digne Spiritus S. negabitur Deus » [92]. — Confirmatur ex **Archaeologia christiana,** siquidem in catacumbarum epitaphiis non tantum Spiritus S. connumerantur cum Patre et Filio, sed ipsi tribuitur beatificatio sanctorum et consubstantialitas divina [93].

274. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Obijc. 1.** *Scriptura a)* docet singularitatem Dei etiam *b)* cum unam tantum vel alteram personam nominat, *c)* expresse testatur inferioritatem Christi, quem *d)* vocat etiam creaturam, atque *e)* cooperationem Filii et Spiritus S. in actionibus divinis exprimit part. *per* et *in* quae causam instrumentalem referunt: ergo secunda et tertia Persona non sunt aequales Patri. **Resp.** *a)* Testimonia quae *divinitatem* de una Persona praedicant, non eam excludunt ab aliis, sed unitatem divinae naturae proclamant: *b)* uni Personae non semper connumerantur aliae, quia « sancta et beata Trinitas secum ipsa unita est ita, ut nominato Patre, adsit et Verbum ejus et in Filio Spiritus » [94]: *c)* cum Filius effertur Patri *inferior,* agitur de sola inferioritate originis [95], vel attributum respicit humanitatem assumptam [96]: *d)* cum secunda Persona dicitur *creatura* [97] vel improbanda est versio [98], vel ratio creaturae invenienda est in natura assumpta, vel κτίζω (creo) sensu generico et improprio sumendum est de quacumque *origine* etiamsi sit sine productione novae realitatis [99]: *e)* particulae *per* et *in* non exhibent naturae inferioritatem, sed Personarum distinctionem et modum originis, uti dicemus explicantes legem appropriationis [100].

---

[92] FULG. *ad Thrasim.* III c. 35. NB. Contra MODERNISTAS qui negant Patres 2 saec. habuisse notitiam tertiae Personae SS. Trinitatis, adnotare praestat cum HERGENR. I p. 254-6 quod, silentibus haereticis, pauca dixerunt de Spiritu S., sufficientia tamen ut eorum fides innotescat. Cf. CLEM. Rom. apud *Basil.* de Spir. S. c. 29; IGNAT. M. ad *Magn.* 13; ad *Eph.* 9; ATHEN. *Leg. pro chr.* c. 10; JUST. M. *Apol.* 1 n. 6 et 13; IREN. *Adv. haer.* III 17.

[93] Trinitas Dei effertur in inscriptione coem. Domitillae sub fine saec. 2. De Spiritu S. legimus *Caro Kyriaco filio dulcissimo vibas in Spiritu Sancto. — Protus in Sancto Spiritu Dei hic jacet,* etc. P. SIXTUS *Not. arch. chris.* II p. 1 p. 74 et 81. Cf. Appendicem.

[94] ATHAN. *ad Serap.* ep. 1 n. 14.

[95] ATHAN., BASIL., GREG. Naz., EPIPH., CHRYS., CYRIL. Alex. apud *Petav.* II. 2 n. 2 sqq.

[96] ATHAN., BASIL., GREG. Nyss., AMPHIL., HILAR., AMBR., AUG., CYRIL. Alex. aliique plurimi apud *Petav.* l. c. n. 11.

[97] Prov. **8**. 22 (lect. *graec.*); Eccl. **24**. 5; 14.

[98] Plures interpretes ex Vulgata, cui consentiunt multae aliae versiones, non legunt *creavit* sed *possedit,* quod optime convenit Filio Dei, qui est *in sinu Patris* (Joan. **1**. 18).

[99] HIL. *De Synod.* n. 17; S. THOM. 1 p. q. 41 a. 3 ad 4; *Cg.* IV c. 8; HURTER II n. 163-6; JANSSENS III p. 110 sqq.

[100] « Si *per ipsum* dicitur, id ob nullam aliam causam positum est, quam ne quis Filium ingenitum esse suspicaretur ». CHRYS. in *Joan. hom.* 5 n. 2.

275. **Objic. 2.** PATRES *immensitatem* negant Filio [101] eumque dicunt *temporanea* generatione [102] *factum* [103], atque *inferiorem* [104] Patri, a quo *voluntarie* [105] procedit, et cui *ministrat* [106] : atqui haec manifeste notionem creaturae praeseferunt : ergo. **Resp.** *a)* Cum Patres negant primam Personam apparuisse in V. T., *quia est immensa,* non impetunt immensitatem Filii et Spiritus S., sed alludunt ad humanitatem Christi (praefiguratam in V. T.) qua solus Filius transiit de loco in locum, successivam praesentiam suscipiens [107] : *b)* cum Filium dicunt *factum,* praedicatum ποιητήν accipiunt, juxta graecum sermonem, sensu improprio de processione originis [108] : *c)* cum *temporaneam generationem* Verbi enarrant, non negant aeternam, sed « nihil aliud volunt, nisi quod Verbum a Patre procedens considerari debet tum ut manens apud ipsum Patrem, tum ut operans ad extra per creationem » quae in tempore fuit [109] : *d)* cum Patrem enuntiant *superiorem* vel solum *Deum* cum articulo (τὸν Θεόν), non docent majoritatem perfectionis, sed prioritatem originis seu principii : *e)* cum dicunt Patrem *voluntarie* genuisse Filium, non eum judicant contingentem, sed violentiam et ignorantiam ab ejus generatione removent [110] : cum tandem *f)* exhibent Filium et Spiritum S. *ministrare* Patri, non faciunt ejus servos, sed mere enuntiant ab ipso *procedere* et *mitti.*

276. **Objic. 3.** Etiam *ratio* obstat divinitati secundae et tertiae Personae, siquidem *generatio* Verbi *a)* supponit indigentiam intelligentis, *b)* importat divisionem substantiae Patris, et concludit ad filium *c)* posteriorem et *d)* contingentem [111] ; existentia vero Spiritus S., *e)* si absque duplicitate principii concipitur [112], inducit *fratrem* Christi vel *neptem*

[101] IREN. *Adv. haer.* II c. 20.

[102] TAT., TERTUL., ATHEN. apud *Billot* De Deo *th.* 16 p. 474.

[103] DIONYS. Alex. ep. ad *Am.* et *Euphran.* apud *Jungmann* Diss. V n. 5.

[104] JUST. M. *Dial.* c. *Tryphon.* 56 ; *Apol.* 1 n. 13 ; GREG. Naz. *or.* 25 n. 15.

[105] ATHAN. *C. Arian.* or. 3 n. 66 ; EPIPH. *haer.* 76 ; CYR. Alex. *Thesaur.* 7 ; *Dial.* 2 *De Trin.*

[106] IREN. *Adv. haer.* IV c. 7.

[107] In V. T. Patrem non apparuisse, erronee aestimavit IREN. ; sed inde non infirmatur ejus testimonium de divinitate Christi.

[108] ATHAN. *De sen. Dionys.* n. 21. Etiam in CONC. FLOR. *Decr. Un. Graec.* dicitur Filium « esse secundum Graecos quidem *causam,* secundum Latinos vero *principium* subsistentiae Spiritus S. ». Cf. JUNGMANN Diss. V n. 7-14.

[109] BILLOT p. 478.

[110] Cf. FRANZ. thes. 11 p. 167 sqq. ; PESCH n. 482 sqq. ; BILLOT p. 471 in nota ; JANSSENS p. 185, 187 ; 191, 193, etc.

[111] Sunt difficultates arianorum, quae referuntur et confutantur ab HIL. *De Trin.* 12 ; ATHAN. *Or.* 4 ; BASIL. *C. Eunom.* l. 2. et 4 ; GREG. Naz. *Or.* 35 ; EPIPH. *Haer.* 76 ; GREG. Nyss. *C. Eunom.* l. n. 1 ; AUG. *De Trin.* XV c. 20 ; CYR. Alex. *Thes.* 5 et 7 ; *Dial.* 2 etc. apud *Petav.* II c. 5.

[112] Si Spiritus S. dicitur *ingenitus,* sic arguebant, sunt duo prima *principia.*

Patris [113], quae omnes improbant. Ergo **Resp.** *a)* Generatio Verbi divini non est ex indigentia Patris, sed ex infinita foecunditate suae cognitionis, qua seipsum dicens generat Filium. *b)* In substantia spirituali *generatio* ne concipi quidem potest *divisione* substantiae patris vel *productione* substantiae filii [114]; ac proinde, si datur, est *communicatione* ejusdem substantiae generantis. *c)* Filius Dei non tempore vel perfectione, sed sola *origine* Patrem subsequitur; *d)* nec contingens est, sed omnino necessarius et aeternus, quippe a natura divina re non distinguitur. *e)* Spiritus S. neque est *sine principio*, neque *frater* vel *filius* Verbi, sed tamquam ab unico principio *spiratione* et non generatione, a Patre et Filio procedit [115].

ART. 4 - DE PERSONARUM DISTINCTIONE.

277. **Errores — Veritas.** Qui realem distinctionem divinarum Personarum impugnarunt dicti sunt *Modalistae, Patripassiani, Monarchiani* et *Sabelliani;* praeeuntibus vero SIMONIANIS et MONTANISTIS, patronos nacti sunt PRAXEAM, NOËTUM, EPIGONUM, CLEONTHEM et SABELLIUM, quibus saec. 16 accesserunt M. SERVETUS et SOCINIANI [1], saec. 18 SWEDENBORGIANI, saec. 19 KANT et ROSMINI [2]. **Veritas** prostrat in condemnatione Sabellii « personas confundentis et ipsarum *distinctionem realem* penitus auferentis » [3], in SYMBOLIS quae singulas Personas enumerant [4], et in CONC. LATER. IV: « Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus... Pater, Filius et Spiritus Sanctus, *tres* quidem *personae*, sed una essentia » [5].

---

[113] MACEDONIANI apud *Hergenr.* II 82.

[114] Cum generatio sit « origo viventis a vivente *principio conjuncto* in similitudinem naturae », si Filius totaliter produceretur non *generaretur* sed *crearetur;* si vero *aliquid* acciperet de substantia Patris, haec divideretur quod in spiritibus partium expertibus repugnat. S. THOM. *II Dist.* 1 q. 1 a. 4; Dist. 18 q. 2 a. 2; *Cg. II* c. 87.

[115] Haec melius intelligentur in secunda parte tractatus.

[1] Ex his orti sunt UNITARII.

[2] Supra n. 261.

[3] CONC. FLOR. decr. pro *Armenis;* DAMAS. *Anathem.* 2 a. 378; CONC. CP. I cn. 1 a. 381; LEON. *ep. dogm. ad Turr.* n. 1.

[4] SYM. NICAEN. 325. In ATHAN. legimus: *Fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes personas, neque substantiam separantes.*

[5] CONC. LAT. IV cn. 1.

THES. 29. *Pater, Filius et Spiritus S. sunt tres personae realiter distinctae.*

278. **Ex Scripturis.** ARGUM. 1 *(Ex constanti Personarum distinctione).* Profecto ambiguitas in iis, quae dogma fidei exhibent, dari nequit [6]; si ergo *Pater, Filius* et *Spiritus S.* essent tantum tria nomina ejusdem personae, ex Scripturis et ex Traditione clare innotesceret, sicut constat de tribus nominibus secundae Personae *(Filius, Verbum, Christus):* atqui nullibi realis identitas trium Personarum SS. Trinitatis innuitur: ergo. ARGUM. 2 *(Ex connumeratione et additione).* Nam Pater, Verbum et Spiritus S. aliquando simul efferuntur, imo part. *et* copulantur [7]: atqui connumeratio et unio distinctionem subaudiunt: ergo distinguuntur. Distinguuntur autem *realiter* et non ratione tantum, quia agitur de subjecto propositionis, in quo synonyma non occurrunt [8], et quia nomina *Pater, Filius* et *Spiritus S.* non sunt adjectiva sed personalia [9] quae, si synonyma, part. *et* non possunt conjungi [10]. Accedunt *numerus, verba* et *prononima* pluralia, quae multitudinem suppositorum seu personarum subaudiunt [11]. ARGUM. 3 *(Ex theophaniis).* Nam etsi una persona possit diversis symbolis exprimi [12], non tamen potest manifestari multiplicatione ejusdem signi, vel figuris se invicem excludentibus [13]: atqui Deus Abrahae apparuit sub figura *trium* ange-

---

[6] Cf. Vol. I 555.

[7] *Et ecce aperti sunt ei* (Jesu) *coeli: et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox* (Patris) *de coelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. **3.** 16-7; **28.** 29. Luc. **1.** 26-35; 1 Corinth. **2.** 10-6; 2ª **1.** 21-2; **13.** 13.

[8] Profecto si Deus est Pater ut *creator,* Filius ut *redemptor,* Spiritus S. ut *sanctificator,* dici nequit quod Pater, Filius et Spiritus *sanctificant* vel quod eis baptismo *consecramur;* sensus enim esset quod Deus sanctificat quatenus creator; hoc autem ordinem supernaturalem cum naturali confunderet.

[9] Supra n. 269.

[10] Quis diceret Dante *et* Alighierius, Simon Bar Jona *et* Petrus, etc.?

[11] *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Gen. **1.** 26; **3.** 22. *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* Joan. **14.** 23. *Tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus S.: et hi tres unum sunt* 1 Joan. **5.** 7.

[12] Sic in die Pentecostes Spiritus S. apparuit sub figura *ignis, linguae* et *sonitus* tamquam advenientis *spiritus* vehementis, et in Jordane ut *columba.*

[13] Nam multiplicitas figurarum ordinatur ad diversas rei proprietates (vel effectus) manifestandas; quia ergo rei proprietates non sunt contrariae, nec multae in eodem ordine; una res non potest repraesentari multitudine ejusdem figurae, neque imaginibus oppositis.

lorum [14], et in Jordane se manifestavit *voce* de coelo allata, realitate *humanitatis* Christi et symbolo *columbae* [15] quae loco, significatione et operatione contradistinguuntur [16] : ergo. ARGUM. 4 *(Ex nomine, processione et missione)*. Nam realis *relatio*, cum oppositionem inducat, est manifestum signum realis distinctionis [17] : atqui Pater et Filius in omnium lingua et conceptu sunt realiter [18] *nomina relativa:* ergo Pater et Filius realiter distinguuntur ab invicem et consequenter a Spiritu S., qui eis connumeratur. Similiter *procedens* re distinguitur a suo principio, et *missus* a mittente : atqui Filius est genitus [19] et missus [20] a Patre ; Spiritus S. procedit a Patre et a Filio [21], a quibus mittitur [22] : ergo Pater, Filius et Spiritus S. realiter distinguuntur. — **Patres** divinarum Personarum distinctionem non solum agnoscunt, sed probant argumentis modo datis. Revera CYRIL. arguit *ex distinctione nominum* « nam si idem est Pater et Filius, frustra est illa nominum distinctio » [23]. BASILIUS *ex connumeratione.* « Numera, inquit, personas, si lubet. *Ego* sum qui testimonium perhibeo, ecce jam unus. *Et* testimonium perhibet de me, *qui misit me:* ecce duo » [24]. AMBROS. ex praepositionibus *apud, et;* siquidem cum de Verbo dicitur « quod *erat apud Deum*, non commixtione confunditur, sed, manente Verbi solida perfectione, distinguitur ut Sabellius obmutescat » [25] ; cum vero Christus « dicit *Ego* et *Pater*, revelatur aequalitas ; (sicut) cum dicit *unum sumus*, unitas declaratur. Aequalitas confusionem excludit, unitas separationem : aequalitas Patrem et Filium distinguit, unitas Pa-

---

[14] Gen. **18-9**.

[15] Matth. **3**. 16-7.

[16] *Loco* quia Christus erat in terris vox in coelo, columba super caput Iesu : *significatione* quia vox erat Patris qui relatione opponitur Filio : *operatione* quia Spiritus S. descendit super Jesum qui supra se descendere concipi nequit.

[17] SCHIFFINI *Princ. Philos.* n. 466 ; TIL. PESCH *Inst. Logic.* n. 1567.

[18] H. e. independenter a mentis consideratione.

[19] Ps. **109**. 3 ; Joan. **1**. 14 ; 18 ; Hebr. **1**. 5.

[20] Joan. **3**. 17 ; **4**. 34 ; **5**. 23 ; 24 ; 30 ; 36, etc. ; Gal. **4**. 4.

[21] Joan. **15**. 26 ; **16**. 14.

[22] Luc. **24**. 49 ; Joan. **14**. 24 ; **15**. 26 ; Gal. **4**. 6.

[23] CYRIL. Alex. *in Joan.* I c. 2 ; HIL. *De Trin.* XII.

[24] BASIL. *C. Sabell.* Quod ex testimonio Joannis (Joan. **8**. 18) concludit BASIL. de Patre et Filio, ex similibus locutionibus intelligitur de Spiritu S. ; unde EPIPH. *Haer.* 69 n. 77 ait : « Nemo id existimet, quoniam dicit *unum* et *unum*, aliquid de Trinitate detraxisse numero, quod Spiritus S. non meminerit ».

[25] AMBR. *De Fide ad Grat.* 1 c. 5 ; ATHAN. *C. Sabell.;* BASIL. *in Joan.* hom. 16 init. ; CYRIL. in *Joan.* I c. 2.

trem Filiumque non separat. »[26] TERTUL., ATHAN., CHRYS., AUG. et alii *ex verbis* et *pronomibus* in plurali[27], JUST. M., IREN., EPIPH. *ex theophania* qua Deus sub specie trium angelorum apparuit[28].

279. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se : atqui Pater, Filius et Spiritus S. sunt idem cum natura : ergo. **Resp.** *Dist maj.* quae sunt eadem uni tertio re et ratione, *conc.;* quae re tantum sunt eadem uni tertio, sed ratione differunt, *neg.*[29]. Praedicatio non fit secundum materialem realitatem rerum, sed secundum *formales rationes* quibus res concipiuntur; unde ut principium comparatae identitatis locum habeat, necesse est ea, quae sunt eadem uni tertio, eidem identificari *re* et *ratione:* atqui Personae divinae *ratione* differunt a natura : ergo[30].

280. **Objic. 2.** Distinctio rationis non impedit realem identitatem cum praedicatio fit *secundum rem ipsam,* ut patet de animalitate et rationalitate in homine et de attributis absolutis in Deo : atqui praedicatio identitatis Personarum cum divina natura fit *secundum rem ipsam:* ergo. **Resp.** Distinctio rationis non fundat realem distinctionem cum agitur de praedicato absoluto *conc.,* cum de relatione *neg.* Uti videbimus in altera parte tractatus, Persona divina constituitur *relatione,* quae duplicem respectum habet, ad subjectum scil. *in* quo est, et *ad* suum oppositum. Porro hi duo respectus relationis (*in* et *ad aliquid*) omnino differunt; nam relatio secundum quod est *in subjecto* notionem absoluti induit, cui non repugnat identitatem cum natura, si haec est infinitae

---

[26] AMBR. *De Spir. S.* III c. 18; ATHAN. *C. Arian.* 4 et 5; HILAR. *De Trinit.* VIII; EPIPH. *Haer.* 62 n. 4; GREG. Nyss. *C. Eunom.* 1; AUG. in *Joan.* tr. 36 n. 9.

[27] Ex Gen. **1.** 26; **11** 7. *(Faciamus hominem)* arguunt TERTUL. *De carne Chr.* c. 5; ATHAN. *C. Arian.* 4; BASIL. *Hexaem.* hom. 9; *De Spir. S.* c. 16; *C. Eunom.* 5; CYRIL. *Hier. Catech.* 10; AMBR. *Hexaem.* 6 c. 7; *De dign. hom.* c. 1; *De Fide* I c. 4; AUG. *De Civ. Dei* XVI c. 6 n. 1; *De Trin.* I c. 7 n. 14; CHRYS. *in Gen.* hom. 8; *C. Anom.* hom. 7; CYR. Alex. in *Joan.* I c. 2; *De Trin.* Dial. 3 et 4; FULG. *De Fide ad Petr.* n. 5. Ex Gen. **3.** 22 *(Unus ex nobis)* arguunt BASIL. *c. Eunom.* 5; AUG. *De Gen. ad Litt.* XI c. 33; CYRIL. Alex *c. Iul.* 3. — Ex trisagio angelico Isai. **6.** 3 *(Sanctus, Sanctus, Sanctus)* arguunt AMBR. *De Fide* II c. 4; FULG. *De Fide ad Petr.* n. 6.

[28] JUST. M. *Dial. c. Tryph.;* IREN. *Adv. haer.* III c. 11; TERTUL. *C. Prax.* c. 13 et 16; HIL. *De Trin.* IV n. 24; CYR. Hier. *Catech.* 10; BASIL. *C. Eunom.* 5; EPIPH. *Haer.* 9; CHRYS. in *Gen.* hom. 43 in fine; AUG. *De Civ. Dei* XVI c. 29; *De Trinit.* II c. 12 n. 21-22; *C. Jul.* etc.; CYRIL. Alex. *C. Jul.* 1.

[29] SUAREZ *De Trin.* IV c. 3 n. 7 negat absolutam veritatem principii comparatae identitatis, sed melius est distinguere, ut fecimus.

[30] S. THOM. 1 p. q. 28 a. 3.

perfectionis; secundum vero quod est *ad aliud* formalem rationem oppositionis servat, cui identitas absolute repugnat. Hinc in Deo relationes et consequenter Personae identificantur cum natura, quia sub hoc respectu rationem absoluti habent, sed ad invicem respectum relativi servant et identificari nequeunt. Quomodo infinita et simplicissima Dei substantia praeter ordinem absoluti habeat etiam oppositionem relationis, principii scil. et termini actuum cognitionis et amoris, est quidem inscrutabile mysterium, sed contradictionem non dicit [31].

ART. 5 - DE CONSUBSTANTIALITATE DIVINARUM PERSONARUM.

281. **Errores — Veritas.** Ex falsa notione personae, quam confundebant cum substantia individua, saec. 6 ASCOSNAGES et PHILIPONUS *Tritheismum* induxerunt: eundem errorem saec. 11-2 renovarunt ROSCELINUS ejusque parens ABBAS JOACHIM, necnon GUIL. PORRETANUS [1], saec. autem 19 GUNTHER et SCHELL [2]. **Veritas** saepius proposita in SYMBOLIS, quae fidem profitentur in *unum Deum* [3], contra Joachim definita est in CONC. LAT. IV: « In Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quaelibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina » [4].

THES. 30. *Pater, Filius et Spiritus S. una sunt substantia divina seu unus Deus.*

282. **Ex Scripturis** argumentum sumitur 1) ex aperta affirmatione *identitatis* divinarum Personarum in *esse* et *operari* atque ex horum corollariis, 2) ex *praesentia* Filii et Spiritus S. in Patre, et 3) ex Personarum *conversione* seu permutatione. ARGUM. 1. Identitatem τοῦ esse *naturae* Patris et Filii testatus est Christus cum ait: *Ego et Pater unum sumus* [5], et Joan. cum de Patre, Filio et Spiritu S. dixit: *hi tres unum sunt* [6]; notissimum quippe est pronomen neutrum *(unum)* sumi de natura sicut masculinum *(unus)*

---

[31] BILLOT *th.* 8 p. 405-12.

[1] Hic contrario principio erravit, distinxit nempe realiter inter *naturam* divinam et *Personam,* unde quaternitatem in Deo induxit.

[2] Supra n. 261.

[3] « Credo in unum Deum (Patrem omnipotentem... et in unum D. J. C... et in Spiritum S.) » SYMB. CP. Et in ATHAN. « Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S.; et tamen non tres dii sed unus est Deus ».

[4] CONC. LAT. IV cp. 2; cf. supra n. 267 et CONC. FLOR. *Decr. union. graec.*

[5] Joan. **10.** 30.

[6] Joan. **5.** 7.

de persona. Unitatem *operationis* divinarum Personarum testatus est Christus docens omnia, quae sunt Patris, sua esse [7], atque omniscientiam [8] et operationem ejus sibi vindicans [9]. Identitatis *corollaria* deduxit Christus affirmans Patrem odisse vel videre, qui eum oderat vel videbat [10]. De consubstantialitate Spiritus S. cum Patre et Filio non sunt tam clara testimonia, ipsa tamen colligitur ex analogia ad processionem Filii [11] et ex genitivo attributionis, quo Spiritus S. dicitur Spiritus *Patris* et *Filii* [12]; cum enim in Deo partes vel accidentia non sint, sola consubstantialitate Spiritum S. ad Deum pertinere intelligitur. ARGUM. 2 *(Ex praesentia Filii et Spiritus S. in Patre)*. Nam attenta divina simplicitate repugnat aliquid esse in Deo tamquam accidens receptum in subiecto : quod ergo est *in Deo* nonnisi per identitatem invenitur, et quia identitas esse nequit in Personis, profecto est in substantia seu nautra. Atqui de Filio legimus quod est *apud Deum* et *in sinu Patris* [13], de Spiritu S. vero quod est *in Deo* sicut anima in homine [14]. Ergo. ARGUM. 3 *(Ex Personarum conversione)*. Nam Scriptura aliquando operationem, quam initio sermonis tribuit uni Personae, dein de altera praedicat, quod non liceret, si in operatione ac proinde in natura divinae Personae non identificarentur. Sic in epistola I ad *Corinth.* [15] « Apostolus, ut spirituales, i. e. eos qui Spiritum acceperunt, non posse dijudicari demonstret, in Majore assumit verba Scripturae, in quibus de *sapientia Domini* (יְהוָה) agitur, in Minore nos *sapientiam Christi* habere asserit, unde in conclusione, quam non exprimit, eos qui *sapientiam Spiritus* habent, non diju-

[7] *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* Joan. **17.** 10.

[8] *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius.* Matth. **11.** 27; Joan. **10.** 15.

[9] *Quaecumque ille* (Pater) *fecerit et Filius similiter facit.* Joan. **5.** 19; **9.** 4; **10.** 37; etc.

[10] *Qui me odit, et Patrem meum odit.* Joan. **15.** 23. *Qui videt me, videt et Patrem.* Joan. **14.** 9.

[11] Scil. si Filius, qui *ex Deo* est (Joan. **16.** 27-8; **17.** 8), et a Patre *procedit* (Joan. **8.** 42), consubstantialis est Patri, ei consubstantialis est et Spiritus S. qui pari ratione *ex Deo* est (1 Corinth. **2.** 12), et a Patre *procedit* (Joan. **16.** 26).

[12] Matth. **10.** 20; Luc. **4.** 18; Rom. **8.** 9; 1 Corinth. **2.** 11; etc.

[13] Joan. **1.** 1; 18.

[14] *Quis hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui* IN IPSO *est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei* (subintellige : qui *in ipso est*). 1 Corinth. **2.** 11.

[15] 1 Corinth. **2.** 12-6.

dicari posse deducit : ergo una eademque sapientia est Domini (יְהוָה), Christi, Spiritus S. » [16]. — **Patres** divinarum Personarum consubstantialitatem non solum *a)* expresse docent, sed *b)* illustrant exemplis et *c)* ex pluribus Scripturae testimoniis evincunt. Revera *a)* ut a polytheismi crimine, de quo ab arianis incusabantur, se expurgarent, saepe unitatem trium Personarum affirmarunt [17], addentes hanc unitatem esse *realem* « extra significantiam sermonis, extra sensus intentionem, extra intelligentiae conceptionem » [18], *non specificam* tantum quomodo tres statuae aureae sunt unum aurum, sed *naturae,* ita ut qui audit « Patrem *solum Deum,* non separet inde Filium aut Spiritum S.; cum eo quippe solus Deus, cum quo et *unus* Deus... atque dicat *unam essentiam,* ut non existimet aliud alio, vel majus, vel melius, vel aliqua ex parte diversum » [19]. *b)* Illustrant exemplis. Licet enim qui voluerunt « unam eandemque substantiam » divinae Trinitatis communibus conceptibus metiri, multum erraverint [20], tamen non desunt aptae imagines consubstantialitatis Personarum. Sicut enim eadem est aqua fontis et fluvii, « ita divinitas, quae ex Patre transfunditur in Filium..., perenniter et sine divisione continuatur » [21]; et si memoria, intellectus et voluntas uniuntur in anima [22] pluraque alia, quae diversa sunt, unum quoddam constituunt, « quanto magis Pater et Filius in divinitate *unum* sunt, ubi nec substantiae, nec voluntatis ulla est differentia » [23]. *c)* Porro trium Personarum consubstantialitatem probant : *ex unitate Dei* quam Moyses saepe praedicavit [24] : *ex singularitate nominis Dei,* siquidem « *Deum* Patrem, *Deum* Filium, *Deum* Spiritum S., non *deos* appellamus » [25]; « non *duos* (autem) deos commemorat *nomen*

---

[16] Cornely in *h. l.* p. 72.

[17] Hilar. *De Trin.* VI et IX; in *Ps.* **122**; Athan. *C. Arian.* or. 5; *Exposit. Fidei;* Basil. *C. Eunom.* 3; *epis.* 43; Greg. Naz. *or.* 12 et 13; Epiph. *Haer.* 57 n. 4; Ambr. *De div. Filii;* Aug. *De Trin.* I c. 4 et alibi saepe; Cyril. Alex. *c. Iul.; De Trin.* dial. 3.

[18] Hilar. *De Trin.* 2; Grez. Naz. *or.* 37.

[19] Aug. *De Trinit.* VII c. 6 n. 11-2.

[20] Multi, inquit. Aug. *De agone chr.* c. 15, « phantasmatibus suis illuduntur; quia solent videre corporaliter vel animalia tria, vel quaecumque corpora tria locis suis esse separata, sic putant intelligendum substantiam Dei, et multum errant ».

[21] Athan. *Expl. Fidei.*

[22] Ambr. *De dign. cond. hum.* c. 2.

[23] Ambr. *De Fide* I c. 2 cir. med.

[24] Cyril. *c. Jul.* c. 4.

[25] Epiph. in *Ancor.* n. 6.

unum, quia unius atque indifferentis naturae unum *Deus* nomen est »[26] : *ex theophania in convalle Mambre*, cum Abraham tres angelos, qui Deum repraesentabant, vidit, sed unum adoravit[27] : *ex unione cum Patre* siquidem cum dicitur de Verbo quod erat « *apud Deum*, sempiternae divinitatis in Patre et Filio *inseparabilis unitas* docetur, ut erubescat Eudoxius et Eunomius »[28], cum vero Spiritus S. comparatur animae nostrae, quae in nobis est, docetur « *unitas naturalis*, per quam sic est *in Deo* Spiritus ejus, ut *unus sit cum illo* naturaliter Deus »[29] : *ex identitate* a Scriptura explicite praedicata cum Christus dixit se *unum* esse cum Patre[30] et implicite expressa cum ait Patrem videre qui Filium videt[31], scil. « qui meam substantiam videt, videt et Patris »[32] : *ex processionibus*, nam « sicut (divina substantia) generando minui dividique non potuit, ita in se tota permanens totam se coaeternae veritati indulsit »[33] ; unde « quod ad essentiam attinet *idem sunt*, quoniam *ex* Patre Filius est non imperio factus, sed natura genitus »[34] : *ex unitate operationis* « quorum (enim) sunt eaedem operationes eorum et *una est substantia* »[35]. — **Ratio** sumitur cum Patribus ex unitate Dei et ex Personarum processione. *Ex unitate Dei* quia trinitas substantiae multitudinem deorum induceret, quod supra

---

[26] HILAR. *De Trin.* VII ; AUG. *Enarr.* 1 in *Ps.* **68** ; GAUD. Brix. *De Exodo* serm. 7.

[27] HIL. *De Trin.* IV ; AUG. *De Trin.* II c. 11 n. 20 ; CYRIL. Alex. *C. Jul.* 1.

[28] AMBR. *De Fide* I c. 5 ; CYRIL. in *Joan.* 1 c. 5.

[29] FULG. *Resp. ad Ferr.* resp. 1 n. 10.

[30] Joan. **10**. 30. ATHAN. *C. Arian.* 4 et 5 ; HIL. *De Trin.* VIII ; AMBR. *De Spir. S.* III c. 18 ; EPIPH. *haer.* 62 n. 4 ; GREG. Nyss. *C. Eunom.* 1 ; AUG. in *Joan.* tr. 36 n. 9 ; 110 n. 1 ; FULG. *C. Arian.* resp. 7.

[31] Joan. **14**. 9.

[32] CHRYS. in *Joan.* hom. 73.

[33] FULG. *C. Arian.* resp. 7.

[34] BASIL. *C. Sabell.* or. 27 ; ATHAN. *C. Arian.* or. 5 ; AMBR. *De dign. cond. hum.* c. 2 ; HILAR. *De Trinit.* I et VII et alias ; GREG. Naz. *or.* 32 ; 37 ; GREG. Nyss. or. ad *Ablab.* ; EPIPH. *Haer.* 57 n. 5 ; DAMASC. *De Fide Orth.* I c. 11.

[35] BAS. *C. Eunom.* 2 ; ATHAN. epist. *ad Serap.* ; HILAR. *De Trin.* IX ; AMBR. *De Fide* I c. 2 ; IV c. 3 cir. med. ; GREG. Naz. *Or.* 13 ; GREG. Nyss. *Or.* 3 in orat. dom. ; CHRYS. in *Joan.* hom. 61 ; AUG. in *Joan. tr.* 20 n. 9 et 13 ; in *Ps.* **108** n. 23 ; *De verb. Dom.* 63 c. 5 n. 14 ; CYRIL. in *Joan.* VII c. 10 ; *Thes.* 14 ; DAMASC. *De Fide Orth.* I c. 11 ; *De duab. volun. Chr.* — NB. Generatim Patres loquuntur de unitate operationis Filii et Patris, aliquando tamen expresse id efferunt de tota Trinitate ; « inseparabilia namque sunt opera, non solum Patris et Filii verum etiam Spiritus S. ». AUG. in *Joan.* tract. 110 n. 3 ; *De verb. Dom.* 11 c. 16 (alias 71 n. 26).

improbatum est: *ex processione* quia persona procedens, si non esset a suo principio communicatione ipsiusmet substantiae, ab eadem foret divisione substantiae vel productione novae; primum autem obstat divinae simplicitati, alterum Filium et Spiritum S. creaturas faceret [36].

283. **SOLVITUR DIFFICULTAS.** Personarum unio assimilatur unioni justorum inter se [37] et cum Christo [38]: atqui haec est *extrinseca:* ergo. **Resp.** Omnis similitudo claudicat; sicut ergo comparatio nostrae perfectionis cum divina [39] aequalitatem non infert, ita nec comparatio unionis fidelium cum unitate divinarum Personarum. « Pater et Filius, inquit CYRIL., se invicem immeantes, ac sibi intime immanentes, unum sunt *unitate naturae,* quae quidem suprema est et omnium verissima: cujus *assimilationem propinquam* discipulis dari per insitionem [40] cum Deo Christus hic petit » [41]. Porro differentiam unionis nostrae ab unione divinarum Personarum, ut notat AUG., Scripturae innuunt nostram unitatem dicentes *spiritus, cordis, animae, corporis,* etc. [42], dum de divinis Personis absolute praedicant quod *unum* sunt; « ubi autem dicitur de duobus aut pluribus *unum sunt,* nec additur *quid* unum sint, nec diversae intelliguntur sed unius esse substantiae » [43]. Ceterum neque concedendum est justos in Christo ab extrinseco tantum uniri; ut enim videbimus in tractatu *De Gratia,* illa unio est realis et intima, « quae longe superior est et sublimior, quam unio per amorem et concordiam voluntatum » [44].

ART. 6 - DE EXPLICITA TRINITATIS CONFESSIONE.

284. **Errores — Veritas.** Antiqui haeretici divinitatem, distinctionem et consubstantialitatem divinarum Personarum impugnarunt, sed Christum revelasse Patrem, Filium et Spiritum S. non negarunt; MODERNISTAE ex principio evolutionis dixerunt Christum initio notionem tantum divinitatis Patris habuisse, sub fine vero vitae in confusam ideam suae divinitatis devenisse, penitus autem ignorasse Spiritum S., qui personificatione virtutis thaumaturgae

---

[36] Cf. S. THOM. 1 p. q. 42 a. 1 et 5.

[37] Joan. **17.** 21.

[38] Joan. **15.** 4.

[39] *Estote perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Matth. **5.** 48.

[40] Scil. per unionem, qua inserimur Christo, ut oleaster bonae olivae.

[41] CYRIL. Alex. in *Joan.* 7 c. 10.

[42] Act. **4.** 32; Rom. **12.** 5; 1 Corinth. **6.** 17; Ephes. **4.** 3 sqq.; etc.

[43] AUG. *C. Maxim. arian.* II c. 20 n. 1.

[44] CYRIL. Alex. in *Joan.* 7 c. 10.

ex palingenesis expectationae manifestatae, sub fine saec. 1 christiana experientia innotuit, et saec. 3-5 sub ratione divinae Personae consubstantialis Patri et Filio est perceptus [1]. **Veritas** continetur in dogmate de revelatione completa in Apostolis, quod indirecte saltem propositum est in CONC. VATIC. [2], et in condemnatione evolutionismi quem PIUS X definivit : « Sophismatum coacervatio infinita, quae religionem omnem pessumdat et delet » [3].

THES. 31. *Explicita divinae Trinitatis professio, et — 1 in Scripturis et — 2 apud Patres antenicaenos testimonium habet.*

285. **Prima pars.** *Clara Trinitatis dogmatis confessio extat in Scripturis.* Revera Scripturae non solum separatim loquuntur de divinitate uniuscujusque Personae, sed aliquando simul commemorant divinam unitatem et Trinitatem ; duo autem sunt praecipua testimonia, forma scil. baptismi : *Docete omnes gentes : baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus S.*, et verba Joannis : *Tres sunt qui testimonium dant in coelo : Pater, Verbum et Spiritus S., et hi tres unum sunt* [4]. **Testimon. 1.** De authentia testimonii Matthaei dubitari non potest, siquidem desumitur ex evangelio authentico [5] et extat in omnibus codicibus omnibusque versionibus [6]. Porro *Patrem, Filium et Spiritum S.* in testimonio recitato *a)* esse PERSONAS, constat *ex natura rei*, siquidem pater et filius apud omnes sunt nomina personalia [7], et *ex verbis* ipsis, nam *baptizare in nomine alicujus* est « eidem consecrari, eidem devoveri, ei mancipari, vel ejus fieri, in ejus tradi obedientiam, auctoritatem... communionem » [8], consecratio vero alicujus fieri nequit rebus inanimatis vel partibus et attributis entium rationalium, sed personis, quae semper habitae sunt subjectum cultus : *b)* esse personas DIVINAS constat *ex connumeratione* cum Patre, de cujus divinitate nemo ambigit, et quia agitur de *sanctificatione*, qua spiritualiter renascimur in regno Dei [9], nec quisque naturae viribus potest nasci denuo vel justificari, sed sola divina virtute [10] : *c)* esse personas DISTIN-

---

[1] Vol. 1 n. 497, supra n. 261.

[2] CONC. VATIC. *Past.* cp. 4 ; Vol. 1 n. 494.

[3] PIUS X Enc. *Pascendi.*

[4] Matth. **28.** 19 ; 1 Joan. **5.** 7.

[5] Vol. 1 n. 135 sqq.

[6] CORNELY *C. Int. in Sacr. Scr.* Diss. 7 § 2 n. 2 sqq.

[7] Supra n. 278.

[8] KNAB. in *Matth.* II p. 563.

[9] Cf. Joan. **3.** 5.

[10] BASIL. *c. Eunom.* 5 c. 10 ; AMBR. *De Spir. S.* I c. 3 ; GREG. Naz. carm. 3 *Arcan.* ; EPIPH. *Haer.* 74.

CTAS inde patet quod Pater et Filius sunt nomina *relativa,* et quia *simul* connumerantur atque part. *et* conjunguntur : [11] *d)* non esse autem tres naturas sed UNAM SUBSTANTIAM, apparet ex singularitate vocis in *nomine;* nomen quippe essentiam rei, prout a nobis cognoscitur, exprimit; unde baptizamur *in nomine* (Patris, et Filii et Spiritus S.) « quia *unus* Deus : non plura nomina, quia non duo dii, non tres dii : et ut aperiret quia una divinitas, una majestas est, quia *unum nomen* Patris et Filii et Spiritus S. » [12]. **Testimon. 2.** De authetia testimonii Joan. disputabatur [13], sed merito C. S. U. I negavit in dubium *tuto* posse vocari [14]. Ut enim praescindamus a definitione CONC. TRID. quod Vulgatam authenticam dixit cum *omnibus suis partibus* [15]; nostrum testimonium uti Scripturae adhibuerunt TERTUL., CYPR., AUG., [16] EUGEN. atque 450 episcopi in *professione fidei* oblata regi ariano Hunnerico (a. 484), ex quo concluditur fuisse in VETERI ITALA (saec. 2); a saec. vero 7 extat in *Vulgata* et a saec. 9 in *Liturgia.* Accedit contextus, siquidem *hi tres* v. 8 generis masculini dictum de spiritu, aqua et sanguine, non explicatur nisi ex analogia ad *hi tres* v. 7 [17]. Porro, testimonii authentia admissa, argumentum sat facile concluditur. Profecto in eo agitur de PERSONIS, quia Pater, Verbum et Spiritus S. testimonium *reddunt* et *connumerantur:* agitur de Personis DIVINIS, quia Joannes inducit testimonium coeleste, et quia nemo dubitat de divinitate Patris : agitur de Personis DISTINCTIS quia connumerantur, uniuntur part. *et,* et computantur adjectivo numerali *(hi tres):* agitur de Personarum CONSUBSTANTIALITATE, quia vera lectio

---

[11] ATHAN. *C. Arianos* or. 3; BASIL. *C. Sabell.* hom. 27; GREG. Naz. or. 13; ISID. Pelus. 1 cp. 109. Supra n. 278.

[12] AMBR. *De Spir. S.* 1 c. 14; AUG. in *Joan.* tr. 6 n. 9.

[13] CORNELY *Intr. in S. Scrip.* III p. 668-82.

[14] S. C. U. I. 15 *Jan.* 1897. In *Scuola Cattolica* sett. 1902 BONACCORSI auctoritate *Card. Waughan* hoc decretum infirmare conatur; sed nulla est vera ratio quae a debito interni assensus exoneret. Cf. Vol. 1 n. 479.

[15] CONC. TRID. sess. 4. NB. Etiam dato (CORNELY *C. Intr. in Sacr. S.* Diss. II c. 5 § 18 n. 5) noluisse CONC. TRID. definire textus dubios apud catholicos, non infirmatur argumentum, siquidem a saec. 9 noster vers. *communiter* est receptus. Neque est paritas cum 1 Corinth. **15.** 51, ubi contra lectionem Vulgatae non est tantum silentium, sed diversus modus legendi apud graecos, et apud latinos.

[16] CORNELY *Intr. l. c.* dubitat num hi vere respexerint ad 1 Joan. **5.** 7, communissime tamen affirmant.

[17] FRANZ. *th. 4* p. 41-79; PESCH. n. 463-7.

non habet εἰς τὸ ἕν ἐισι *(in unum* scil. *testimonium)*, sed ἕν ἐισι *(unum sunt* scil. *re, substantia, natura)*; quia est manifestus parallelismus cum verbis Christi *Ego et Pater unum sumus* [18]; et quia repugnat pluralitas deorum, quae sequeretur unitatem solius societatis.

286. **Secunda pars.** *Etiam Patres antenicaeni dogma divinae Trinitatis agnoverunt et confessi sunt.* **Argum. 1** *(Ex Patribus postnicaenis)*. Nam Patres Postnicaeni doctrinam de Trinitate non proposuerunt quasi *novam,* etsi ex Scripturis deductam, sed uti sententiam comprobatam « *veteri traditione,* doctrinaque ac fide catholicae Ecclesiae, quam scil. Dominus tradidit, Apostoli praedicavere, et *Patres servavere* » [19]; unde provocant adversarios ad afferenda testimonia quae eis faveant, certi quod « omnes... (ab iis) abhorrent praeter unum diabolum » [20]. Quare CONC. CP. I vult ut teneatur fides Nicaena, quia « *antiquissima* et baptismo consentanea, docens nos credere in nomine Patris et Filii et Spiritus S., in tribus perfectis hypostasibus sive in tribus perfectis personis » [21]. **Argum. 2.** *(Ex monumentis)* Profecto dogma Trinitatis testantur: FORMA BAPTISMATIS cujus antiquissimam existentiam docent DOCTR. 12 APOST., JUST. M., ORIG., TERTUL., CYPR. [22], ita ut AUG. dicere potuerit quod « facilius inveniuntur haeretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent » [23]: SYMBOLA quae fidem profitentur in Deum *(Patrem...* et in *J. C. D. N...* et in *Spiritum S.)* quaeque apostolica tempora tangere probant historici [24]: DOXOLOGIA *(Gloria Patri et Filio et Spiritui S.)* « quam, ait BASIL., qui *ab initio praescripserunt* tradideruntque posteris, usu simul cum tempore semper progrediente per longam consuetudinem in ecclesiis firmaverunt » [25]: EPITAPHIA CATACUMBARUM quarum antiquissimum (saec. 2) de quodam Jucundiano ait quod « vivit in Patre et Filio et Spiritu S. » [26]: ACTA MARTY-

[18] Joan. **10**. 30.

[19] ATHAN. *ad Serap.* ep. 1. n. 28.

[20] ATHAN. *De Decr. nic.* n. 27. Similia habent ORIG. in *Joan.* t. 2; AUG. *De Trin.* I c. 4.

[21] CONC. CP. I apud *Harduin* tom. 1 p. 295.

[22] DOCT. 12 APOST. c. 7; JUST. M. *Apol.* I n. 61; ORIG. in *Rom.* V n. 8; CYPR. ep. 73 ad *Jub.* n. 12.

[23] AUG. *De Bapt.* VI c. 25 n. 47.

[24] HERGENR. I p. 96 not.

[25] BASIL. *De Spir. S.* c. 29 n. 71.

[26] Vide Appendicem. Hujus testimonii magna est auctoritas, siquidem inscriptiones coemeteriales illa tantum dogmata exprimunt, quae communi ore confitebantur. Cf. P. SIX. *Not. Arch.* II p. 1 p. 75, 83.

RUM [27] quae referunt *Polycarpum* († 155), *Epodium* († 178), *Vincentium* (304), *Euplum* († 304), *Afram* († 304) coram tyramnos Trinitatem esse confessos [28], *Pionium* vero et *Tarachum* divinitatem Patris et Filii [29]. **Argum. 3** *(Ex Patrum scriptis)*. Licet enim pauca Patrum volumina ad nos usque pervenerint, sancta Trinitas testes habet in *saec.* 1 Epist. BARNABAE, CLEM. Rom., IGNAT. M., in *saec.* 2 HERMAM, POLYCARP., JUST. M., ATHEN., THEOPH., IREN., in *saec.* 3 CLEM. Alex., HIPPOL., ORIG., TERTUL., CYPR., DIONYS. Alex., DIONYS. papam, GREG. Thaum. [30]. Ut aliquos audiamus, CLEM. R. affirmat quod « Deus vivit, et D. J. C. vivit, et Spiritus S., fides et spes electorum » . IUST. M. : « Atheos quidem non esse confitemur, si de opinatis hujusmodi diis agatur; secus vero si de ... *Patre,* nulla admixto vitiositate Deo. Sed eum et *Filium* qui ab eo venit... et *Spiritum* propheticum colimus et adoramus ». IREN. : « Fidem ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quae est in unum *Deum Patrem* omnipotentem... et in unum *J. C. F. D...* et in *Spiritum S...* cum acceperit... Ecclesia... diligenter custodit ». Similiter ORIG. « *Didicimus* credere *tres* esse hypostases, Patrem, Filium et Spiritum S. » [31].

---

[27] Etsi *acta martyrum,* quae supersunt, non sint ipsa autographa de mandatu episcoporum a notariis exarata, plura tamen ex illis vel ex actibus proconsularibus sunt derivata, unde a criticis authentica habentur. P. SIXT. *l. c.* I p. 18 sqq.

[28] Sic v. g. S. EPODIUS ait : « Christum cum Patre et Spiritu S. Deum esse confiteor, dignumque est, ut illi animam meam refundam, qui mihi creator est et Redemptor ».

[29] POLYC. *Acta* 14. 3 *Migne* P. G. t. 5 c. 1040. Cf. *Funck* 1. 299; EPOD. *Ruinart.* Act. Mar. *ed. Veron.* p. 65 n. 6; PION. *l. c.* p. 122; VINC. *l. c.* p. 326; EUPL. *l. c.* p. 362; AFR. *l. c.* p. 401; TARAC. *l. c.* p. 377. Cf. FRANZ. p. 157-9; PESCH n. 478; JANSSENS III p. 173-4.

[30] *Epist.* BARNABAE I. 3 coll. V. 5 etc.; CLEM. R. ad *Corinth.* n. 46; IGNAT. M. *ep. ad Magn.* n. 13; *ad Eph.* 7. 9.; *ad Polyc.* 3; *ad Simp.* 13 etc.; HERM. *Pastor* I. 12, III; POLYC. *Ep. Smyrn.* n. 14; JUST. M. *Apol.* 1. n. 6; n. 13; *Dial. c. Tryph.* n. 56; ATHEN. *Leg. pro chr.* n. 10, 12, 24; THEOPH. *ad Autol.* II. 15, 18, 22; IREN. *Adv. haer.* I c. 10 n. 1; III c. 18 n. 4; IV c. 20 n. 3; CLEM. Alex. *Pedag.* VI; *Cohort. ad gent.* c. 10; HIPPOLY. *C. Noët.* n. 8; ORIG. in *Joan.* tr. 2; in *Matth.;* in *Rom.* 1. 8 n. 5; *De princ.* 4. 28; TERTUL. *Adv. Prax.* c. 2; *De Pudic.* c. 21; CYPR. ep. *ad Jubal.* n. 12; DIONYS. Alex. in epist. *Athan.* apud Migne tom. 25; DIONYS. Papa apud *Athan.* De Decr. Nic. n. 26. Cf. PETAV. *De Trin.* I praef. c. 2-5; FRANZ. p. 146 sqq.; BILLOT p. 468 sqq.; PESCH n. 479; JANSS. p. 178 sqq.

[31] Citationes prostant in n. praec. Cf. etiam n. 261 not. 50.

287. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Scripturae allatae nil probant, quia contra testimonium Matth., Actus docent primis Ecclesiae temporibus christianos esse baptizatos in *nomine Christi* [32]; testimonium vero Joan. *a)* deest fere in omnibus *codicibus graecis: b)* desideratur in antiquioribus *Vulgatae,* necnon in versionibus *Peschito, Philoxeniana,* et *Copticis: c)* non invenitur apud *Patres graecos,* qui ex professo testimonia pro veritate SS. Trinitatis collegerunt [33]. **Resp.** Actus non loquuntur de *forma* sed de *effectu* baptismi, quo homines Christo incorporantur [34]. Quod attinet ad argumenta contra testimonium Joannis respondemus *a)* codices graecos etiam magnae notae omittere alias particulas canonicas [35]; *b)* majorem codicum graec. partem deberi EUSEB. Caesar. curatori codicum bizantinorum [36], qui Theodori Mopsuesteni amicus arianorumque fautor de industria praeterire potuit versiculum illorum haeresi contrarium; *c)* vers. 7 et 8 esse *homojoteleutos* [37], ac proinde amanuenses a prima v. 7 parte ad secundam v. 8 facile transilire potuisse; *d)* Patres vero graecos divinitatem Christi et Spiritus S. potius ex particularibus testimoniis, quam ex generalibus, evincere solere; unde sicut saepe reticent testimonium Matth., ita praeterire potuerunt verba Joannis [38].

288. **Objic. 2.** Patres antenicaeni Patrem, Filium et Spiritum S. vel cum ATHEN. et THEOPH. quasi diversas *manifestationes ejusdem Personae* habebant, vel cum HERMA, JUST. M., IREN. et HIPPOL. Filium et Spiritum S. dicebant *ministros* Patris [39]: ergo verum Trinitatis dogma ignorarunt. **Resp.** Cum priorum Patrum opera fere interierint, eorum sententiam a subsequentium potius testimonio quam ab illorum scriptis nosse debemus; atqui AUG. testatur: « Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate quae Deus est,... hoc intenderunt secundum Scripturas docere quod Pater et Filius et Spiritus S. unius ejusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuarent unitatem... quamvis... Filius non sit qui Pater est... Spiritusque S. nec Pater sit, nec Filius » [40]. Ceterum nota *a)* difficultates sumi non

---

[32] LOISY *Autour* etc. p. 232; ANONYM. *Il progr.* p. 82 ex Act. **8**. 12, 16; **10**. 48; **19**. 5.

[33] CORNELY *Intr. in Sacr. S.* III p. 670 sqq.

[34] Hanc difficultatem solvemus in tr. de *Baptismo.*

[35] Cf. CORNELY *C. Intr. in Sacr. S.* Diss. II § 6 n. 4; Diss. VII § 3 n. 5; § 4 n. 5, etc.

[36] CORNELY *l. c.* Diss. II § 6 n. 3-4.

[37] H. e. eodem modo finientes.

[38] Cf. FRANZ. *th.* 4 p. 41-79.

[39] ATHEN. *Leg. pro chr.* c. 8 n. 9; THEOPH. *Ad Autolyc.* II n. 10, 22; HERM. *Sim.* V c. 5, 6, VIII c. 3, IX c. 1, 6, 12 (apud *Hergenr.* I p. 255); JUST. M. *C. Tryph.* n. 61; HIPP. *C. haer. Noët.* c. 10; IREN. *Adv. haer.* IV c. 7.

[40] AUG. *De Trinit.* I n. 7.

ex catechesibus ad populum, sed ex operibus scientificis, quibus ex philosophiae placitis mysterii analogias et imagines Patres quaerunt [41]; nil ergo mirum quod potius per *appropriationem,* quam per *proprietatem,* loquantur [42]. Accedit quod saepe polemice contra haereticos scribunt; « ex ipso (autem) pugnae ardore cum determinatis adversariis, nisi caveantur, excidunt facillime quaedam locutiones utique efficacissimae contra eos, minus autem cautae, si de opposito errore mox depellendo agatur » [43]. *c)* Adde etiam nomina *personae* et *naturae* ante saec. 4 non habuisse definitam significationem [44]; ex solis igitur vocibus a contextu avulsis nil concluditur. Tandem *d)* « fieri potest ut vel simpliciter (quidam) erraverint... [45], vel *e)* a librariis imperitis eorum paullatim scripta corrupta sint; *f)* vel certe antequam in Alexandria quasi daemonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quaedam et minus caute loquuti sint, et quae non possint perversorum hominum calumniam declinare » [46].

CAPUT II.

De processionibus et relationibus divinis.

289. **Capitis divisio.** Ad intimiorem mysterii divinae Trinitatis considerationem accedentes, quaerimus cur divina natura exigat Personarum trinitatem et quomodo unica substantia tribus distinctis personis possit convenire: secundam quaestionem fides aperte solvit dicens Filium et Spiritum S. non causari a Patre, sed *procedere* communicatione suae naturae; primam innuit exhibens Filium terminum divinae *intellectionis,* et Spiritum S. *terminum* divini amoris. Ex fide assumpta notitia divinarum processionum, corollaria deducemus de mutuo respectu divinarum Personarum, duobus articulis — 1 *De processionibus* — et — 2 *De relationibus divinis* — caput absolventes.

---

[41] Cum Patres dogmata scientifice explicant, non absolutae esse auctoritatis vidimus agentes de *Traditione* Vol. 1 n. 599.

[42] BILLOT *De Trad.* p. 56 sqq.

[43] JANSSENS III p. 199.

[44] Supra n. 261 not. 50.

[45] Hoc tamen JANS. p. 170 non concedit.

[46] HIER. *Adv. Ruf.* II n. 17. Cf. FRANZ. p. 162-167; BILLOT *De Trad.* c. 1. p. 55-64; PESCH 481; JANSSENS 198 sqq.

ART. 1 - DE PROCESSIONIBUS DIVINIS.

290. **Quid processio.** « Nomen *processionis* primo est inventum ad significandum motum localem, secundum quem aliquid ordinate *ab uno loco per media in extremum transit.* Et ex hoc transumptum est ad significandum omne illud in quo est *ordo unius ex alio* vel post aliud » [1]. Porro ex alio aliquid esse potest per meram *successionem* vel per quamdam *emanationem:* in quaestione de processionibus divinis de emanatione agitur, unde *processio* definitur : *origo unius ex alio.*

291. **Quotuplex processio.** Processio dividitur secundum *rem* quae procedit, et secundum *subjectum* in quo procedens recipitur : primo modo habetur processio *ad modum operati* et *ad modum operationis,* altero datur processio *immanens* et *transiens.* Ad intellectionem primae distinctionis ex philosophia revocari debet agens creatum attingere terminum *mediante operatione* quae fluit ab agente et recipitur in passo [2]; in operatione ergo creaturae duplex est processio seu emanatio : *rei* quae fit, v. g. domus, et *operationis,* qua res efficitur, scil. ipsa aedificatio. *Res,* quae procedit, dicitur esse ab agente *ad modum operati;* ipsa *operatio* est ab agente *ad modum* (ad instar) *operationis* [3]. Si consideramus subjectum, in quo terminus operationis recipitur, invenimus eum aliquando constitui *extra agentem,* aliquando *in ipso* manere : cum primum contingit processio est *transiens,* cum alterum *immanens* [4]. Valde autem inter se differunt hae processiones; quippe terminus pro-

---

[1] S. THOM. *De Potent.* q. 10 a. 1.

[2] Actio tripliciter sumitur : *principiative* prout fluit ab agente, *terminative* prout recipitur in passo, *formaliter* prout est motus quo agens attingit passum. *Primo* modo actio et passio *re* differunt quia actio est modificatio quaedam agentis, qui transivit de potentia in actum, dum passio est modificatio patientis (S. THOM. 2 *Dist.* 40 a. 4 ad 1); *secundo* modo identificantur *re* et *ratione,* quia actio terminative inspecta est ipsamet modificatio termini in quo recipitur : *tertio* modo *re* identificantur, sed differunt *ratione;* identificantur *re* quia unus est motus (quo obtinetur effectus) qui prout fluit ab agente dicitur actio, prout recipitur in passo dicitur passio : differunt *ratione,* quia cum dico *passionem* signo ordinem ad terminum in quo motus recipitur, qui quidem ordo ab *actione* formaliter inspecta non exprimitur. ARIST. *Phys.* 8 tex. 20 et 21; S. THOM. 1 p. q. 28 a. 3 ad 1 ; q. 41 a. 1 ad 2; q. 45 a. 2 ad 2; *Opusc.* 48 *Log. Sum.* tr. 6 c. 5; TIL. PESCH *Inst. Logic.* n. 1559; SCHIFFINI *De Princ. Phil.* n. 79.

[3] S. THOM. *De Verit.* q. 4 a. 2 a. 7.

[4] Exemplum processionis *transeuntis* habes in aedificatione domus, *immanentis* in idea domus quam concipit architectus.

cessionis transeuntis essentialiter est *causatus,* immanentis vero etiam *infectus.* Terminus processionis transeuntis essentialiter est causatus, seu de novo effectus, quia secus identificari deberet agenti, qui ponens terminum suae operationis extra se, se ipsum extra se constitueret, quo nil absurdius. At operatio immanens non ordinatur ad novam subsistentiam, sed potius ad perfectionem agentis; unde si agens ex sese habet quidquid perfectionis ex termino mutuare deberet, vel nullus terminus erit, vel sine effectione proprie dicta procedet [5]. — Quod in nostra operatione etiam immanenti terminus sit causatus, non est ex natura operationis immanentis, sed quia *operatum* in nobis procedit per *operationem,* quae est *accidens,* et repugnat quod *operatum* procedens accidente non sit causatum [6].

292. **Quid generatio.** GENERATIO est processio propria viventis, et definitur : *Origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae* [7]. Primum verbum exprimit *genericam* notionem processionis, cetera determinant propriam naturam processionis generativae, ideoque spectant ad *differentiam specificam,* quae tribus notis absolvitur. Prima nota est quod uterque terminus (pater et filius) *vivat;* unde artifex non dicitur generare sed efficere statuam : secunda quod terminus generationis saltem initio consubstantialis fuerit [8] generanti *(principio conjuncto);* unde homo de nihilo effectus ad imaginem Dei, non dicitur genitus a Deo sed creatus : tertia quod actio, qua terminus procedit, sit talis ut *primo* et *per se,* h. e. ex propria ratione inducat similitudinem naturae cum generante *(in similitudinem naturae* [9]*);* unde si Adam acce-

[5] In beatifica visione probabiliter est processio *operationis* sine processione *termini* seu verbi : in Deo est processus *termini* sine processione *operationis.*

[6] Nam *operatum* est saltem origine posterius suo principio; si itaque principium proximum operati (h. e. *operatio*) est causatum, profecto etiam operatum erit causatum; siquidem nihil suo principio nobilius est. BILLOT p. 320 sqq.; JANSSENS tom. 3 p. 20 sqq.

[7] TIL. PESCH *Inst. Psyc.* n. 50.

[8] « Nota bene quid sit *principium conjunctum.* Est principium aliquo pacto consubstantiale, inquantum videlicet vel natura generantis communicatur numero eadem generato, vel certe ex unius substantia natura alterius propagatur. Genitum enim oportet esse non solum oriens *a* generante, sed etiam *de* substantia ejus existens ». BILLOT p. 347.

[9] *Ablativus,* ut noscimus ex grammatica, statum indicat, accusativus motum : *origo* ergo *in similitudine* naturae adest cum terminus convenit in natura cum suo principio; origo *in similitudinem naturae* habetur cum similitudo non solum *per accidens* et *consequenter,* sed *primo* et *per se,* h. e. ex ipsa natura operationis, ex qua oritur, mutuatur similitudinem cum suo principio.

pisset a Deo virtutem producendi miraculose de sua costa Evam nondum pater ejus posset vocari.

293. **De processione intellectus.** Cum divinarum Personarum processiones sint *ab intra,* considerare oportet nostras processiones immanentes, quae sunt duae, *intellectus* scil. et *voluntatis* [10]. Genesis nostrae intellectionis, ut ex philosophia supponimus, haec est: objectum materiale mediantibus potentiis sensitivis excitat *imaginem* sui in phantasia, ex qua illuminativa operatione *intellectus agentis* abstrahitur *species impressa;* haec in intellectu possibili recipitur et ipsum determinat ad intellectionem, qua producitur *verbum* mentis, *in quo* intellectus conspicit seu intelligit objectum [11]. Ex his patet quod in nostra intellectione est duplex processio immanens, scil. *intellectionis* quae est actualitas intellectus, et *verbi mentis* quod est accidens, rem quasi in speculo repraesentans [12]: prima processio est *ad modum operationis,* altera *ad modum operati* [13].

294. **De processione voluntatis.** Proprius voluntatis actus est *amor* [14]; sicut autem intellectio contingit secundum quod cognitum est in intelligente, ita amor secundum quod amatum est in amante. Aliter tamen se habet cognitum in intelligente et amatum in amante; cognitum enim est in intelligente per suam imaginem seu *repraesentative,* amatum est in amante *per affectum;* et dum in intellectione intelligens *in se* recipit objectum intellectum, in amore amans quodammodo *de se* exit tendens in amatum, quod sua bonitate amantem trahit. Porro de processione amoris repetenda sunt quae diximus de processione intellectionis, scil. saltem ratione [15] distinguere debemus processionem *ad modum ope-*

---

[10] Sensu lato omnes operationes *vitales* sunt immanentes, siquidem recipiuntur in eodem *agente* a quo sunt; sed sensu stricto non omnes operationes vitales sunt immanentes; plures quippe fluunt ab una potentia in aliam, ut patet de abstractione speciei impressae quae fit ab intellectu agente sed recipitur in possibili.

[11] Ut jam notavimus, quidam negant *verbum mentis* in beatifica visione. GOTTI, SYLVIUS, etc. (apud *C. Mazzella* De Deo Creante n. 824), BILLOT p. 326.

[12] Terminus intellectionis vocatur *verbum,* quia est quasi mentis locutio, quae dein externa locutione exprimitur: dicitur etiam *conceptus,* quia est quasi partus habens objectum pro patre et mentem pro matre (S. THOM. *Comp. theol.* c. 38-39): nuncupatur vero *species expressa* quia est rei imago a mente excussa seu formata.

[13] BILLOT p. 325 sqq.; JANSSENS p. 33 sqq.

[14] Sunt etiam actus voluntatis *desiderium, gaudium* et *odium;* sed fundantur in amore; siquidem *desiderium* est expectatio boni amati, *gaudium* est satisfactio de possessione boni amati, *odium* est fuga mali avertentis a bono amato.

[15] An in amore sint duae processiones realiter distinctae, vel sola pro-

rationis, h. e. ipsum actum amoris, quo amans tendit in amatum, et processionem *ad modum operati,* h. e. terminum seu effectum ipsius actus amoris, qui est pondus seu inclinatio amantis in amatum; « amatum enim in voluntate existit ut inclinans et quodammodo impellens intrinsecus amantem in ipsam rem amatam » [16].

295. **De duplici principio amoris.** Intellectio nostra, in vita praesenti, procedit a duplici principio, scil. a *mente* et a *re;* hoc tamen non est essentiale cognitioni, si enim mens immediate se ipsam cognosceret, esset unicum principium suae cognitionis: sed amor essentialiter est a duobus principiis, ab *amante* scil. et ab *amato;* unde qui diligit seipsum habet pro objecto suam imaginem quae in verbo mentis relucet. « Hoc quod est amatum esse in amante, inquit S. THOM., *procedit ex duobus;* scil. ex *principio amativo* et ex *intelligibili apprehenso,* quod est verbum conceptum de amabili » [17].

296. **Quid processio in Deo.** Divina processio definitur: *Origo unius personae ex alia secundum operationem immanentem.* Dicitur *origo unius ex alio,* quia prioritas et posterioritas non attenditur in divinis personis secundum ordinem temporis, sed emanationis [18]: dicitur origo *unius personae ex alia,* quia in Deo *operatio* non procedit [19], et *operatum* esse nequit substantia vel attributum absolutum; attributa quippe divina identificantur inter se et sunt communia tribus Personis: dicitur origo *secundum operationem* ad veritatem processionis vindicandam quae de suo conceptu revocat operationem cujus est terminus, et ad excludendam processionem *actus* [20]: dicitur origo secundum operationem *immanentem,* ut distinguatur divina processio a creatione et innuatur consubstantialitas operati cum suo principio [21].

---

cessio actus amoris, qui prout est ab amante dicatur *operatio,* prout tendit in amatum *operatum,* dubitatur. Pro re nostra distinctio rationis sufficit, quia fundamentum praebet ad intelligendum quomodo in Deo sit processio secundum terminum et non secundum actum: h. e. processio *operati* (scil. Spiritus S.), sine processione *operationis* quae divinae simplicitati repugnat.

[16] S. THOM. *Cg.* IV c. 19; BILLOT p. 322 sqq. — *NB.* Ne confundas hujusmodi pondus *amantis in amatum* quod est terminus amoris, cum pondere *amati in amantem* eum inclinans ad amandum, quodque est bonitas rei amatae, *causa* et non *terminus* amoris.

[17] S. THOM. *Comp. theol.* c. 49.

[18] Supra n. 290.

[19] Operatio, quae procedit, est accidens, ejusque terminus creatura.

[20] Ut saepius notavimus, processio *operationis* reddit causatum terminum, quod in Deo repugnat. Accedit quod si operatio in Deo procederet, non *trinitas* sed *quaternitas* et amplius haberetur.

[21] Supra n. 291 ostendimus in sola processione immanenti *operatum* posse substantia identificari cum suo principio.

297. **Quid generatio et spiratio in SS. Trinitatis mysterio.** *Factum* divinae generationis demonstrabimus in thesi; nunc attendas generationem divinam a creata valde differre, quamvis enim utraque sit *origo viventis a vivente, principio conjuncto, in similitudinem naturae,* diversimode tamen vivens a vivente oritur in creatis et in Deo. In creatis generatio importat productionem rei *ex nihilo sui* [22]; unde genitus, qui initio erat aliquid unum cum generante (est enim de ejus substantia), in fine ab eo separatur et in se subsistit: in generatione divina nihil efficitur ex nihilo sui, et Filius nullatenus a Patre potest separari. « Remota autem effectione a generationibus nostris, remanent tantum relationes oppositae *principii* et *procedentis,* id est, relatio ejus qui est ut *a quo alius,* et relatio opposita illius qui est *ab alio,* quae quidem relationes apud nos sunt inhaerentes [23], sed in Deo sunt subsistentes... Sic ergo... generatio in divinis, quamvis a nobis per modum actionis et passionis apprehendatur, nihil tamen aliud est in re ipsa quam *relatio* » [24]. Spiritus S. procedit *per modum amoris,* et quia « non invenimus aliquid in creatis per se subsistens, procedere per modum amoris... ideo istam processionem non potuimus nominare nomine proprio sed tantum communi *(processionis)* » [25]; « potest tamen nominari *spiratio,* quia est *processio Spiritus* » [26]. Porro de *spiratione* repetenda sunt quae notavimus de *generatione;* scil. divina spiratio non est creatio, neque productio ex nihilo sui, sed *relatio subsistens* in Patre et Filio tamquam *a quibus* spiratur tertia persona, in Spiritu S. tamquam in illo *qui* a prima et secunda procedit.

298. **Quid missio divina.** De ratione MISSIONIS sunt duo, scil. *processio ex mittente* secundum imperium vel consilium vel originem, et *novus modus existendi* in termino, sive hoc fiat mutatione missi, sive fiat mutatione termini [27]. Atqui missio divina non est per imperium vel consilium, quia hoc induceret Personarum

---

[22] CREATIO est ex nihilo *sui et subbiecti,* quia non praesupponit materiam praejacentem; simplex EFFECTIO non est ex nihilo *subjecti,* quia praesupponit subjectum, in quo recipitur nova forma, sed est ex nihilo *sui* quia terminus *ad quem* non praeexistebat in specifica essentia quam operatione accipit.

[23] Scil. accidentia, quae generationem consequuntur in generante et genito.

[24] BILLOT p. 349.

[25] S. THOM. *1 Dist.* q. 1 a. 3 ad 2.

[26] S. THOM. 1 p. q. 27 a. 4 ad 3.

[27] Cf. quae diximus de mutatione n. 110.

inaequalitatem; non est per mutationem missi, quia hoc repugnat divinae immutabilitati. Ergo missio divina absolvitur processione unius Personae ex alia atque mutatione seu renovatione et perfectione creaturae [28], ac definitur: *Aeterna divinae Personae processio cum nova habitudine ad terminum temporalem* [29]. Ex his patet quod divina missio locum non habuit in *creatione*, quia defuit terminus missionis: non datur in *conservatione* ceterisque spectantibus ad ordinem naturalem, quia deest novus modus essendi [30]; habetur e contra in *sanctificatione*, sed non aeque pro omnibus Personis. Ex defectu enim primae conditionis *Pater* mitti non dicitur [31], *Filius* vero et *Spiritus S.* non semper *simul* mittuntur quia lege *appropriationis* opera sapientiae enuntiantur de Filio et opera amoris de Spiritu S., quaedam autem *terminative*, ut in hypostatica unione, vel *intentionaliter*, ut in quibusdam apparitionibus, unam tantum personam respiciunt.

299. **Duplex divina missio.** Divina missio alia est *invisibilis* alia *visibilis*. MISSIO INVISIBILIS locum habet in *sanctificatione* [32], qua Filius [33] et Spiritus S. [34] inhabitant in anima justi [35]. Ratio est quia supra communem modum, quo Deus omnibus adest per essentiam, per potentiam et praesentiam [36], « est unus specialis, qui convenit naturae rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente et amatum in amante. Et quia cognoscendo et amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam *habitare in ea* sicut in templo suo. Sic igitur, nullus alius effectus potest esse ratio quod divina Persona sit novo modo in rationali

---

[28] Cum *missio* dicat ordinem directum ad divinam voluntatem, a qua nonnisi bonum esse potest, si proprie sumatur perfectionem innuit subjecti ad quem divina Persona mittitur.

[29] KLEUTGEN n. 1110; BILLOT p. 590; PESCH th. 87 n. 649.

[30] Profecto divina praesentia est *actuosa* etiam in ordine naturali; influxu ergo primi motoris non constituitur *nova* praesentia Dei, sed prima explicatur.

[31] In sanctificatione hominis Pater *venit* (Joan. **14**. 23), sed non *mittitur*.

[32] Sanctificatio est duplex: *prima* qua peccator justificatur, *secunda* qua justus in sanctitate augescit: in utraque attendi potest missio et adventus Dei. AUG. *De Trin.* V c. 20.

[33] *Sanctificatio*, utpote opus amoris lege appropriationis ordinarie tribuitur Spiritui S.; quia tamen *initialiter* (fide hujus vitae) et *perfective* (beatifica visione) importat cognitionem Dei, quae appropriatur Filio, etiam Filio aliquando tribuitur. S. THOM. 1 p. q. 43 a. 5 ad 1; AUG. *De Trin.* IV c. 20.

[34] Joan. **14**. 26.

[35] Sap. **9**. 10; Joan. **14**. 23.

[36] Supra n. 118.

creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur et procedit temporaliter divina persona » [37]. Hinc *gratiis actualibus* et solis *habitibus fidei* et *spei,* qui conferuntur etiam peccatoribus, divina missio *adaequate* [38] non perficitur; siquidem illis solis homo non conjungitur Deo tamquam ultimo fini, dum receptione gratiae sanctificantis ad consortium divinae naturae elevatur [39], fitque filius Dei [40], cui jure competit beatifica visio [41]. Quod si in sola collatione gratiae actualis non invenitur ratio *invisibilis missionis* divinae Personae, multo minus hoc adest in collatione *charismatum gratis datorum* quae ordinantur ad sanctificationem aliorum, quin homo intellectu et voluntate conjungatur Deo [42]. Quod attinet ad MISSIONEM VISIBILEM, nota cum BILLOT quod « quia Deus non incipit esse speciali modo apud nos nisi secundum quod est *auctor gratiae,* omnis missio in divinis importat sanctificationem eorum ad quos fit missio, vel *formaliter,* vel *principiative,* vel denique *indicative.* Ideo, ad rationem missionis visibilis requiritur ut id, in quo divina persona apparet exterius, aut sit sanctificationis efficiendae *instrumentum,* aut sit collatae jam gratiae *indicium* » [43]. Quia ergo in V. T., cum homines erant sub egenis et infirmis elementis [44], ratione status [45] non dabatur gratia sanctificans, tempore Legis non fuerunt *missiones* divinarum Personarum sed tantum *theophaniae:* in N. T. facta est *missio substantialis* Filii in mysterio incarnationis [46], et *missio repraesentativa* Spiritus S. in baptismate Christi et in die Pentecostes [47].

300. **Errores — Veritas.** Divinas *processiones* ignorarunt SABELLIANI [48]: *generationem* Filii impugnarunt ARIANI [49]: *diversum*

[37] S. THOM. 1 p. q. 43 a. 3.

[38] Dicimus *adaequate,* quia *initialiter* et imperfecte divina missio habetur in infusione cujusvis supernaturalis doni. PESCH n. 658.

[39] 2 Pet. **1**. 4.

[40] 1 Joan. **3**. 1.

[41] 1 Joan. **3**. 2; Rom. **8**. 17.

[42] S. THOM. 1 p. q. 43 a. 3 ad 4. *NB.* Licet gratiae *gratis datae* et *characteres* sacramentales non pertineant ad sanctificationem *individui,* integrant tamen sanctificationem *Ecclesiae* (Mar. **16**. 17), et sic in eorum collatione *mittitur* Spiritus S. (Joan. **14**. 26; **20**. 22). BILLOT *th. 42* p. 597.

[43] BILLOT *th. 43* p. 599-600.

[44] Gal. **4**. 9.

[45] Dicimus ratione *status,* nam intuitu meritorum Christi etiam in V. T. dabatur gratia sanctificans.

[46] Cave ne in incarnatione dicas Verbum missum ad humanam naturam Christi; terminus enim missionis est persona. Hinc in incarnatione Spiritus S. missus est *ad Christum,* Filius vero *in mundum.* Joan. **3**. 17.

[47] Matth. **3**. 16; Act. **2**. 2-3. Cf. BILLOT *l. c.;* PESCH n. 655-6; JANSSENS 812 sqq.

[48] Vidimus n. 261 SABELLIANOS seu MODALISTAS negare realem distinctionem Personarum; processio vero realem distinctionem terminum inter et principium inducit.

[49] Nam negant Filium esse *de substantia* Patris, docentque *effectum* Patris eique inferiorem.

modum processionis Filii et Spiritus S. non agnoverunt ARIANI et MACEDONIANI [50] : processionem Spiritus S. *a Patre simul et a Filio* negavere GRAECI SCHISMATICI. **Veritas:** Filium *generatione* procedere a Patre definitum est in CONC. NICAEN. : « Credimus... in unum D. J. C... *genitum* non factum, *consubstantialem* Patri » [51]. Spiritum S. *non generari* sed *procedere a Patre et a Filio* docet SYM. ATHAN. : « Spiritus S. *a Patre et Filio:* non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens », et clarius CONC. FLOR. : « Spiritus S. *ex Patre et Filio* aeternitaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet *ex Patre simul et Filio,* et ex utroque aeternaliter tamquam *ab uno principio* et *unica spiratione* procedit » [52].

THES. 32. *Filius — 1 procedit — 2 vera generatione — 3 a solo Patre.*

301. **Prima pars.** *Filius a Patre procedit.* ARGUM. 1 *Ego ex Deo processi* [53]. In testimonio non agi de diversa manifestatione ejusdem Personae, docet part. *ex* quae oppositionem ideoque realem distinctionem procedentis a suo principio manifestat : agi vero de aeterna generatione, etsi non omnes concedant [54], suadet *proprietas locutionis,* necnon *finis* pericopae, qui est probare Christi divinitatem, et *contextus,* siquidem adduntur verba *et veni* quae de incarnatione intelliguntur [55]. ARGUM. 2 *ex missione.* Nam in Scripturis saepe Filius dicitur *missus* a Patre [56] : atqui *missio* importat distinctionem et posterioritatem quamdam in misso respectu mittentis : ergo Filius est posterius Patre : atqui non est posterius

---

[50] Cf. JANSSENS p. 64.

[51] SYM. NICAEN. Cf. etiam SYM. ATHAN., ANATH. 11 DAMASI a. 378; *Epist.* ADR. I *cont. err. Adopt.* a. 794; LATER. IV cp. 1 a. 1215.

[52] CONC. FLOR. *Decr. union. graec.*

[53] Joan. **8.** 42.

[54] « Intelligunt de aeterna generatione *Cyr., Aug., Bed., Alb., Thom., Bon., Ammon., Tol., Patr., Fil.;* alii de incarnatione *Or., Theoph., Rup., Jans., Mald., Lap., Schg., Schz.* ». KNAB. in *h. l.* p. 296.

[55] Ceterum si quis ex voce praeterita ἐξῆλθον explicare malit : *incarnatione veni in mundum* ET *nunc vobis adsum* (KNAB. in *h. l.*), argumentum manet; si enim in incarnatione Christus processit *a Deo,* ergo ab illo est *missus;* in Trinitate autem mittitur tantum persona procedens.

[56] Joan. **3.** 17; **5.** 23; Act. **3.** 26; Rom. **8.** 3; Gal. **4.** 4; 1 Joan. **4.** 9; 10; 14; quibus in solo N. T. addenda sunt 40 testimonia quae loquuntur de missione *Christi.*

tempore vel *perfectione,* quia Deus : ergo *origine* [57]; in origine autem unius Personae ex alia absolvitur ratio divinae processionis. ARGUM. 3 *Ex generatione.* Nam, ut mox ostendemus, Filius *generatur* a Patre : atqui generatio est species processionis : ergo.

302. **Secunda pars.** *Filius generatur a Patre.* Profecto verba **Scripturae** sunt sumenda in sensu proprio maxime cum, sic accepta, exprimunt fidei mysterium [58] : atqui de secunda persona SS. Trinitatis Scripturae dicunt quod est *Filius* Patris [59], a quo *gignitur* [60], in omni autem lingua nomen *filii* sensu proprio dicitur tantum de termino generationis, et verbum *generare* de actu generativo : ergo. CONFIRMATUR ex Apostolo qui ex *generatione* a Patre, non minus quam ex aliis attributis divinis, concludit divinitatem Christi [61], quae profecto non concluderetur si generatio non acciperetur de origine viventis a vivente *in similitudinem naturae.* — **Patrum** testimonia dedimus agentes de divinitate Filii; ex naturali siquidem origine a Patre ipsi divinitatem Filii evincunt [62]. Adde, si placet, DAMASUM qui definivit : « S. q. non d. Filium *natum de Patre,* i. e. de substantia ipsius, a. s. » [63]. Etiam Patres *antenicaenos* generationem Filii agnovisse, patet ex eorum expositionibus in PSAL. et maxime in ISAI. : *Generationem ejus quis enarravit?* [64]; *unice* enim vel *praecipue* de aeterna generatione Verbi intelligunt [65]. — **Ratio theologica** sumitur ex nomine *Verbi,* quod proprium esse secundae personae docet Joannes [66]. Licet enim *verbum nostrae mentis* non generetur, quia procedens per operationem distinctam ab intelligente est accidens [67]; *Verbum Dei,* utpote suo principio consubstantiale, vere generatur. Profecto Verbum Dei *oritur* seu procedit; « si enim excludas emanationem a dicente, eo ipso perit ratio verbi, quemadmodum cuilibet vim terminorum penetranti statim apparebit. Igitur ex hoc quod in divinis est Verbum,

---

[57] AUG. *De Trin.* IV c. 20 n. 27-28; S. THOM. 1 p. q. 43 a. 1; BILLOT p. 591.

[58] Supra n. 278.

[59] Supra n. 272.

[60] Ps. **2.** 7. Cf. **109.** 3; Isai. **53.** 8; Joan. **1.** 14; 18; Act. **8.** 33; Hebr. **1.** 5.

[61] Hebr. **1.** 3-14.

[62] Supra n. 272.

[63] DAM. *Anath.* in syn. Rom. n. 11.

[64] Ps. **2.** 7; **109.** 3; Isai. **53.** 8.

[65] PATRIZI *De inter. Scrip.* I n. 36 testatur ex 65 Patribus a se consultis 53 id affirmare.

[66] Joan. **1.** 1; 14; 1 Joan. **5.** 7; Apoc. **19.** 13.

[67] Jam vidimus *operatum,* quod obtinetur *operatione* realiter distincta ab agente, esse causatum; atqui causatum, quod in subjecto recipitur, est accidens.

sequitur dari *duos* consubstantiales seu coëssentiales cum alia et alia relatione, puta *intelligibiliter exprimentis* (a quo alius), et *intelligibiliter expressi* (qui ab alio) » [68]. Procedit autem tamquam *vivens a vivente,* quia vita est de ipsa ratione divinitatis [69]; Pater autem et Verbum sunt Deus. Accedit quod in processione Verbi divini principium intellectionis est *adaequate vivens* (scil. in Deo non est species impressa sed simplicissima substantia vivens), unde perfecte non repraesentaretur in termino, si terminus non viveret [70]. Procedit etiam *principio conjuncto,* quia verbum est terminus processionis immanentis, unde Verbum Dei manet in sinu Patris; quod autem est in Deo consubstantiale est ei [71]. Tandem procedit *in similitudinem naturae,* quia hoc est essentiale cuilibet verbo, quod procedens ut *imago* seu expressio rei, eidem essentialiter debet conformari. Ergo Verbo Dei omnes generationis notae conveniunt.

303. **Tertia pars.** *Filius a solo Patre generatur.* Nam *a)* in mysteriis fidei illud solum affirmari debet quod revelatio docet, nullibi vero proponitur origo Filii ab alio quam a Patre, cujus dicitur *Unigenitus,* et a quo *procedit, generatur* et *mittitur* [72]. *b)* ceterum divinae Personae sunt *tres,* Pater, Filius et Spiritus S. [73]: atqui repugnat Filium generari a Spiritu S. qui, ut mox videbimus, a Filio procedit: ergo. *c)* Tandem Filius a Patre procedit uti Verbum: atqui verbum divinum ab unico principio esse debet, siquidem divina cognitio non fit specie impressa [74]: ergo.

THES. 33. *Spiritus S.* — 1 *non generatur, sed* — 2 *a Patre Filioque* — 3 *unica spiratione procedit.*

304. **Prima pars.** *Spiritus S. non generatur.* Nam *a)* « nusquam in **Scripturis** sacris SPIRITUS S. *Filius* dictus est... sed... *Patris Spiritus* » [75], quae vero ad mysteria pertinent ex revelatione tantum possunt determinari. *b)* Accedit quod Filius vocatur *Unigenitus* [76], nec esset *unicus genitus* si etiam Spiritus S. genera-

[68] BILLOT th. I p. 343.

[69] Supra n. 88.

[70] S. THOM. *Comp. Theol.* c. 38-39; BILLOT p. 352.

[71] Cf. S. THOM. *Cg.* IV c. 11.

[72] Cf. testimonia supra (n. 30[illegible]) allata. Adde etiam Hebr. **1**. 3 ubi Apostolus Filium proponit tamquam *splendorem* gloriae et *figuram* substantiae Patris; in figura enim est *similitudo,* in splendore lucis *origo,* et in divinitate *consubstantialitas.*

[73] Matt. **28**. 19; 1 Joan. **5**. 7.

[74] Supra n. 175.

[75] ATHAN. *Ad Serap.* epis. 1 n. 16; EPIPH. *Ancor.* n. 7.

[76] Joan. **1**. 14; 18; 1 ep. **4**. 9.

retur [77]. — **Patres** non solum cum AUG. docent quod Spiritus S. « exiit non quomodo *natus*, sed quomodo *datus* » [78], sed cum BASIL. arguunt *ex traditione*, quippe « *unum* esse *unigenitum* in fidei traditione didicimus, Spiritum autem veritatis ex Patre *procedere* » [79]; et cum AUG. *ex processionis modo;* siquidem Spiritus S. non procedit per intellectum sed per amorem [80]. — **Rationes** theologicae ipsaemet sunt, quas innuit AUG.; scil. *a)* Filius procedit uti *Verbum* Patris; est autem impossibile quod plura dentur verba in divina intellectione; « non enim (Pater) seipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo quam in ipso » [81]; si autem uno Verbo Deus se ipsum et omnia intelligit, nihil manet alio Verbo intelligendum [82]. Item *b)* si Spiritus S. generaretur ut aliud Verbum, a Filio *solo numero* distingueretur, quod est impossibile, « tum quia materialis [83] distinctio non invenitur nisi in formis, quae recipiuntur in subjecto, tum quia dato quod aliquid cogitetur materialiter multiplicari in ente infinito, hoc ipso deberet cogitari multiplicatum in infinitum, et sic esset in Deo infinitus numerus processionum, quod tam fidei repugnat, quam rationi » [84].

305. **Secunda pars.** *Spiritus S. procedit a Patre et a Filio.* PROCEDERE A PATRE docent **Scripturae** cum illum vocant *Spiritum Patris* [85], siquidem genitivus proprietatis signat distinctionem in consubstantialitate [86], quae sola processione potest haberi [87]: item cum docent Spiritum S. *dari* [88] seu *mitti* [89] a Patre; missio enim in divinis processionem subaudit [90]: tandem cum referunt verba Christi testantis de Spiritu S. quod *a Patre procedit* [91]. PROCEDERE A FILIO

---

[77] BASIL. *Or. de Fide;* GREG. Nyss. *C. Eunom.* 7; HIL. *De Trin.* VI; CHRYS. *C. Arium* 2; *C. Eunom.* De Incomp. 4; CYRIL. Alex. in *Joan.* I c. 10. Aliquando tamen *Unigenitum* explicant de unitate principii, quasi Filius dicatur *Unigenitus* quia *a solo Patre* procedit. BASIL. *epist.* 43; GREG. Nyss. *ep. ad Ablab.* apud PETAV. *De Trin.* VII c. 11 n. 3-5.

[78] AUG. *De Trin.* V n. 14.

[79] BASIL. *epist.* 125 n. 3.

[80] AUG. *De Trin.* XV c. 27 n. 50.

[81] AUG. *De Trin.* XV c. 15 n. 23.

[82] Ne dicas etiam Verbum *intelligere;* nam intelligere in Deo est ipsa substantia *communis* toti Trinitati: sicut igitur est unum intelligere, ita unicus est intellectionis terminus.

[83] Scil. numerica tantum.

[84] BILLOT p. 359.

[85] Matth. **10**. 20; 1 Corinth. **2**. 11; et generatim ubi Spiritus S. dicitur *Spiritus Dei* vel *Spiritus Domini.*

[86] Supra n. 273.

[87] Cf. S. THOM. 1 p. q. 36 a. 2.

[88] Luc. **11**. 13; Joan. **14**. 16; 2 Corint. **1**. 22.

[89] Joan. **14**. 26; Gal. **4**. 16.

[90] Supra n. 298.

[91] Joan. **15**. 26.

constat ex similibus locutionibus, siquidem Spiritus S. dicitur *Spiritus Filii* [92], a quo *accipit* [93] et *mittitur* [94]. Hinc Christus super apostolos *insufflavit et dixit eis: accipite Spiritum S.* [95]; « quid enim aliud, inquit AUG., significavit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus S. et de ipso? » [96]. — **Patres** *a)* aperte dicunt quod Spiritus S. *procedit a Filio* [97] tamquam *a fonte* [98], a quo *accipit* suum *esse* seu divinam naturam [99], siquidem « Filius hypostasi Spiritus S. subministrat » [100]. *b)* Hinc affirmant quod Filius est *solus Unigenitus* [101], *solus ex solo* [102], quippe Spiritus S. est *ex ambobus* [103], seu profunditur [104] *ex Patre et Filio* [105]. Hoc autem *c)* probant ex Scripturis quae Spiritum S. vocant Spiritum *Patris et Filii* [106] et docent ab eis *mitti* [107]; illustrant vero exemplis, dicendo quod Spiritus

---

[92] Act. **16**. 6-7; Rom. **8**. 9; Gal. **4**. 6; Philip. **1**. 19; 1 Petr. **1**. 11.

[93] Joan. **16**. 14. Hoc argumento processionem Spiritus S. a Filio deducunt HILAR. *De Trin.* II. 29; MAR. VIC. *C. Arian.* 1; AMBR. *De Spir. S.* II c. 12; AUG. in *Joan.* tr. 99 n. 4; CYR. Alex. in *Joan.* XI c. 1 et 2; LEO M. in *Pent.* serm. 1 c. 3; serm. 2 c. 5.

[94] Joan. **15**. 26; **16**. 7; 1 epist. 4. 13.

[95] Joan. **20**. 22.

[96] AUG. in *Joan.* tr. 99 n. 7; tr. 121 n. 4; ATHAN. *ad Serap.* ep. 3 n. 1; *De Incar. c. arian.* n. 9; CYRIL. Alex. in *Joan.* XII c. 56; FULG. *De Fide ad Petr.* n. 52.

[97] AUG. in *Joan.* tr. 99 n. 6-8; *c. Maxim.* II. c. 14 n. 1; *De Trin.* V n. 14 etc.; LEO M. *ep.* 15 c. 1; FULG. *De Fide ad Petr.* n. 52. — *NB.* Originem Spiritus S. *a Filio* non profiteri a solis Patribus latinis S. SALAVILLE (Cf. *Scuola Catt.* Marzo 1910 p. 409-10) ostendit ex antiquissimis epiciclis syriacis (quibus latini manus non apposuerunt) testantibus Spiritum S. esse a Patre *per Filium* vel accipere a Filio *substantialiter* seu *essentialiter et ab aeterno*. Vide etiam FRANZ. p. 256 sqq.; infra not. 125.

[98] ATHAN. *De Incar. c. arian.* n. 9.

[99] BASIL. *C. Eunom.* 1 apud *Franz.* p. 523; ATHAN. *C. arian.* serm. 3 n. 24-5.

[100] ORIG. tom. 2 in *Joan.* n. 6.

[101] ORIG. tom. 2 in *Joan.* n. 6; BASIL. *epis.* 43; GREG. Nyss. epist. *ad Ablab.*

[102] GREG. Thaum. *Declar. symb.* apud *Franz.* p. 491.

[103] EPIPH. *haer.* 74 n. 7, 8; AUG. *De Trin.* XV n. 27.

[104] CYRIL. Alex. *Epist. ad Nestor* n. 9 apud *Mansi* t. 4 p. 1079.

[105] HILAR. *De Trinit.* II. 29; EPIPH. *Ancor.* n. 8; *haer.* 72 n. 4; *haer.* 74 n. 8; GREG. Nyss. apud *Franz.* ex Becco p. 525; CYRIL. Alex. in *Joan.* XI c. 2. Eadem doctrina extat apud SYROS, CHALDAEOS, MONOPHYSITAS, etc. uti videre est in *Franz.* p. 527 sq.

[106] ATHAN. *Ad Serap.* epis. 3 n. 1; EPIPH. *Ancor.* 8; AUG. *epist.* 238 *ad Pasc.; De Trinit.* V c. 11 n. 12; XV c. 26 n. 45 etc.; CYRIL. Alex. in *Joan.* XI c. 2; FULG. *De Fide ad Petr.* n. 52.

[107] DIONYS. Alex. *apud Athan.* De Sent. Dion. n. 17.

S. est unguentum quo olemus bonum *odorem Christi,* et sigillum quo *Christi effigies imprimitur* [108], quod ex Christo procedit « quemadmodum *dulcedo ex melle, color ex igne, refrigeratio ex aqua* » [109], quod a Patre et Filio emanat « sicut tertius *a radice fructus ex frutice,* et tertius *a fonte rivus ex flumine,* et tertius *a sole apex ex radio* [110]. — **Ratio theologica** inde desumitur quod Spiritus S. est terminus divini amoris. Profecto in SCRIPTURIS Spiritus S. vocatur *Donum Dei* [111], suscipit per antonomasiam praedicatum *sanctitatis* [112], eique attribuuntur lege appropriationis [113] *opera amoris,* cujusmodi sunt *incarnatio* [114], *Ecclesiae gubernatio* [115], *opera supernaturalia* [116], *sanctificatio* [117], *charismatum distributio* [118], *spiritualis consolatio* [119], quae omnia supponunt Spiritum S. procedere *per amorem;* quod et PATRES affirmant dicentes Spiritum S. esse *amorem, bonitatem, sanctitatem, Donum* Patris et Filii, a quibus *amore procedit* [120] : atqui AMOR, ut vidimus, non minus quam a duobus principiis esse potest [121] : ergo Spiritus S. a duobus personis divinis procedit, ideoque a Patre et a Filio. S. THOM. processionem Spiritus S. *a Filio* deducit etiam ex distinctione Personarum; cum enim divinae Personae distingui non

---

[108] ATHAN. *Ad Serap.* epist. 1 n. 22-3.

[109] CYRIL. Alex. *Thesaur.* ass. 34.

[110] TERTUL. *C. Prax.* n. 8. — *NB.* Si vis *juxta tempora* ordinare Patres, quos pro hac parte thesis attulimus, habes saec. II *Apollin.* : saec. III *Tertul., Orig., Dionys., Greg.* Thaum. : saec. IV *Hilar., Marium Vict., Athan., Basil., Ambr., Epiph., Greg. Nyss.* : saec. V *Aug., Cyril., Leon. M., Hormis.* : saec. VI *Fulg.* etc. — Si distinguere mavis juxta regionem habes in ECCLESIA ORIENTALI *Apoll., Orig., Dionys., Greg.* thaum., *Athan., Basil., Greg.* Nyss., *Cyril.,* quibus addi debent testimonia ecclesiae *syriacae, chaldeae* et *monophysitae,* quae ex *Renaud* et *Assem.* refert FRANZ. p. 256 sqq. ; in OCCIDENTALI, *Tertull., Hil., Marc. Vic., Ambr., Aug., Leon. M., Hormis., Fulg.* etc.

[111] Act. **2**. 38 ; **8**. 20.

[112] *Spiritus S.* saepissime.

[113] Lex appropriationis est illa qua praedicata *communia* ex speciali ordine ad proprietatem personalem dicuntur de una *persona.* De hac lege plura infra dicentur.

[114] Matth. **1**. 20 ; Luc. **1**. 35 ; **4**. 18 ; Act. **10**. 38 etc.

[115] Joan. **14**. 16-17 ; Act. **2**. 1 sqq. ; **13**. 2 ; **20**. 28 etc.

[116] Rom. **8**. 26 ; 1 Corinth. **12**. 3.

[117] Joan. **1**. 33 ; **3**. 5 ; 8 ; Act. **1**. 5 ; Rom. **5**. 5 etc.

[118] 1 Corinth. **12**. 4 ; 8-11 ; Gal. **5**. 22-3 ; Hebr. **2**. 4.

[119] Act. **9**. 31 ; **13**. 52 ; Rom. **14**. 17 ; 1 Thess. **1**. 6.

[120] HIL. *De Trin.* II c. 1 ; AUG. *De Trinit.* VI n. 7 ; IX n. 1 ; XV n. 12 ; n. 17 ; n. 50 ; AMBR. (vel alius) in *Symb.* c. 1 ; GREG. M. *hom.* 30 in *Pent.* n. 1 ; ISIDOR. *Etym.* VII c. 3 n. 5 ; etc.

[121] Supra n. 295.

possint nisi opposita relatione, si Spiritus S. non procederet a Filio, ei relatione non opponeretur, nec proinde ab eo distingueretur [122].

306. **Tertia pars.** *Spiritus S. a Patre et a Filio unica communi spiratione procedit.* **Ex Scripturis.** Nam de Spiritu S. Christus dixit: *Quem ego mittam vobis a Patre* [123]: ergo non solum Spiritus S. mittitur a Patre et a Filio, sed ita mittitur a Filio ut sua missio sit *a Patre*. Quomodo autem? Profecto vel *mediante Patre* vel *ipsa* Patris *missione:* atqui non *mediante Patre,* quia Pater non procedit a Filio; ergo ipsa missione Patris, et ita Spiritus S. est a Patre et Filio unica spiratione, siquidem missio in divinis fit origine. CONFIRMATUR. Nam Christus explicans qua ratione Spiritus S. *accipiat* a se, et sic ab eo mittatur, ait: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet et annuntiabit vobis* [124]: ergo Spiritus S. mittitur a Filio prouti Filius communem habet missionem Patris, quod profecto importat Spiritum S. unica processione esse a Patre et Filio. — **Ex Patribus.** Unitatem spirationis activae, qua Spiritus S. procedit a Patre et a Filio *a)* saltem implicite confessi sunt Patres (maxime graeci) qui dixerunt Spiritum S. esse *a Patre per Filium* [125]; prep. enim *per* mediationem quamdam significat, quae, cum in divinis notionem instrumenti induere non possit, profecto rationem originis exprimit: scil. Spiritus S. est *a Patre per Filium* quia a Filio spiratur ea spiratione quam Filius accipit a Patre [126]. *b)* Idem docuerunt Patres qui in divinis unitatem affirmarunt ubicumque non est relationis oppositio, ita ut « nihil a Patre penitus Filius differat praeter quam quod *Pater non est* » [127]; manifestum est enim quod in activa spiratione

[122] S. THOM. 1 p. q. 36 a. 2; 1 *Dist.* 11 a. 1; *Cg.* IV c. 24-5; *C. err. Graec.* c. 32 cir. fin.

[123] Joan. **15**. 26.

[124] Joan. **16**. 15.

[125] APOL. apud *Franz.* p. 490; TERTUL. *C. Prax.* c. 4; GREG. thaum. *Expos. fidei* apud *Franz.* p. 491; HIL. *De Trin.* II n. 29; XII n. 57; ATHAN. *Ad Serap.* epist. 3 n. 1; BASIL. *De Spiritu S.* c. 18 n. 47; CYRIL. *Alex.* in *Joan.* X c. 41 et alias saepe; MAXIM. *Quaest. et Dub.* q. 34; DAMASC. *De Fid. Orth.* I c. 8; DIAL. *C. Manich.* n. 5.

[126] Quod hi Patres exprimunt part. *per,* AUG. *De Trin.* XV n. 29 significavit adv. *principaliter,* dicendo Spiritum S. esse *principaliter a Patre.* Cf. FRANZ. *th.* 36 p. 529 sqq.; JANSSENS p. 596 sq.; PESCH n. 542.

[127] CYRIL. Alex. in *Joan.* XI c. 2. *NB.* Scholasticum axioma a S.THOM. enuntiatum *De Pot.* q. 10 a. 5: « In divi- « nis ubi non est oppositio relativa, non « potest esse realis distinctio », fuit commune etiam Patribus. Cf. GREG. Naz. *Or. theol.* 5 n. 9; AUG. *De Trin.* VIII n. 1; XV n. 47; CYRIL. Alex. *l. c.;* IX c. 44; XII c. 56 med.; CONC. TOLET. IX *Symb. Fidei;* CONC. FLOR. *Decr. pro Jacob.;* etc.

Pater neque nomine, neque re opponitur Filio. *c)* Patrum sententia constat etiam ex similitudinibus quibus hoc mysterium illustrarunt, contulerunt enim *sigillo,* quo imprimitur Christus qui est imago Patris, *calori* qui ex sole cum luce profluit, *suavitati* quae ex odore unguenti emanat, *rivo* qui e flumine aquam fontis suscipit, *fructui* qui ex ramo vitam radicis mutuatur, etc. [128]; ubi vides Spiritum S. assimilari rei, quae procedit ex duobus non dissitis sed conjunctis in ratione principii. *d)* Hinc AUG. : « Quia non aliunde, accipit illud, quod ab ipso procedit, fatendum est Patrem et Filium *principium* esse Spiritus S., *non duo principia;* sed sicut Pater et Filius unus Deus et ad creaturas relative *unus creator* et *unus Dominus,* sic relate ad Spiritum S. *unum principium,* ad creaturas vero Pater et Filius et Spiritus S. unum principium, sicut unus creator et unus Dominus » [129]. **Ratio theologica.** Spiritus S. procedit a Patre et a Filio *per amorem :* atqui amor *ex duobus* quidem est (ex amante et amato), sed *unus* est : ergo. Accedit quod si duplex esset activa spiratio, duplex foret amor Dei et duplex terminus divini amoris : atqui primum obstat infinitati divinae operationis, alterum unitati tertiae Personae : ergo [130].

307. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** *(Contra thes. 32).* Processio importat *prius* et *posterius* atque *dependentiam* unius ab alio : atqui haec repugnant aeternitati et omnimodae perfectioni Dei : ergo. **Resp.** Divinam processionem sequuntur tantum posterioritas *originis* quae aeternitati non obstat, et dependentia *principiati* quae imperfectionem non dicit quando principiato ipsa substantia principii per identitatem communicatur.

308. **Objic. 2.** Joannes docet se vidisse gloriam Christi *quasi Unigeniti :* ergo generatio Filii est impropria. **Resp.** Particula « ὡς *(quasi)* saepe notionem exhibet *talis qualis* [131], et ea notione particulam hic esse accipiendam patet, quia evangelista de Verbo incarnato loquitur et probare vult in homine illo talem esse manifestatam et visam

---

[128] Supra n. 262 et 282.

[129] AUG. *De Trin.* V n. 15. Similia habet ANSEL. *De Proces. Spir. S.* c. 9; CYRIL. Alex. *Joan.* XI c. 2, qui ex identitate Filii cum Patre arguit Spiritum S. esse *Spiritum Filii;* FULG. *C. Fabian.* frag. 27, qui ex Joan. **16.** 15 *dementiae* damnat docentes Filium esse *ex Patre,* sed non esse principium Spiritus S.

[130] S. THOM. 1 p. q. 36 a. 3 ad 2; a. 4; BILLOT p. 522; JANSSENS p. 601 sqq.

[131] Matth. **7.** 29; Act. **17.** 22; Rom. **6.** 13; **15.** 15; 1 Corinth. **3.** 1; 15; **7.** 25; 2 Corinth. **6.** 4; 2. Joan. 5 etc.

gloriam et majestatem, qua ostenderetur palam eum esse Unigenitum a Patre » [132].

309. **Objic. 3.** Experientia constat entia, quo sunt perfectiora, minus esse foecunda, spiritus vero nullatenus generare; generatio ergo est perfectio mixta : atqui Deus est purissimus spiritus, in quo formaliter non sunt nisi perfectiones simplices : ergo. **Resp.** Generatio non est perfectio mixta ex *genere* suo, sed ex *modo* quo est in creaturis quae generant divisione substantiae generantis; sed divina generatio fit sine divisione et multiplicatione substantiae quae communicatur per identitatem. Quod si spiritus creati non generant, eo quod propriam substantiam per identitatem communicare non valent, habent tamen interiorem processionem verbi quae a generatione proprie dicta ideo tantum deficit quod oritur per operationem ab agente distinctam [133].

310. **Objic. 4.** Generatio est a duobus principiis, a *patre* scil. et a *matre:* atqui Verbum est a solo Patre : ergo. **Resp.** Generatio est a matre tamquam a principio passivo [134], quare duplex generationis principium requiritur cum generatio fit mutatione et successione; Deus autem est purissimus actus et sine motu generat.

311. **Objic. 5.** Generatio est *principio conjuncto,* quia partu genitus constituitur extra generantem : atqui Verbum non est extra Patrem : ergo. **Resp.** Definitio generationis, sumpta ex creaturis, unionem geniti cum genitore exprimit secundum quod contingit in creaturis, unde illud *minimum* unionis refert quod in creata generatione est possibile. Sed nec definitioni nec definito obstat eminentior modus unionis, quo genitus sit in generante non solum *initio* sed etiam in fine, non solum *participatione* ejusdem substantiae sed etiam communicatione per identitatem.

312. **Objic. 6.** In generatione est motus et successio, siquidem in ea distinguitur conceptio, partus et existentia independens geniti : atqui processio Verbi est sine successione : ergo. **Resp.** Divina generatio nostrae praestat, et ideo est sine successione, nec in ea potest distingui *conceptio, partus* et *existentia geniti;* « haec (enim) omnia in divina generatione simul esse intelliguntur, nam Verbum Dei simul concipitur, parturitur, et adest » [135].

313. **Objic. 7.** *(Contra thesim 33)* Patres vocant Spiritum S. *imaginem* [136], *verbum* [137] et *mentem* [138] Filii : ergo procedit a Filio

---

[132] KNAB. in *h. l.;* CHRYS. in *Joan.* hom. 12 n. 1.

[133] S. THOM. *I Dist.* 4 q. 1 a. 1 ad 2; BILLOT p. 355-6.

[134] S. THOM. 3 *Dist.* 4 q. 2 a. 1 c.; ad 3.

[135] S. THOM. *Cg.* IV c. 11.

[136] GREG. Thaum. *Expos. Fidei;* BASIL. *C. Eunom.* 5; ATHAN. *Epist. ad Serap.;* CYRIL. Alex. *Thes.* 33; DAMASC. *De Fide Orth.* c. 18; etc.

[137] BASIL. *C. Eunom.* 5; MARIUS VIC. *Adv. Arium* l. 3.

[138] CYRIL. Alex. *Thes.* 34.

eadem ratione, qua Filius est a Patre, ac proinde generatur. **Resp.** Cum Patres dicunt Spiritum S. esse *imaginem Filii,* non contendunt procedere *in ejus similitudinem,* quod est proprium generationis; sed affirmant aequalitatem quae consubstantialitatem consequitur: cum autem vocant Spiritum S. *verbum* vel *mentem* Filii, loquuntur de ejus missione ad extra, qua Spiritus S. *dicit* ea quae processione a Patre Filioque audivit [139].

314. **Objic. 8.** Ibi est definitum, ubi sunt definitionis notae: atqui notae generationis conveniunt processioni Spiritus S.: ergo. Revera ibi est *origo* quia Spiritus S. procedit, est origo *viventis a vivente* quia tres Personae plenissime vivunt, est origo *principio conjuncto* quia divinae Personae sunt consubstantiales, est origo *in similitudinem naturae* quia Spir. S. procedit communicatione ejusdem substantiae, unde suo principio est essentialiter aequalis: ergo. **Resp.** Spiritus S. est quidem *similis* Patri et Filio, *consequenter* ad processionem per communicationem ejusdem naturae, sed hoc non sufficit ad *generationem:* ut terminus processionis sit non solum *cum similitudine* sed *in similitudinem* naturae sui principii, oportet quod processio similitudinem inducat primo et per se [140], sicut fit in processione Verbi, quod est *imago* principii sui: at Spiritus S. procedit per amorem, et amor non tendit ad reproducendam imaginem amati, sed, hac supposita, est quasi vinculum amantium: processio ergo Spiritus S. non habet rationem generationis.

315. **Objic. 9.** Quidquid in Deo est, aut est *proprium* aut *commune:* atqui processio activa non est communis, siquidem non competit Spiritui S.: ergo est propria ideoque unius personae. **Resp.** Spiratio Spiritus S. est propria *secundum quid* seu in ordine *ad aliquid;* unde competit *uni principio,* quod tamen sunt Pater et Filius [141].

316. **Objic. 10.** Operationes sunt suppositorum: atqui Pater et Filius sunt duo supposita: ergo si Spiritus S. procederet a Patre et Filio, procederet duplici operatione, quod repugnat. **Resp.** Operationes « sunt suppositorum tamquam ultimi *attributionis subjecti;* non tamen ita sunt suppositorum ut oporteat multiplicari *principium quod* operationis pro numero eorumdem, si natura in qua communicant, per se subsistens est. Hinc potes quidem attribuere operationes naturae divinae tum Patri, tum Filio, tum Spiritui S.; sed non potes dicere Patrem et Filium et Spiritum S. esse tria *principia quae* operationum vel immanentium vel transeuntium ad extra » [142].

---

[139] Joan. **16.** 13; PETAV. *De Trin.* VII c. 7; FRANZ. p. 449 seq.

[140] Supra n. 292.

[141] S. THOM. *De Potent.* 10 a. 4 ad 7.

[142] BILLOT p. 323. Hinc intelliges cur Pater et Filius sint *duo spirantes* (duo *supposita* quae spirant), et tamen *unica* sit *spiratio activa* seu *unus spirator* (unum *principium quod*). S. THOM. 1 p. q. 36 a. 4 ad 7.

317. **Objic. 11.** Aliter Spiritus S. procedit a Patre, quam a Filio: ergo non unica spiratione. **Resp.** Procedit *aliter* quia a Patre est ut ab ingenito et a Filio ut a genito, sed procedit *unica spiratione* quia spiratio activa Patris per identitatem communicatur Filio [143].

318. **Objic. 12.** Spiritus S. est amor Patris ad Filium: atqui amor non *procedit* ab amantibus, siquidem teste Dionys. est eorum *nexus*: ergo. **Resp.** Spiritus S. est *nexus* Patris et Filii in quantum est terminus dilectionis eorum; sed eo ipso quod est terminus dilectionis Patris ad Filium, *procedit* ab illis [144].

ART. 2 - DE DIVINIS RELATIONIBUS.

319. **Quid relatio et quotuplex.** Ut ipsum nomen indicat, *relatio* opponitur realitati absolutae, et dicit ordinem (seu respectum) *ad aliquid*. Si hujusmodi respectus attenditur in comprincipiis entium, habetur relatio *transcendentalis* quae viget inter materiam et formam, essentiam et existentiam, substantiam et accidens, ac generatim inter actum et potentiam, et consistit in proportione qua unum principium entis secundum se totum revocat alterum, quo completur. Si respectus seu ordo ad aliud attenditur in entibus completis habetur relatio *praedicamentalis*, quae scil. connumeratur inter decem praedicamenta seu categorias Aristotelis. Cum respectus *ad aliquid* est independens a mentis consideratione, fundamentum habens in ipsa re, relatio dicitur *realis;* cum tota ratio ordinationis provenit a mentis consideratione, dicitur *rationis*. Relatio realis distinguitur in *mutuam* vel *non mutuam* prout fundamentum ejus invenitur in utroque termino vel in alterutro tantum [1].

320. **Relationis praedicamentalis accuratior explicatio.** Relatio praedicamentalis tribus a transcendentali differt. *a)* Transcendentalis scil. relatio tota imbibitur in re, cujus est relatio; praedicamentalis *re* vel saltem *ratione* ab ea distinguitur: *b)* illa *potentiam* subaudit [2], haec nullam potentialitatem de sua ratione habet [3]: *c)* illa praescindit ab *existentia* termini relativi, haec destructione alterutrius

---

[143] Cf. quae diximus de formula PP. graecorum: *a Patre per Filium*.

[144] Cf. S. THOM. 1 p. q. 37 a. 1 ad 3; BILLOT *th. 28* p. 529.

[1] Exemplum relationis *rationis* habes in individuo ad naturam, *realis mutuae* in patre ad filium, *realis non mutuae* in creatura ad creatorem.

[2] Nam vel est *potentia* ipsa, vel actus proportionatus *potentiae*.

[3] Relatio esse potest subsistens.

termini cessat [4]. Porro relatio PRAEDICAMENTALIS est tertium accidens, ultimum eorum quae substantiam ab intrinseco afficiunt [5], quodque a ceteris valde distat. Revera *a)* alia accidentia substantiam respiciunt secundum quod est in se, unde dicunt *quid aliquid* seu realitatem absolutam; relatio competit substantiae per ordinem ad aliud, unde non dicit *quid* sed *ad aliquid*: *b)* alia accidentia non distinguuntur inter *realia* et *rationis,* siquidem si mens perciperet *in re,* quod ibidem non est, cognitio foret falsa; sed respectus *ad aliquid* etiam a sola mente potest attendi [6]: *c)* alia accidentia etiam in generica ratione important dependentiam et consequentem imperfectionem [7]; relatio « etiam secundum rationem generis, non importat aliquam dependentiam ad subjectum, imo refertur *ad aliquid extra,* et ideo etiam secundum rationem generis in divinis invenitur » [8]: *d)* alia accidentia, si contraria sunt, non solum se invicem excludunt, sed in alterutro vel in utroque important defectum alicujus perfectionis [9]; relatio excludit quidem oppositam relationem, sed nullam perfectionem removet. « Cujus ratio est, quia in relativis non est oppositio secundum id quod relativum *in aliquo* est, sed secundum id quod *ad aliud* dicitur. Unde quamvis una relatio habeat adnexam negationem alterius relationis in eodem supposito, non tamen ista negatio importat aliquem defectum, quia defectus non est nisi secundum aliquid quod *in aliquo* natum est esse: unde, cum id quod habet oppositionem relativam ad ipsum, secundum rationem oppositionis non ponat *aliquid,* sed *ad aliquid,* non sequitur imperfectio vel defectus » [10].

---

[4] Sic v. g. in SS. Eucharistia accidentia servant ordinem ad substantiam cujus sunt propria, et anima separata manet forma corporis; e contra, occisis commilitonibus, superstites non *sunt* sed *fuerunt* pars exercitus; et, cessante amore amici, manere potest in altero benevolentia, non amicitia.

[5] *Quantitas* consequitur substantiam ratione materiae, *qualitas* ratione formae, *relatio* ratione ordinis seu respectus ad alia.

[6] V. g. relatio generis ad differentiam, individui ad naturam. S. THOM. 1 p. q. 28 a. 1; *Quod.* IX a. 4.

[7] « *Quantitas* enim habet propriam rationem in comparatione ad subjectum; est enim quantitas mensura substantiae, *qualitas* dispositio substantiae, et sic patet in omnibus aliis; unde eadem ratione removentur a divina praedicatione secundum rationem generis, sicut removebantur per rationem accidentis ». S. THOM. *1 Dist.* 8 q. 4 a. 3.

[8] S. THOM. *1 Dist. l. c.* PAUCIS: alia accidentia ratione generis dicunt *inhaerentiam;* unde de Deo possunt praedicari solum ratione *specifica,* prout referunt perfectionem aliquam: relatio, etsi sit extra rationem substantiae, indifferenter se habet ad hoc quod sit inhaerens vel subistens, et ideo etiam in ratione *generica* praedicatur de Deo. Cf. BILLOT 380 sqq.

[9] V. g. rubrum excludit perfectionem albedinis, frigidum caret perfectione caloris, etc.

[10] S. THOM. *1 Dist.* 26 q. 2 a. 2 ad 2.

321. **Relationis realis duplex respectus.** Diximus de relatione in sua formali notione seu respectu *ad aliquid;* sed in relatione reali non habetur tantum ordo *ad aliquid,* verum etiam realitas, quae ordinem *in aliud* fundat. Hinc in relatione reali distinguitur duplex respectus: *esse in,* prout relatio consideratur tamquam perfectio habentis ipsam, et *esse ad,* prout respicit terminum ad quem habens relationem ordinatur. Primo modo relatio in creaturis est accidens, inhaerens subjecto quod perficit non secus ac caetera accidentia intrinseca; alio modo relatio nullam perfectionem dicit nec contrariam excludit, siquidem perfectio rei, ut modo audivimus a S. THOMA, non est secundum respectum ad alia, sed secundum quod in se ipsa est. Nota autem quod si duo respectus *esse in* et *esse ad* in relatione sunt distinguendi, non tamen sunt separandi, nec relationi consideratae in sua propria formalitate, qua dicit ordinem *ad aliquid,* est deneganda vera realitas [11]. Ratio primi est quia esse *ad aliquid* competit subjecto ex ipsa relatione quae ei *inest* [12]: ratio secundi est quia relatio pertinet ad proprium praedicamentum ipsa formalitate *ad aliquid,* inter praedicamenta vero recensentur tantum realitates physicae; item quia relationes v. g. militum, quibus constituitur exercitus, et amicitiae, propinquitatis, servitutis, quibus homines vinciuntur, independenter a mentis consideratione habent veritatem et consequenter realitatem [13]: tertio quia non foret possibilis distinctio Personarum in SS. Trinitate, si formalis ratio *ad aliquid* conveniret relationi ex sola mentis operatione et non ex se ipsa [14].

322. **Sunt in Deo relationes reales.** Sequitur ex praedictis de divinis PROCESSIONIBUS: qui enim procedit respectum habet *ad suum principium* tamquam *qui ab alio;* ille vero a quo alius procedit respicit suum principiatum tamquam *a quo alius:* atqui Pater generat Filium, Pater et Filius spirant Spiritum S.: ergo Pater habet ad Filium *relationem* principii *(a quo alius),* Filius ad Patrem relationem principiati *(qui ab alio),* et similiter de Spiritu S. respectu Patris et Filii. Porro hujusmodi relationes divinae sunt *reales,* quia non pendent a mentis con-

---

[11] Hoc negaverunt philosophi quidam reprobati a S. THOMA *De Potentia* q. 7 a. 9.

[12] « Respectus seu ordo ad terminum, sive *esse ad,* nihil entitatis superaddit ultra realitatem relationis spectatae secundum *esse in.* Non dico relationem secundum *esse ad* non esse realem..., sed... dico *esse ad* non aliquam realitatem, etiam sola ratione distinctam, superaddere realitati, quam habet relatio secundum *esse in* ». FRANZ. *Thes.* 22 p. 349 (ubi citat Card. PALLAV. et CIENFUEGOS); S. THOM. *1 Dist.* 26 a. 2 ad 3; *Quod.* IX a. 4; BILLOT p. 379 et 417; JANSSENS p. 209.

[13] *Unum* enim, *verum* et *ens* convertuntur.

[14] S. THOM. *De Potent.* q. 7 a. 9; *Quod.* IX a. 4; BILLOT p. 375; JANSSENS p. 209.

sideratione : sunt *mutuae* quia non pendent a libera voluntate principii ; unde origo *passiva* (qui ab alio) [15] esse nequit magis realis quam *activa* (a quo alius). CONFIRMATUR ex nominibus divinarum personarum ; siquidem nomina *Patris* et *Filii* in omni lingua signant terminos relationis realis et mutuae. **Patres** tam claram notitiam divinarum relationum habuerunt, ut inde Personarum distinctionem deduxerint. Filio et Spiritui S., inquit GREG. Naz., « deesse nihil dicimus... Verum radiationis, ut ita dicam, *mutuaeque* eorum *relationis* differentia diversa quoque nomina procreavit... Quod *genitus non sit,* et quod *genitus,* et quod *procedat*, hoc effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus S. appelletur, atque ita inconfusa trium personarum distinctio in una divinitatis natura conservetur » [16]. Et AUG. : « Quamvis diversum sit Patrem esse et Filium esse, non est tamen diversa substantia, quia haec *non secundum substantiam* dicuntur, sed *secundum relativum,* quod tamen relativum non est accidens [17] ».

323. **Quid divina relatio.** Imprimis divina relatio toto coelo differt a relatione *transcendentali;* haec enim resultat ex habitudine actus ad potentiam [18], quae in Deo, actu purissimo, nullatenus esse potest. Cum relatione *praedicamentali* in quibusdam convenit, sed in pluribus differt. CONVENIT prout relatio praedicamentalis exhibet duplicem respectum τοῦ esse *in* essentia et *ad aliquid,* et prout secundum esse *in* essentia dicit realem perfectionem ; « licet (enim) relatio non addat supra essentiam aliquam rem sed solum rationem, tamen relatio est *aliqua res* sicut etiam bonitas est aliqua res in Deo, licet non differat ab essentia nisi ratione » [19]. DIFFERT quia *a)* relatio praedicamentalis est accidens substantiae inhaerens, divina autem non est accidens, sed *subsistens,* idem cum substantia : *b)* relatio praedicamentalis re differt ab actione qua causatur [20], divina, utpote subsistens, non causatur sed resultat ex infinita perfectione divinae substantiae quae sine ulla effectione seipsam ponit [21] : *c)* relatio praedicamentalis est illud *quo* subjec-

---

[15] Scil. est realis *generatio activa* in Patre, *passiva* in Filio, *spiratio activa* in Patre et Filio, *passiva* in Spiritu S. BILLOT p. 389.

[16] GREG. Naz. *Or. theol.* 5 c. 9.

[17] AUG. *De Trinit.* V. n. 5 ; n. 3 ; XV c. 3 n. 5 ; in *Joan.* tr. 39 n. 4 ; GREG. Nyss. *ad Ablab.* ; FULG. *Resp. adv. Arian.* sub init. ; BOËT. *De Trin.* c. 6 ; SYN. TOLET. VI ; DAMASC. *De fide orth.* I c. 10 ; ANSEL. *De Fide Trin.* c. 3 ; *De proc. Spir. S. c. graec.* c. 1 ; BILLOT p. 389 ; JANSSENS p. 217 sqq.

[18] Supra n. 319.

[19] S. THOM. *De Potent.* q. 8 a. 2 ad 3 ; PESCH n. 624 sqq.

[20] V. g. actio, qua pater generat, est causa relationis *paternitatis,* quae ex generatione oritur.

[21] Ne dicas nos cognoscere relationes divinas processionibus ; quamvis enim *ratio originis* sit eadem quod *relatio,* est tamen notior nobis, qui e creaturis, ad Deum ascendimus. BILLOT p. 384.

tum habet ordinem ad aliud; divina est simul *quo* et *quod* refertur [22]: *d)* relatio praedicamentalis viget inter substantias distinctas; divina non praesupponit distinctos terminos relationis, sed constituit, faciens quod in una substantia sint plures termini oppositi [23].

324. **Quomodo in Deo se habeant relationes ad essentiam et ad personas.** Relationes distinguuntur a divina essentia *ratione,* quia « in relatione importatur respectus ad suum oppositum *(ad aliquid)* quod non importatur in nomine essentiae » [24]; non distinguuntur *re,* quia in relatione duo respectus *in* et *ad aliquid* identificantur *re,* et est manifestum quod relatio divina prout consideratur *in* essentia, tamquam ejus perfectio, non potest *re* differre ab essentia quae sua infinitate perfectiones omnes dicit [25] Quod si relationes *re* non differunt a divina essentia, a fortiori *re* identificantur cum divinis Personis quae, ut saepe diximus, non addunt supra naturam aliquid absolutum, sed solam relationem. *Relatio* tamen non debet confundi cum persona, quia notio personae est magis comprehensiva: quippe relatio dicit tantum distinctionem et incommunicabilitatem; persona dicit etiam subsistentiam seu hypostasim, unde in definitione divinae Personae non ponitur tantum relatio, sed etiam subsistentia, dicendo quod est *distinctum relatione subsistens in divina natura* vel *relatio subsistens in divina natura* [26].

325. **Dei** UNA **natura,** DUAE **processiones,** TRES **personae,** QUATUOR **relationes,** QUINQUE **notiones.** Diversos numeros, qui occurrunt in quaestione de Trinitate, veluti in conspectu hic ponimus. In Deo est UNA NATURA quia divinae Personae sunt *consubstantiales* [27] et quia pluralitas naturarum induceret *multitudinem deorum* supra improbatam [28]. — Sunt DUAE PROCESSIONES quia operationes immanentes, cujusmodi profecto sunt processiones quibus oriuntur divinae Personae, sunt tantum *intellectio* et *amor;* et quia in unaquaque processione sunt duo termini unde, si processiones essent plures quam duae, Personae

---

[22] Scil. relatio est in Deo sua substantia prout intrinsece dicit ordinem ad terminum realem.

[23] FRANZ. p. 349; BILLOT p. 383 sq.; JANSSENS p. 212.

[24] S. THOM. 1 p. q. 28 a. 2; GREG. Naz. *Or.* 31 n. 23; *Pesch* n. 619.

[25] Ex identitate *relationum* cum essentia apparet *essentialiter* spectare ad divinam naturam distinctos terminos processionum intellectionis et amoris, ac proinde simpliciter repugnare quod sit ens a se (Deus), quin sit Pater, Filius et Spiritus S. Trinitas itaque Personarum in Deo est nota *quoad se,* licet *quoad nos,* qui essentiam Dei non intuemur, maneat altissimum mysterium. Cf. supra n. 265; BILLOT p. 401, 419.

[26] Cf. BILLOT p. 435. Apud quem invenies etiam distinctionem inter *relationem* et *originem* p. 415.

[27] Supra n. 282 sqq.

[28] Supra n. 146.

non essent tres tantum [29]. — Sunt TRES PERSONAE, quia hoc explicite et implicite testantur Scripturae, et quia termini divinae *intellectionis* et divini *amoris* nonnisi tres esse possunt, cum principium amoris sit ipse intelligens qui in Verbo se ipsum appetit [30]. — RELATIONES QUATUOR esse sequitur ex dualitate processionum, quarum sunt extrema se invicem respicientia; scil. relatio *paternitatis* in Patre et *filiationis* in Filio oritur ex generatione secundae Personae; *spirationis activae* in Patre et Filio, *spirationis passivae* in Spiritu S. habetur ex processione tertiae Personae. — « NOTIO dicitur id quod est propria ratio cognoscendi divinam personam [31]. Divinae autem personae multiplicantur origine. Ad originem autem pertinet, *a quo* alius et *qui* ab alio; et secundum hos modos potest innotescere persona. Igitur persona PATRIS non potest innotescere per hoc, quod sit *ab alio,* sed per hoc quod *a nullo* est; et sic ex hac parte notio est *innascibilitas.* Sed in quantum aliquis est *ab eo* innotescit dupliciter; quia in quantum Filius est ab eo innotescit notione *paternitatis;* in quantum autem Spiritum S. est ab eo, innotescit notione *communis spirationis.* FILIUS autem potest innotescere per hoc, quod est *ab alio* nascendo, et sic innotescit per *filiationem:* et per hoc, quod alius est *ab eo,* scil. Spiritus S., et per hoc innotescit eodem modo sicut Pater, scil. *communi spiratione.* SPIRITUS S. autem innotescere potest per hoc quod est *ab alio* vel ab aliis, et sic innotescit *processione;* non autem per hoc, quod alius sit *ab eo,* quia nulla divina persona procedit ab eo. Sunt igitur QUINQUE NOTIONES in divinis, scil. *innascibilitas, paternitas, filatio, communis spiratio* et *processio* » [32].

326. **Nomina propria divinarum Personarum.** Ex *notionibus,* quibus divinae Personae innotescunt, nomen etiam habent; unde ex notione *paternitatis* prima persona vocatur PATER, ex notione *filiationis* secunda dicitur FILIUS, ex notione *spirationis passivae* [33] tertia dicitur SPIRITUS S. [34]; quia vero notio uniuscujusque Personae proponi potest generice et specifice, positive et negative, prima Personae dicitur etiam *Ingenitus* et *Principium,* secunda *Verbum* et *Imago,*

---

[29] Duae processiones non inferunt quatuor Personas, quia principium secundae non est Persona distincta a duobus quae ex prima habentur; sed si essent tres processiones forent saltem *tres* termini et *unum* principium non principiatum.

[30] Supra n. 295.

[31] Scil. id quod in mentem revocat personam vel personas.

[32] S. THOM. 1 p. q. 32 a. 3.

[33] *Spiratio activa* notificat aliquid in SS. Trinitate, scil. principium Spiritus S.; sed quia est notio *communis* Patri et Filio non notificat Personam, quae rationem incommunicabilitatis praesefert.

[34] De convenientia nominum diximus n. 269.

tertia *Amor* et *Donum*. Pater dicitur INGENITUS [35] quia sine principio, PRINCIPIUM, forma absoluta [36], quia ab ipso sunt Filius et Spiritus S. : Filius dicitur VERBUM quia terminus divinae intellectionis, IMAGO quia oritur *in similitudinem naturae* [37] : Spiritus S. dicitur AMOR quia terminus divini amoris, DONUM quia amor completur collatione doni [38].

327. **De lege appropriationis.** Appropriatio habetur cum attributum absolutum ex analogia ad proprietatem personalem praedicatur in particulari de una persona. Esse in divinis attributis speciales relationes ad proprietates personales, manifestum est; cum enim in universo creationis opere sit vestigium SS. Trinitatis [39], etiam in attributis Dei, quae ex mundi notitia efformamus, erit aliquis Trinitatis reflexus. Revera in operibus Dei aliquando elucet *efficacia virtutis*, quae notionem *causae* referens habet ordinem specialem ad Patrem qui est principium Filii et Spiritus S.; aliquando elucet *sapientia* quae, cum sit intellectionis effectus, specialem ordinem habet ad Filium qui est divinae intellectionis terminus : aliquando elucet *bonitas* quae, utpote amoris ratio et effectus, tribuitur Spiritui S. qui amore procedit. Hac appropriationis lege PATER dicitur *aeternus, omnipotens, creator, pater noster;* FILIUS dicitur *sapientia, virtus Dei, via, veritas* et *vita,* etc.; SPIRITUS S. dicitur *sanctus, paraclitus, bonitas, caritas, misericordia,*

---

[35] Pater dicitur INGENITUS non *negative,* quo sensu etiam Spiritus S. est ingenitus, sed *privative* ad excludendam originem per generationem proximam vel remotam, quo sensu Spiritus S. est genitus quatenus *a genito* procedit.

[36] Si ratio principii consideratur in Deo relate ad creaturas, profecto solum appropriatione Pater dicitur *principium.*

[37] Supra n. 302.

[38] Quo sensu Filius *notionaliter* vocetur DONUM, licet in Scripturis, Patribus et Ecclesiae Liturgia *personaliter* dicatur de solo Spiritu S., videbis apud JANSSENS p. 633-41. — Potius revoca nomen *Spiritus* sola appropriatione, utut speciali, dici de tertia persona : prout enim dicit substantiam immaterialem *essentialiter* convenit toti Trinitati, et prout dicit originem ex alio (n. 269) *notionaliter* convenit etiam Patri et Filio prout sunt principium tertiae Personae. — Similia dicenda sunt de *amore;* « quando (enim) sumitur *essentialiter,* non dicit aliquam processionem vel relationem realem, sed tantum rationis, sicut etiam cum de Deo dicimus intelligens et intellectum... Quando autem dicitur *personaliter,* tunc importatur processio et relatio realis, et significatur ipsa Persona sive res procedens... Quando autem dicitur *notionaliter* significat ipsam rationem processionis personae... Secundum ergo quod est *essentiale,* est commune tribus. Secundum autem quod est *personale,* est proprium Spiritus S. et dicitur quod Spiritus S. procedit ut *Amor.* Secundum autem quod est *notionale,* est quaedam relatio vel notio communis Patri et Filio, quae etiam dicitur communis spiratio ». S. THOM. *I Dist.* 10 q. 1 a. 1 ad 4.

[39] Supra n. 262.

etc. [40]. Nec solum in Deo appropriantur *nomina*, sed et *praepositiones* quae cum proprietatibus personalibus analogiam habent; unde praep. *ex*, quae refert habitudinem causae efficientis, appropriatur Patri qui est totius Trinitatis principium; praep. *per*, quae designat habitudinem formae per quam agens operatur [41], appropriatur Filio cui attribuuntur opera sapientiae; praep. *in*, quae designat habitudinem continentis, et dicitur de Deo in quantum sua bonitate omnia conservat, gubernat et ad se convertit, appropriatur Spiritui S. qui procedit ut amor [42].

CONCLUSIO.

328. **De perichoresi.** Totum SS. Trinitatis mysterium absolvitur divinarum Personarum *distinctione, processione* et *consubstantialitate*, quae una voce Patres Graeci dicunt *perichoresin* (περιχωρήσιν), latine *circuminsessionem*, seu *circumincessionem* et quasi *commeationem*, qua divinae Personae invicem *inexistunt*: definitur autem: *Personarum immanenter procedentium et sine confusione distinctarum intima inter se propter naturae unitatem inexistentia* [43]. Divinas Personas vere inexistere, non solum colligitur ex praedictis de consubstantialitate et processionibus, sed aperte continetur in SCRIPTURIS quae docent Filium esse *in* Patre et Patrem *in* Filio [44], atque Spiritum S. comparant spiritui hominis qui est *in* eo [45]. PATRES contra Arianos Personarum inexistentiam saepe invocant, dicentes cum ATHAN. quod « cum forma et deitas Patris sit esse Filii, consequenter *Filius in Patre* est et *Pater in*

---

[40] S. THOM. 1 p. q. 39 a. 8 accurate explicat appropriationem quae sequitur considerationem *entis, unitatis, virtutis operativae, effectus*.

[41] Sic dicimus artificem *per* artem operari.

[42] S. THOM. 1 p. q. 39 a. 8; q. 36 a. 3; q. 45 a. 6 ad 2; PETAV. *De Trin.* II c. 6; C. MAZZELLA *De Deo Creante* n. 92. — *NB*. Post AUG. *C. Max.* II c. 23 n. 4; *De Trin.* I c. 6 n. 12 et S. THOM. in *Rom.* **11** lec. 5, communissime particularum appropriatione explicant de Trinitate testimonium Apostoli: *Quoniam ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia* (Rom. **11**. 36); sed CORNELY ex lect. graec. et communiori Patrum expositione testimonium intelligit de attributis *essentialibus*, docens illis particulis Deum enuntiari uti creatorem *(ex)* conservatorem *(per)* et finem ultimum *(in ipsum εἰς αὐτόν)* omnium rerum.

[43] PESCH n. 646.

[44] Joan. **10**. 38; **14**. 11.

[45] 1 Corinth. **2**. 11.

Filio » [46]; eique consentiunt CONCILIA [47], LITURGIA Ecclesiae [48] et THEOLOGI omnes cum S. THOMA [49]. Porro divinarum Personarum inexistentiam cum SUAREZ et RUIZ [50] non esse explicandam de simultanea praesentia in eodem loco, vel inde patet quod Patres [51] constanter eam deducunt ex *consubstantialitate* [52]. Consubstantialitas tamen non explet notionem *inexistentiae;* cum enim nemo sibi *insit,* inexistentia dicit etiam realem *distinctionem* eorum, quorum *alius* est in *alio* et vicissim [53]. Verum ipsa distinctio Personarum in unitate substantiae non sufficit ad perfectam illam notionem *inexistentiae* quae revocat conceptum commeationis, qua una Persona aliam undequaque pervadit; et ideo dicendum quod circuminsessio importat Personarum *processionem immanentem,* qua « Filius est in Patre sicut originatum in originante, et e converso Pater in Filio sicut originans in originato » [54] et similiter Spiritus S. in Patre et Filio tamquam qui ab illis procedit, et Pater et Filius in Spiritu S. tamquam spirantes in spirato [55]. Et haec quidem de altissimo mysterio satis superque sint; « scriptum quippe est: *sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria* [56]. Dulcedo enim mellis, si plus quam necesse est sumitur, unde delectatur os, inde vita comedentis necatur. Dulcis quoque est requisitio majestatis: sed qui plus hanc scrutari appetit, quam humanitatis cognitio permittit, ipsa hunc ejus gloria opprimit, quia velut immoderate mel sumptum, perscrutantis sensum, dum non capitur, rumpit » [57].

---

[46] ATHAN. *c. Arian.* or. 3 n. 3; HIL. *De Trinit.* 3. n. 4; CYRIL. Alex in *Joan.* IX c. 40; *Thes.* 12; FULG. *De Fide ad Petr.* c. 1 n. 4; DAMASC. *De fide orth.* I c. 8; III c. 5, etc.

[47] « Propter hanc unitatem (naturae) Pater est totus *in* Filio, totus *in* Spiritu S.; Filius totus est *in* Patre, totus *in* Spiritu S.; Spiritus S. totus est *in* Patre, totus *in* Filio. » CONC. FLOR. *Decr. pro Jacob.* Aequivalenter veritas continetur in CONC. TOL. XI.

[48] « *In* Patre Filius, et totus *in* Verbo Pater. » HYMN. fer. 2 *ad Laud.*

[49] S. THOM. 1 p. q. 42 a. 5; BELLAR. *De Chr.* 2; SUAREZ *De Trin.* IV c. 16; VASQUEZ tom. 2 p. 1 disp. 169; etc.

[50] SUAREZ *De Trin.* IV c. 16 n. 11, 12 et RUIZ *Disp.* 107 sec. 7 n. 9, 14.

[51] Cf. Patres quos modo citavimus.

[52] JANSSENS p. 785 sqq.

[53] FRANZ. p. 227 sqq., qui rem confirmat ex HIL. et DAM.

[54] S. THOM. I *Dist.* 19 q. 3 a. 2.

[55] CYRIL. Alex. *De Trin.* Dial. 2; *Thes.* 34; FULG. *Ad Monin.* 3 c. 7 apud *Pesch* n. 645. Totam quaestionem videbis apud FRANZ. *th. 14* p. 225 sqq.; BILLOT p. 589; PESCH n. 642 sqq.; JANSSENS p. 785 sqq.

[56] Prov. **25**. 27.

[57] GREG. M. *Moral.* XIV. c. 12. n. 32.

TRACTATUS VI.

DE DEO CREANTE.

329. **Prologus.** Causalitatis via ad Deum venimus, et lumine fidei illustrati, in illam majestatem oculos fiximus, quam Isaias, cum contemplasset, tremebundus clamabat: *Vae mihi, quia tacui* (i. e. oculos non averti)... *et regem Dominum exercituum vidi*[1] Ad creaturas nunc redeuntes, in similitudinem Moysis, qui de monte attulit coeleste lumen[2], mundanas res conspiciemus in ordine ad Deum *a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum*[3], quique omnium α et ω[4], solus potest mundi originem et creaturarum finem manifestare. Porro juxta duplicem ordinem *naturae* et *gratiae*, rerum originem theologi explicant in tractatibus *De Deo Creante* et *De Deo Elevante*. De primo agentes, mundi causam considerabimus in *se* et in suo *objecto* quod est creatura spiritualis, corporalis et humana ex spiritu simul et corpore constituta, unde dicemus: 1 *De rerum omnium origine*, — 2 *de mundo visibili*, — 3 *de angelis*, — 4 *de homine*.

CAPUT I.

De rerum omnium origine.

330. **Capitis divisio.** Quaestio de *origine* mundi est de ejus *causa*, siquidem terminus *ad extra* divinae operationis non communicatione suae substantiae, sed effectione proprie dicta, existit: atqui in

[1] Isai. **6**. 5 apud KNAB. p. 133.
[2] Exod. **34**. 29-35.
[3] Jac. **1**. 17.
[4] Apoc. **1**. 8.

causa considerari solet agens, operatio, et terminus; agens est *Deus,* operatio est *creatio,* terminus est *imago* Dei, quae in suum auctorem *tendit:* quatuor ergo erunt articuli hujus capitis. 1 *De mundi causa efficiente,* — 2 *de creatione rerum,* — 3 *deque earum causa exemplari, et* — 4 *finali.*

ART. 1 - DE CAUSA EFFICIENTE.

331. **Quid causa.** Intima ratio existentiae alterius vocatur CAUSA, quae definitur: *principium per se influens esse in aliud* [1]. Dicitur *principium,* quia « omne a quo aliquid procedit quocumque modo, dicimus esse principium » [2], a causa autem procedit effectus: dicitur *influens esse in aliud,* quia « hoc nomen *causae* videtur importare *diversitatem substantiae* et *dependentiam* alicujus ab altero, quam non importat nomen principii » [3]; *diversitatem* quidem *substantiae* [4] quia causa est principium *effectus,* qui etymologice dicit *rem factam,* ideoque diversam a sua causa; *dependentiam* vero quia recipiens *esse primum* (substantiale) vel *secundum* (accidentale) profecto pendet a suo principio: dicitur *per se* influens, ut causa distinguatur a *conditione* et *occasione* quae non attingunt *directe* et *per se* effectum, sed solum *indirecte* et per *accidens,* disponendo scil. causam ad agendum [5].

332. **Divisiones causae.** Ex ARISTOTELE [6] quadruplex causa agnoscitur: *finalis, efficiens, formalis, materialis.* Causa FINALIS est *id cujus gratia aliquid fit;* EFFICIENS *ex cujus vera et physica operatione dependet ipsa rei effectio;* FORMALIS *ratio quidditatis rei,* seu realitas ex qua res habet propriam speciem; MATERIALIS *subjectum receptivum formae,* scil. materia (prima vel secunda) in qua forma (substantialis vel accidentalis) recipitur. Ad has revocantur ceterae; nam causa EFFICIENS secundum modum, quo attingit suum effectum, divi-

---

[1] SUAREZ *Metaph.* Disp. 12 sect. 2. n. 4.

[2] S. THOM. 1. p. q. 33 a. 1.

[3] S. THOM. *l. c.*

[4] Diversitas substantiae exprimitur neutro *aliud,* quod de natura intelligitur: diversitas personae enuntiatur masculino *alius.* Cf. FULG. *De Fide ad Petr.* c. 1; S. THOM. 1 p. q. 31 a. 2.

[5] « *Conditio* est id quod ad agendum requiritur... quia virtutem causae disponit, praeparat, applicat, vel saltem impedimenta removet... A conditione *occasio* eo differt, quod ex se non requiritur, ut causa agat, sed vim tantum habet, ut causam cognoscitivam ad agendum disponat et quasi invitet ». TIL. PESCH *Inst. Logic.* n. 1572.

[6] ARIST. II *Phys.* c. 3, 4; I *Metaph.* c. 2.

ditur in *perficientem, disponentem, adjuvantem* et *consiliantem,* et secundum naturam influxus in *principalem* et *instrumentalem.* PERFICIENS est causa quae inducit ultimam perfectionem rei; DISPONENS quae praeparat materiam ad formam; ADJUVANS quae operatur ad consecutionem finis alterius agentis; CONSILIANS quae agenti dat finem et formam agendi [7]; « PRINCIPALIS operatur per virtutem suae formae, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit...; INSTRUMENTALIS non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum, quo movetur a principali agente, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quae est in mente artificis » [8]. Causa FORMALIS item duplex est: *intrinseca* quae dicitur FORMA, et est id quo res constituitur in propria specie; *extrinseca* quae vocatur EXEMPLARIS, et est ratio quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem [9].

333. **Quae mundi causae.** Ad quaestionem de origine mundi, non pertinet notitia de causa *materiali* et de *formali intrinseca;* hae enim non respiciunt *fieri* sed *esse* rei: quod attinet ad alias causas demonstrabimus Deum esse simul causam *efficientem, finalem* et *exemplarem* mundi; locum vero non habuisse causam *disponentem, adjuvantem, consiliantem,* et *instrumentalem,* ex independentia Dei [10] jam apparet.

334. **Quaestiones adnexae.** Cum quaestione de origine mundi connectuntur duae de *perfectione* mundi et de divina *libertate* in ejus productione: de hac sufficienter diximus in tractatu *de Deo* [11], de illa pauca innuemus.

335. **Errores — Veritas.** *Mundi originem* a Deo negaverunt ATOMISTAE antiqui et moderni, cum DEMOCRITO et EPICURO rerum existentiam explicantes aeternalium atomorum conflagratione [12], MANICHAEI corpora repetentes a principio malo [13], GNOSTICI tribuentes eonibus seu demiurgis supremo Deo inferioribus [14]. *Mundi perfectionem* defectu impugnarunt BUDHISTAE et PESSIMISTAE qui

---

[7] S. THOM. *Metaph.* V, lect. 2.

[8] S. THOM. 3 p. q. 62 a. 1; SCHIFFINI *Princ. Philos.* n. 606-18.

[9] S. THOM. *De Verit.* q. 3 a. 1.

[10] Supra n. 49.

[11] Supra n. 198.

[12] HERGENR. I p. 60. Idem repetunt ATHAEI et MATERIALISTAE omnes, quibus addi possunt *Schelling, Fichte, Schopenhauer* et *Hartmann* ordinem finalitatemque rerum impugnantes. H. MAZZELLA II p. 323.

[13] DE MANICHAEORUM secta eorumque radice in religione ZOROASTRI diximus n. 145.

[14] Uti vidimus, GNOSTICI ponebant supremum ens omnino sejunctum a nostro mundo, unde faciebant Verbum *medium necessarium* pro effectione rerum visibilium. Cf. n. 261.

cum SCHOPENHAUER et HARTMANN ex ingruentibus malis et insatiabili nostro desiderio felicitatis mundum dixerunt pessimum, cujusvis ordinis et bonitatis expertem [15]: excessu exagerarunt OPTIMISTAE, reputantes mundum tam perfectum, ut Deus meliorem facere non posset [16]. *Libertatem Dei in creatione* negarunt FATALISTAE et OPTIMISTAE, sive absoluti, sive mitigati, de quibus diximus suo loco [17]. **Veritas.** Deum esse visibilium omnium et invisibilium *causam,* jam propositum in Symbolis, definitum est in CONC. VATIC.: « S. q. non confiteatur, mundum resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam substantiam a Deo... esse productas... a. s. » [18]: omnia *liberrimo consilio* fecisse, iterum docet CONC. VATIC. [19]: mundum *non esse possibilium optimum* colligitur ex damn. pr. 7 ABAELARDI: « Quod ea solummodo possit Deus facere vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore quo facit et non alio » [20].

THES. 34. *Mundus et omnia quae in eo sunt, — 1 non fortuito atomorum concursu coaluerunt, sed — 2 a Deo — 3 liberrimo consilio facta sunt.*

336. **Prima pars.** *Fortuito atomorum concursu mundi origo non explicatur.* Profecto atomistarum systema supponit atomos *infectas,* necessario et intrinseco *motu dotatas,* quae absque ordinatore, solo *casu,* in praesentem formam convenerint: atqui primum repugnat atomorum imperfectioni, quippe ens *a se* perfectissimum est et cum aliis in compositionem venire nequit [21]; secundum repugnat legibus *inertiae* et *entropiae* quae supponunt corpora non habere intrinsecum principium motus, sed motu tantum communicato agi; tertium repugnat admirabili rerum *ordini* et *finalitati* quae vel in minimo viventium organo inveniuntur ad motum, nu-

---

[15] DE BUDHISMO vide DE BROGLIE *Probl. e concl.* c. 6 p. 190 sqq.; de aliis FARGES *L'idée de Dieu* etc. 1900 p. 513.

[16] OPTIMISMUM docuerunt antiquitus *Plato, Academici, Stoici, Plotinus,* media aetate *Abaelardus* (qui se retractavit) et dein *Wiclef., Luth., Calv., Descart., Malebranche* et maxime *Leibnitz* et *Wolf:* strenue impugnati sunt ab *Arnaldo* et *Fénelon.* Cf. JANSSENS II 239-40.

[17] Supra n. 191.

[18] CONC. VATIC. *Dei Filius* cn. 4, 5; cp. 1; LATER. IV *Adv. Albig.*

[19] Supra n. 191.

[20] *Abaelardus* damnatus est in CONC. SENON. 1140 ab INN. II confirmato.

[21] Supra n. 75.

tritionem et conservationem individui et speciei [22], necnon *probabilitatis* legi cui repugnat innumerabilem atomorum numerum casu in ordinatam et constantem dispositionem convenire [23]. Quis sanae mentis umquam fortuitae partium coadunationi opus artis tribuit? Multo minus ergo licebit a casu totius orbis perfectam ordinationem repetere.

337. **Secunda pars.** *Mundus et omnia, quae in eo sunt, a Deo sunt condita.* **Ex Scripturis.** Certe rerum *universalitas* non potest melius proponi quam nomine *mundi*, et *coeli et terrae* [24], adjectivo *omnis* et *distincta enumeratione* eorum quae per summa genera adaequate dividunt entia mundana [25] : atqui legimus : MUNDUS *per ipsum* (Verbum divinum) *factus est* [26]. — *In principio creavit Deus* COELUM et TERRAM [27] — *Qui vivit in aeternum creavit* OMNIA *simul* [28] — *In ipso* (Filio Dei) *condita sunt universa in coelis et in terra,* VISIBILIA et INVISIBILIA, *sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt* [29] : ergo. CONFIRMATUR *ex nominibus Dei.* Nam Deus vocatur JAHVE seu *ipsum esse* quod, perfectiones omnium entium in se continens, omnium entium fons esse debet et origo [30]. Item, Deus est ADONAI seu *Dominus* [31], imo *Dominus Dominantium* [32], *Domi-*

---

[22] Supra n. 53. Adde instinctum quo animalia fugiunt nociva et sua appetunt bona.

[23] Profecto si *8* litterae componi possunt 40.320 modis, et *12* personae 479.002.600 diversimode disponi queunt, quis cogitare poterit diversas atomorum collationes, si, juxta atomistarum sententiam, in solo millesimo cubico enumerantur 30.000.000 atomi? Quomodo vero *casu* sic coire potuerunt, ut omnem artem harmonia superent, et manifestam finalitatem in diversis rerum partibus, v. g. in manu, pedibus, oculis hominis, ostendant? Cf. FARGES *L'idée de Dieu* p. 170; H. MAZZELLA II n. 552-3.

[24] Cf. PETAV. *De Oper. sex dier.* I c. 2 n. 10 sqq. ex Exod. **20**. 11; Ps. **145**. 6; Act. **4**. 24; **14**. 14.

[25] V. g. si dicas *visibilia et invisibilia, — corporea et spiritualia, — suprema et infima, — bona et mala* vel aliquid hujusmodi.

[26] Joan. **1**. 10; 2 Mach. **7**. 23; **13**. 14; Act. **17**. 24.

[27] Gen. **1**. 1. Utrum in hoc testimonio nomine *coeli* intelligantur angeli, non est certum, sed generatim (Ps. **113**. 3-15; **145**. 6; Act. **4**. 24; Colos. **1**. 16; etc.) eos designari docent boni interpretes. HUM. in *Gen.* p. 88-9.

[28] Eccli. **18**. 1; 1 Corinth. **8**. 6; Ps. **145**. 6; Act. **4**. 24; Rom. **11**. 36; Apoc. **4**. 11.

[29] Colos. **1**. 16.

[30] Ab *ipso esse* omnia alia entia procedere probavimus n. 52, 120, 123 ostendentes quod *esse* rei, utpote effectus universalissimus, a sola causa universalissima potest procedere.

[31] Supra n. 4.

[32] Deut. **10**. 13; Ps. **135**. 3; Esther **13**. 9 sq.

nus Deus Sabaoth [33], scil. *dominus coeli et terrae* [34], cui *omnia serviunt* [35] : atqui universale dominium fundari tantum potest in universali causalitate [36] : ergo [37]. — **Patres** *a)* tamquam fidei objectum statuunt quod Deus est « vere omnium regnator et omnium conditor » [38], qui « omnia creavit et consummavit » [39]. *b)* Universalitatem divinae effectionis explicant negando quidquam antecessisse divinam operationem; Deus quippe « cum *nihil* esset, esse fecit omnia » [40], est enim « opifex... qui substantiam ex nulla re, *nullo modo praeexistente* produxit, et formam congruentem materiae effecit » [41]. *c)* Probant vero *ex omnipotentia Dei,* siquidem, « qui dicunt esse naturam, quam Deus omnipotens non creavit..., omnipotentem Deum negant, ut non eum credant mundum potuisse facere, nisi ad eum fabricandum alia natura, quae jam fuerat, et quam ipse non fecerat, uteretur » [42] : *ex supremo dominio,* nam « ei, qui non creavit, nulla est in id quod est increatum potestas, ita ut neque vis ulla ei inferri possit » [43] : *ex unitate Dei,* etenim « si Deus ingenitus et materia ingenita (sunt), non jam Deus creator est omnium... nec Dei constabit monarchia » [44]. *d)* Unde « dicere, ea quae sunt, ex subjecta materia esse facta » damnant *insipientiae extremae* [45] et *impietatis* [46]; atque *divinitatem Verbi* inde

---

[33] 2 Reg. **7**. 8; Jer. **11**. 20 et passim. Ag. **1**. 5; 7; **2**. 7; Malach. **1**. 4; etc. Nomine *Sabaoth (exercituum),* non intelliguntur solum militiae terrae, sed maxime coelorum, scil. stellae et angeli. Cf. Esdr. **9**. 6; Luc. **2**. 13.

[34] Matth. **11**. 25; Act. **17**. 24.

[35] Ps. **118**. 91. Sap. **12**. 18. Hinc generalissimus usus primitiarum, quibus ipsi ethnici in signum servitutis offerebant divinitati primos terrae fructus.

[36] Profecto *productio* est absoluti dominii prima radix : in Deo autem dominium non potest explicari *possessione* quia nulla re eget, non *violentia* quia justus et sanctus, non *donatione* quia entia irrationalia se non possunt donare. Ceterum Scripturae (Esther **13**. 9-11) rationem dominii Dei inde deducunt quod creaturas *fecit.* Cf. PALMIERI p. 21.

[37] LESS. *De div. perf.* X c. 3; JANSSENS p. 12.

[38] EPIST. AD DIOGN. 7. 2.

[39] HERMAS *Mand.* 1 n. 1; IGNAT. M. in *Act. Mart.* apud JANSSENS VI p. 16; TERTUL. *Praescr.* n. 13; etc.

[40] ORIG. *De Princ.* 1 praef. n. 4.

[41] ZACH. Mityl. *De opif. mundi.*

[42] AUG. *De Fide et Symb.* c. 2; TERTUL. *C. Hermog.* c. 8; ATHAN. *De Incarn.* n. 2; AMBR. *Hexaem.* 2 n. 1; EPIPHAN. *Haer.* 5 *C. Stoic.;* THEOD. Serm. 4 *Cur. aff. graec.*

[43] JUST. M. (?) *Cohort. ad graec.;* IREN. *Frag.* 36 apud *Mig.* c. 1248.

[44] THEOP. Antioch. *Ad Autol.* 2 n. 4; TERTUL. *C. Hermog.* c. 4 sqq.; DIONYS. Alex. *C. Sabell. apud Euseb.* H. E. VII c. 19; AUG. *C. Faust.* XXI n. 4; etc.

[45] CHRYS. *in Gen.* hom. 2 n. 2.

[46] IREN. *Adv. Haer.* II c. 9.

arguunt, quod non est factum [47]. — **Ex ratione.** Nam non datur medium inter ens contingens et necessarium : atqui mundus, et ea quae in ipso sunt, non sunt entia necessaria, ut patet ex eorum limitatione et mutabilitate : ergo sunt entia contingentia : atqui entia contingentia sunt ab ente necessario [48], quod est unus Deus [49] : ergo.

338. **Tertia pars.** *Nulla necessitate compulsus, sed liberrimo consilio Deus fecit omnia quae in mundo sunt.* Divinam libertatem in operibus *ad extra* vindicamus in tractatu *de Deo Uno* [50] nec quidquam addere debemus.

THES. 35. *Mundus, utpote Dei opus, — 1 vera bonitate non caret, — 2 et licet absolute optimus non sit, — 3 secundum quid tamen ultimam possibilem perfectionem attingit.*

339. **Pars prima.** *Mundus veram bonitatem habet.* Nam effectus imaginem suae causae refert; atqui mundus est effectus Dei, qui est infinite bonus : ergo. Profecto ens et bonum convertuntur, ut ex philosophia noscimus [51] : atqui mundus est ens : ergo. Hinc legimus quod *vidit Deus cuncta quae fecerat : et erant valde bona* [52]. Quod si conditionem nostram considerare velis, nullatenus justificabis pessimisticam conceptionem vitae : primo quidem quia non desunt nobis plurimae voluptates sensibiles et spirituales; dein quia mala, quibus affligimur, sunt poenae peccati originalis [53]; unde, cum violatum ordinem reintegrent, rationem boni induunt; tandem quia Christus sacramentis, auxiliis gratiae et spe futurae vitae, tam levia reddidit [54], ut cum Apostolo repetere possimus : *Superabundio gaudio in omni tribulatione nostra* [55].

340. **Secunda pars.** *Mundus absolute loquendo non est omnium possibilium optimus.* Nam virtus infinita nullo effectu finito exhauritur, unde aliquid melius potest operari : atqui mundus est

---

[47] ATHAN. *C. Arian.* Or. 2 n. 22.

[48] Supra n. 51.

[49] Supra n. 146; S. THOM. 1 p. q. 44 a. 1.

[50] Supra n. 198.

[51] S. THOM. 1 p. q. 5 a. 3; *De Verit.* q. 21 a. 2; SCHIFF. *Princ. Phil.* n. 496.

[52] Gen. 1. 31.

[53] AUG. *C. Jul.* IV c. 16 n. 79 ex malis hujus vitae arguit existentiam peccati originalis.

[54] Quam fuerit copiosa redemptio Christi, et quomodo *initialiter* nunc, *perfective* in vita futura, hominem omnibus bonis cumulaverit, videbimus in tr. *De Verbo Incarn.*

[55] 2 Corinth. 7. 4.

limitatus effectus infinitae virtutis Dei : ergo. Ceterum bonum *per se* praestat bono *per accidens* et ex consequenti ; unde justorum felicitas majus est bonum quam peccatorum punitio, et gloria formalis, qua electi Deum prosequuntur, est supra materialem quae elucet in praescitorum damnatione : atqui Deus potuisset creare mundum in quo omnes salvarentur, et sancti abundantioribus gratiis et fulgidiori gloria cumularentur : ergo. Nonne Deus elegit *infirma et egena elementa,* ut confunderet fortia [56] ? Ergo in mundo non sunt optima, sed Deus meliora facere poterat sive absolute sive respective ad determinatos fines assequendos.

341. **Tertia pars.** *Mundus secundum quid, seu respective, multipliciter optimus apparet.* Et *a)* primo quidem *relate ad divinam voluntatem,* siquidem ne in apice jotave uno deficit ab illo, quem Deus voluntate beneplaciti vel signi voluit, manifestatque divina attributa in eo gradu, quem Deus intendit : *b)* secundo *quoad rerum essentias,* quae, si augerentur, speciem seu naturam mutarent [57] : *c)* tertio *quoad modum* quo factus est, siquidem Deus « non potest facere ex majori sapientia et bonitate [58] » ; *d)* quarto *quoad debitam proportionem partium* respectu finis intenti ; Deus enim *omnia in mensura et numero et pondere disposuit* [59], unde « universum, suppositis istis rebus, non potest esse melius, propter decentissimum ordinem his rebus attributum..., quorum si unum aliquod esset melius, corrumperetur proportio ordinis, sicut si una chorda plus debito intenderetur, corrumperetur citharae melodia [60] ; *e)* quinto *ratione generum rerum,* siquidem mundus continet omnes gradus entium ordinis *naturalis* (anorganica, vegetativa, sensitiva, rationalia, pure intelligentia) et *supernaturalis* (gratiam, beatificam visionem, unionem hypostaticam) ; *f)* sexto *comparatione facta cum nostra cognitione,* quippe tam nobilis est ut eum perfecte attingere non valeamus [61] ; *g)* septimo *respectu habito ad determinatas quasdam perfectiones* quo modo Deus donum specifice majus gratia, et beatifica visione dare non potest, sicut nobiliorem maternitatem quam Dei genitricis, vel majorem elevationem humanitatis quam per hypostaticam unionem facere nequit, eo quod horum

---

[56] 1 Corinth. **1**. 27.
[57] S. THOM. 1 p. q. 25 a. 6.
[58] S. THOM. *l. c.* ad 1.
[59] Sap. **11**. 21.
[60] S. THOM. 1 p. q. 25 a. 6 ad 3.
[61] HONTH. *Inst. Theod.* n. 918.

excellentia petatur a *termino* qui est Deus, quo majus nil cogitari potest [62].

342. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES.** Difficultates quae militant contra hanc thesim solvimus agentes de cognitione Dei per creaturas [63], de malorum permissione [64], et de libertate Dei in operationibus ad extra [65].

ART. 2 - DE CREATIONE.

343. **Quid creatio.** Quamvis lato et improprio sensu *creatio* dicatur de quacumque productione [1] vel efformatione rei [2], etiam ordinis intentionalis [3] et supernaturalis [4], sensu tamen proprio significat specialem illam operationem, qua res mundanae primam existentiam a Deo acceperunt, quaeque definitur a S. THOMA: *productio rei ex nihilo* [5]. Quoniam vero ly *ex nihilo* trahi posset ad negandam causam efficientem, quae exprimi solet part. *ex*, vel coarctari ad totalitatem solius formae quo modo omnis effectus est *ex nihilo sui* [6], ad aequivocationem vitandam communius definitur: *productio rei ex nihilo sui et subjecti* [7]; ubi ultima verba, dum coarctant rationem nihili ad effectum *(sui et subjecti)*, innuunt non excludi causam efficientem; cum vero extendunt ad nullitatem *subjecti*, distinguunt creationem, quae est « absque praejacente materia » [8], a ceteris effectionibus, quae in mutatione rei praeexistentis consistunt.

344. **Creationis definitio expolitur.** Creatio est *productio* seu *effectio*, non sensu lato et improprio, quo modo divinae personae dicuntur *productae* [9], sed stricto, quemadmodum effectus procedit a causa

---

[62] SYLV. in *S. Thom.* apud C. MAZZELLA n. 134.

[63] Supra n. 54-9.

[64] Supra n 201-2.

[65] Supra n. 204 sqq.

[1] Hoc generico sensu jam vidimus n. 574 aeternam ipsam Sapientiam *creari*.

[2] Sic dicuntur creari *respublica* (CICER.), *filii* (CIC. et VIRG.), *opera artis* (CICER.), etc. C. MAZZELLA *De Deo creante* n. 2.

[3] Hoc sensu creantur *ministri, cardinales*, etc.

[4] Sic fideles dicuntur ab APOSTOLO (Ephes. **2**. 10) *creati in Christo Jesu in operibus bonis*.

[5] S. THOM. 1 p. q. 45 a. 1.

[6] V. g. domus est ex lapidibus sed ex nihilo *domus;* planta ex semine sed ex nihilo *plantae;* etc. S. THOM. 1 p. q. 45 a. 1.

[7] C. MAZZELLA n. 4 sqq.; HONTHEIM n. 929; JANSSENS IV p. 126; PIGNATARO *De Deo* p. 29.

[8] S. THOM. *Cg.* II c. 16.

[9] Card. BESSARIO *De Process. Spir. S.* apud *Franz.* p. 479; FRANZ. p. 499.

proprie dicta [10]. Est productio *rei,* quia *res* seu *res naturae* dicitur *substantia concreta subsistens;* talis autem est terminus creationis, siquidem « creari est quoddam *fieri,* fieri autem ordinatur ad *esse* rei : unde illis proprie convenit fieri et *creari, quibus convenit esse:* quod quidem convenit proprie subsistentibus... Sicut igitur accidentia et formae et hujusmodi, quae non subsistunt, magis sunt *coëxistentia* quam *entia;* ita magis debent dici *concreata* quam *creata* » [11]. Est productio *ex nihilo* quia in creatione, secus ac in ceteris effectionibus [12], terminus operatus secundum omnia seu *totaliter* est ab agente [13], ita ut non fiat ex alio ente sed ex *non ente,* quod est *nihil.* Nota tamen cum S. THOMA quod « haec praep. *ex* potest includere negationem importatam in hoc quod dico *nihil* [14], vel includi ab ea [15]. Si primo modo tunc ordo remanet affirmatus, et ostenditur ordo, ejus quod est, ad *non esse* praecedens. Si vero negatio includat praepositionem, tunc ordo negatur et *(nihil)...* importat habitudinem causae materialis, quae negatur » [16].

345. **Quid creatio active inspecta** [17]. In effectionibus nostris tria fluunt ab agente : *imperium voluntatis* quo applicatur potentia exterior, v. g. manus ad agendum ; *operatio effectiva,* v. g. motio manus ; et *terminus* operationis, v. g. dolor percussionis : in creatione non datur *operatio media* inter actum divinae voluntatis et creaturam effectam, sed Deus SUA VOLUNTATE IMMEDIATE AGIT. Hoc aperte testantur SCRIPTURAE cum divino *praecepto, verbo* vel *voluntati* tribuunt effectionem et conservationem rerum [18]. Nec aliter loquuntur PATRES qui plenissimo consensu docent quod Deus « rerum, quae conspiciuntur, magnitudines *solo voluntatis nutu* condidit » [19], « nullo medio interposito » [20] ;

---

[10] Supra n. 331.

[11] S. THOM. 1 p. q. 45 a. 4.

[12] Figulus *ex luto* efformat vasa, architectus *ex lapidibus* aedificat domum, etc.

[13] Cum productio rei ex nihilo sui et subjecti resolvatur in totalem productionem entis, creatio potest definiri : *productio rei secundum totam suam substantiam* (PALMIERI *De Deo Crean.* p. 11), vel *emanatio totius entis a causa universali* (S. THOM. 1 p. q. 45 a. 1) : quia vero operatio, quae est causa totius entis, non attingit tantum *modum* essendi sed ipsam *rationem entis,* creatio dicitur etiam *productio entis in quantum ens* (JANSSENS p. 124).

[14] Fit ex nihilo, scil. ex *non ente.*

[15] Fit ex nihilo, scil. *non* fit *ex aliquo.*

[16] S. THOM. 1 p. q. 45 a. 1 ad 3.

[17] Operatio considerari potest in termino *a quo* seu in agente et in termino *ad quem* seu in passo : primo modo sumitur *active,* altero *passive.*

[18] *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.* Ps. **32**. 9 ; **36**. 6 ; **148**. 5 ; Gen. **1**. 3 ; 2 Mach. **8**. 18 ; Apoc. **4**. 11. *Portans omnia verbo virtutis suae.* Hebr. **1**. 3.

[19] BASIL. *In hexaem.* hom. 1 n. 2 ; ATHAN. *C. Arian.* or. 2 n. 29 ; GREG. Nyss. *C. Eunom.* 1 ; GREG. Naz. *Or.* 38 n. 9 ; AMBR. *In hexaem.* II c. 2 ; AUG. *Conf.* XI c. 7 n. 2.

[20] GREG. Nyss. *C. Eunom.* 12.

siquidem « ipsius potentia nihil aliud est quam bona ipsius voluntas » [21] : imo inde, tamquam e noto principio, arguunt *omnipotentiam* Dei, quippe nihil « difficile est ei, cui velle fecisse est », et *divinitatem Verbi,* quod si esset creatura per quam ceterae factae sunt, creatio fuisset mediata [22]. RATIO est manifesta, nam necessitas instrumenti sive externi sive interni distincti a voluntatis imperio provenit ex defectu virtutis ipsius voluntatis et subaudit realem distinctionem potentiarum : atqui primum repugnat divinae omnipotentiae, alterum contradicit divinae simplicitati : ergo dicendum cum S. THOMA quod « Deus agit voluntarie in rerum productione, non autem ita quod sit aliqua actio ipsius media, sicut in nobis actio virtutis motivae est media inter actum voluntatis et effectum... sed oportet quod suum intelligere et velle sit suum facere » [23]. — Si nunc intimius quaeras de modo quo divina voluntas operetur suum effectum, quidam cum SUAREZ respondent actum creativum esse *formaliter transeuntem* et consistere in *modo substantiali* recepto in creatura [24] ; communius cum S. THOMA docent esse *virtualiter transeuntem,* quatenus habet terminum extra agentem, sed esse *formaliter immanentem,* re idem cum divina essentia [25]. Haec sententia deducitur e notione operationis divinae et ex propria ratione creationis : *ex ratione creationis,* quia actio formaliter transiens supponit subjectum in quo recipiatur, dum creatio est *ex nihilo subjecti; ex generica ratione operationis divinae,* quia operatio formaliter transiens locum habet quando agens *movetur* motu qui est ipsa operatio ; sed Deus est actus purissimus ; ergo in Deo « actio est ejus substantia » [26], « potentia (vero) non dicitur in Deo sicut *principium actionis,* sed sicut *principium facti...* nisi secundum modum intelligendi, prout intellectus noster diversis conceptibus utrumque considerat, scil. divinam potentiam et ejus actionem » [27].

346. **Quid creatio passive inspecta.** In creatis *actio* transit ab agente in passum, et re cum *passione* identificatur, sed in creatione *actio,* ut vidimus, non transit, et est ipsa divina substantia ; creatio itaque passiva re distinguitur ab actu creativo et « nihil aliud est quam *relatio* quaedam ad Deum, cum novitate essendi » [28]. Utrum haec *relatio* sit praedicamentalis vel transcendentalis, disputatur : SCOTISTAE, quibus adhaerent VASQUEZ, DE VALENTIA et ex recentioribus C. MAZZELLA,

[21] DAMASC. *De fide orth.* II c. 29 ; GREG. Nyss. *C. Eunom.* 1.

[22] ATHAN. *C. Arian.* or. 2 n. 29.

[23] S. THOM. *Cg.* II c. 35.

[24] SUAREZ *Metaph.* Disp. 20 sect. 5 n. 21 sqq.

[25] C. MAZZELLA n. 23 ; PALMIERI *th. 5* n. 61 sqq. ; JANSSENS p. 139.

[26] S. THOM. *De div. nom.* lect. 2 ; *De Potentia* q. 3 a. 3 ; *Cg.* II c. 23 et 31 ; GREG. Nyss. *C. Eunom.* ; MAXIM. *In Lib. de div. nom.* c. 9 ; AUG. *Conf.* XI c. 31 ; ANSELM. *De Inc. Verbi* c. 4.

[27] S. THOM. *Cg.* II c. 10 ; supra n. 105 ; C. MAZZELLA n. 22.

[28] S. THOM. *De Potent.* q. 3 a. 3.

PESCH, JANSSENS et TEPE [29], docent esse *transcendentalem,* et re non distingui a substantia creaturae: THOMISTAE, quibus e recensoribus accedunt SCHIFFINI et BILLOT [30], tenent esse *praedicamentalem* seu accidens distinctum a substantia creaturae eique tamen necessario proveniens, non secus ac ex generatione oritur in termino relatio filii ad patrem [31]. Haec videtur sententia S. THOMAE qui ait: « Dicendum quod illa relatio *accidens est* et secundum esse suum considerata, prout *inhaeret subjecto,* posterius est quam res creata; sicut accidens subjecto, intellectu et natura, posterius est; quamvis non sit tale accidens quod causetur ex principiis subjecti » [32].

347. **Creatio non est mutatio, fit in instanti, et procedit a virtute infinita.** Creatio non est MUTATIO, quia « de ratione mutationis est quod aliquid idem se habeat aliter nunc et prius...: sed in creatione, per quam producitur tota substantia rei, non potest accipi aliquid idem aliter se habens nunc et prius, nisi secundum intellectum tantum » [33]: ergo. Fit IN INSTANTI, quia « in omni motu successivo est aliquid medium inter ejus extrema, quia medium est ad quod continue motum prius venit, quam ad ultimum: inter *esse* autem et *non esse,* quae sunt quasi extrema creationis, non potest esse aliquid medium: igitur non est ibi aliqua successio » [34]. Adde quod successio in nostra operatione « ex defectu materiae provenit, quae non convenienter est a principio ad receptionem formae disposita: unde quando materia jam perfecte disposita est ad formam, eam recipit in instanti... In creatione autem nihil praeexigitur ex parte materiae, nec aliquid deest agenti ad agendum, quod postea per motum ei eveniat, cum sit immobilis... Relinquitur igitur quod creatio sit in instanti » [35]. Esse autem ACTUM INFINITAE VIRTUTIS probatur *ex termino* qui *primo* et *per se* efficitur creatione. Profecto efficacia virtutis effectivae non mensuratur *ex individuo* quod producitur, sed *ex specifica ratione* quae a causa attingitur,

---

[29] PESCH n. 11; C. MAZZELLA n. 32; JANSSENS p. 145; TEPE II n. 624.

[30] SCHIFFINI *Metaph.* II n. 539; BILLOT *De Deo Trino* p. 374-6 coll. p. 168. Etiam SUAREZ *Metaph.* Disp. 20 sect. 4 n. 12 distinguit *creationem passivam* a *creatura,* sed confundit cum *creatione activa,* quam dicit *modum substantialem* in creatura receptum.

[31] Haec relatio consistit in absoluta dependentia « creaturarum a Deo, ita quod nec ad momentum subsistere possent, sed in nihilum redigerentur, nisi operatione divinae virtutis conservarentur in esse... omnis enim effectus dependet a sua causa, secundum quod est causa ejus ». S. THOM. 1 p. q. 104 a. 1.

[32] S. THOM. *De Potent.* q. 3 a. 3 ad 3; *II Dist.* 1 q. a. 2 ad 4 et 5; 1 p. q. 45 a. 3 ad 2 et 3.

[33] S. THOM. 1 p. q. 45 a. 2 ad 2; a. 3; *II Dist.* 1 q. 1 a. 2 ad 2; *Cg.* II c. 1 etc.

[34] S. THOM. *Cg.* II c. 19.

[35] S. THOM. *Cg.* II c. 19.

ut patet de virtute figuli quae se extendit ad omnia vasa perfectionis facti : atqui creatione agens non attingit tantum *modum determinati entis,* sed ipsam rationem τοῦ *esse* [36] quae, utpote universalissima, a sola virtute universalissima ideoque infinita potest produci [37] : ergo. Idem concluditur *ex distantia effectus a termino a quo.* Nam « potentia facientis proportionatur distantiae, quae est inter id quod fit et oppositum ex quo fit. Quanto enim frigus est vehementius, et sic a calore magis distans, tanto majori virtute caloris opus est ut ex frigido fiat calidum. *Non esse* autem simpliciter in infinitum ab *esse* distat, quod ex hoc patet. Quia a quolibet ente determinato plus distat *non esse,* quam quodlibet *ens,* quantumcumque ab alio ente distans invenitur; et ideo ex omnino *non ente* aliquid facere non potest esse nisi potentiae infinitae » [38].

348. **Creatura ne instrumentaliter quidem potest creare.** Creaturam *propria virtute* creare non posse, patet ex modo dictis de *infinitate* virtutis creativae quae in ente finito inveniri nequit, et ex *termino* proprio creationis, quem, si creatura attingeret, esset saltem virtualiter causa omnium quae habent *esse* participatum, ac proinde causa suipsius [39]. *Neque instrumentaliter* posse operari ad creationem, constat ex natura causae instrumentalis quae ad effectum causae principalis pervenit operatione propria, in ordine logico praecedente actionem principalis agentis, cujus est quasi inchoatio [40]; unde, ut creatura instrumentaliter cooperaretur creationi, deberet aliquid facere, ratione saltem, praevium divino influxui : atqui hoc est impossibile, siquidem actio creaturae est accidens quod recipitur in subjecto, et creatio est effectio ex nihilo subjecti : ergo [41].

349. **Errores — Veritas.** Ut taceamus de PANTHEISTIS qui originem mundi explicant emanatione a divina substantia [42], dogma creationis inimicos habuit antiquos philosophos qui cum PLATONE, ANAXAGORA et ARISTOTELE [43] ponebant materiam praejacentem, de

---

[36] Supra n. 120, 122.

[37] S. THOM. 1 p. q. 45 a. 5.

[38] S. THOM. *De Potent.* q. 3 a. 4.

[39] Cf. C. THOM. 1 p. q. 104 a. 1; *Cg.* III c. 65 n. 3; *De Potent.* q. 3 a. 4; q. 7 a. 2.

[40] S. THOM. 3 p. q. 62 a. 1 ad 2; BILLOT *De Sacram.,* I p. 56-8.

[41] S. THOM. 1 p. q. 45 a. 5; *Cg.* II c. 21; *De Potent.* q. 3 a. 4; JANSSENS p. 150-62.

[42] Supra n. 6.

[43] Quidam negant PLAT. et ARIST. impugnare creationem *ex nihilo,* sed PALMIERI evincit in nota ad *th. 3* p. 755 sqq. *NB.* Error de praejacente materia antiquissimus est, ut videre est in mythologiis ethnicorum.

qua Deus mundum aedificavit; eumdem errorem renovarunt paulo ante Christum PHILO et post Christum GNOSTICI et HERMOGENES [44], ac nostris temporibus MATERIALISTAE et RATIONALISTAE [45]. **Veritas,** saepe definita, iterum proposita est in CONC. VATIC. : « S. q. non confiteatur, mundum resque omnes, quae in eo continentur... *secundum totam suam substantiam* a Deo *ex nihilo esse productas*... a. s. » [46].

THES. 36. *Mundum esse a Deo per creationem — 1 ex pluribus Scripturae testimoniis, — 2 maxime vero ex. Gen.* **1.** *1 evincitur, — 3 testantur Patres, et — 4 probat ratio.*

350. **Prima pars.** *Plura Scripturae testimonia docent rerum omnium originem a Deo per creationem.* **Argum. 1.** *Ex praedictis.* Ostendimus Scripturam non *plurium,* sed *omnium* rerum originem a Deo testari [47] : ergo independenter a divina operatione nulla materia praejacens nullave entium pars existit : atqui operatio qua *tota realitas* effectus producitur, quaeque materiam praejacentem non supponit, est *creatio:* ergo. **Argum. 2.** *Ex notione supremi dominii* et *gubernationis* Dei *ad cujus nutum* omnia obediunt et ex cujus voluntate pendet quod *sint* vel *esse desinant* [48]; nam materia infecta, si praecessisset, foret independens a Deo, qui nec esset universalis et absolutus dominus omnium, nec sola voluntate operaretur. **Argum. 3.** *Ex divina potentia,* qua omnia *conservantur* et *portantur* [49]; sola quippe creatio attingens ipsum *esse* rei, fundat necessitatem influxus conservativi [50]. **Argum. 4.** *Ex verbis matris Machabaeorum* quae sic allocuta est filium suum : *Peto, nate, ut aspicias ad coelum, et terram, et ad omnia quae in eis sunt: et intelligas, quia* EX NIHILO FECIT *illa Deus, et hominum genus* [51]; his enim non solum creatio proponitur absoluta universalitate effectus, sed etiam formali ratione productionis rei ex nihilo [52].

---

[44] HERGENR. I p. 76, 189 sqq. 223.

[45] BÜCHNER, MOLESCHOTT, JANET, FLAMMARION apud *H. Mazzella* II n. 29.

[46] CONC. VATIC. *Dei Filius* § 1 cn. 5; cp. 1; cn. 1; CONC. LAT. IV *C. Albig.*

[47] Supra n. 337.

[48] Gen. **1.** 1 sqq.; **6.** 7; Deut. **4.** 19; **26.** 19; Sap. **1.** 14; **11.** 18; Eccli. **1.** 8; **18.** 1; Isai. **40.** 12 sqq.; **42.** 5; **45.** 7; 18; Hebr. **3.** 4; Apoc. **4.** 11.

[49] Ps. **103.** 27-30; Job. **34.** 14; 15; Sap. **8.** 1; Colos. **1.** 17; Hebr. **1.** 3.

[50] S. THOM. 1 p. q. 104 a. 1.

[51] Mach. **7.** 28. Syriac. : *ex eo quod non est* fecit.

[52] Non obstat verba esse matris machabaeorum, approbantur enim ab

351. **Secunda pars.** *Propria dicta rerum creatio evincitur ex Genesi* **1. 1. Testimonium.** *In principio creavit Deus coelum et terram* [53]. Ex hoc testimonio quatuor argumenta conficiuntur, scil. *a)* ex propria significatione verbi *creavit, b)* ex contextu, *c)* ex fine auctoris et *d)* ex versionibus. **Argum. 1.** *Ex propria significatione verbi creavit.* Licet enim hebraicum בָּרָא *(barà)* non secus a graeco κτίζειν et a latino *creare* adhibeatur aliquando de productione ex materia praejacente, eo quod verba accipi solent etiam in significatione generica et impropria; sensu tamen proprio, a quo profecto in nostro testimonio recedere non licet [54], significat *productionem rei ex nihilo.* Revera *barà* « adhibetur de actionibus exclusive divinis » [55], et quidem de supernaturalibus quae sunt independentes a materia, vel de effectione rerum quae proxime aut remote ex nihilo sunt factae [56]; numquam vero copulatur materiae *de qua* aliquid fit [57], sed potius contradistinguitur a verbis quae productionem ex praejacente materia significant [58]: ergo in propria

---

inspirato auctore qui docet eam esse locutam *plena sapientia.* (Cf. Vol. 1 n. 534). Porro matrem machabaeam allusisse ad Gen. **1.** 1 certum est; num vero additamentum *ex nihilo,* quo verbum *barà* explicatur, sit ipsius matris machabaeae vel potius inspirati auctoris, nil refert, semper enim manet vocis *barà* authentica explicatio a Deo *data* vel *confirmata.*

[53] Gen. **1.** 1.

[54] Tenendum esse sensum proprium constat: *a)* ex *generali regula* hermeneuticae quae vetat sensum metaphoricum eligere quousque non demonstratur: *b)* ex *contextu* quia agitur de *prima* rerum effectione cujus materia, si fuisset, innui saltem debuisset: *c)* ex *fine* Moysis qui, ut videbimus, voluit *unitatem principii* mundi ostendere.

[55] HUMM. in *Gen.* p. 86.

[56] Qui materiam de nihilo produxit et de materia aliquid fecit, rem *creasse* dicitur ut utraque productio innuatur.

[57] Sic v. g. cum hominis formatio proponitur verbo *barà* dicitur: *creavit Deus hominem* (Gen. **1.** 27); cum exprimitur verbo *jazar* dicitur: *formavit Dominus Deus hominem de limo terrae* (Gen. **2.** 7).

[58] Sic in Isaia **43.** 7: *In gloriam meam* CREAVI (בָּרָא *barà*) *eum,* FORMAVI (יָצַר *jazar*) *eum, et* FECI (עָשָׂה *asah*) *eum.* Tria verba non esse *synonyma* constat ex simultanea relatione. Quid ergo unicuique est proprium? Duae hypotheses fieri possunt: quod omnia verba sint specifica vel quod unum sit genericum et duo specifica. Primo modo (KNAB. in *Isai.* II p. 129) Deus *creat* tribuendo esse, *format* constituendo in propria natura, *perficit* adducendo ad naturalem et supernaturalem perfectionem: altero modo genericum verbum *fecit* specificatur verbo *formare* prout Deus de limo terrae res aedificavit, et verbo *creare* prout totum de nihilo eduxit (HUM. in *Gen.* p. 87). Primam explicationem praeferimus quia servat progressum in verbis; in altera tamen argumentum non infirmatur, quia generica significatio causae constitui nequit in voce quae de sola divina operatione adhibetur.

significatione exprimit operationem divinam, cui ne in generica quidem ratione operationes nostrae possunt comparari, quaeque independens est a materia praejacente : atqui in hoc est propria creationis ratio : ergo. **Argum. 2.** *Ex contextu.* Nam Deus mundum creavit *in principio :* ergo ante divinam operationem non praecessit tempus [59] : atqui, si creationi praeextitisset materia, tempus fuisset, quia materia mutatur et ex mutationibus resultat tempus [60] : ergo. Accedit quod Moyses distinguit creationem mundi, de qua loquitur in v. 1 et cujus terminus est *terra inanis et vacua,* ab organizatione materiae, de qua agit v. 2 et sqq. quamque Deus sex diebus peregit : atqui, si creationi praeextitisset materia, dies efformationis coepissent vers. 1, nec primus effectus divinae operationis fuisset res *inanis* et *vacua,* sed determinata ac formata : ergo [61]. **Argum. 3.** *Ex scopo Moysis.* Nam Moyses originem omnium hominum ex Adamo, et totius creaturae a Deo inducit, ut appareat *monotheismus* et consequens obligatio adorandi eum qui, utpote omnium principium, est dominus omnium [62] : atqui argumentum esset infirmum, si ante creationem extitisset materia, quae (utpote aliud mundi principium) sibi vindicasset hominum cultum : ergo Moyses, si pro certo non habuisset productionem rerum *ex nihilo,* de origine mundi siluisset. Si igitur ad removendos a polytheismo hebraeos, argumentum deduxit ex origine mundi, certe voluit revocare populum suum ab erroribus Aegyptiorum qui materiam habebant infectam et aeternam [63]. **Argum. 4.** *Ex auctoritate versionum.* Nam, excepta graeca LXX, omnes *barà* transferunt voce quae significat productionem *ex nihilo ;* LXX vero verterunt ἐποίησεν quia lingua greca, exculta ab ethnicis, qui creationem proprie dictam non agnoscebant, nondum sacraverat verbum κτίζειν ad significandam productionem ex nihilo quod, cum dein factum est, AQUIL., SYM. et THEOD., *barà* verterunt ἔκτισεν [64].

---

[59] Profecto *in principio* non signat initium divinae operationis ; propositio enim foret tautologica et diceret : *quando Deus coepit operari, operatus est.* Quod vero aliqui Patres explicent *in Filio,* non officit quia pauci sunt et secundaria tantum significatione proponunt. PALMIERI p. 41 sqq.

[60] Supra n. 137.

[61] Terminum primae effectionis divinae fuisse *terram inanem et vacuam,* declarabimus in solutione difficultatum.

[62] Supra n. 197.

[63] Cf. C. MAZZELLA n. 51.

[64] In hoc conveniunt etiam rabbini unde Kimchi in Isai. **42.** 7 ait : « Vox בְּרִיאָה (*beriah* = *creatio* a verbo *barà*) rem innovat et producit *ex nihilo* ».

352. **Tertia pars.** *Creationem proprie dictam multipliciter docent Patres.* Revera *a)* creationem praedicant proprietatem Dei qua ab homine contradistinguitur [65]: *b)* Deum vero creasse mundum dicunt esse fide credendum [66] et principaliter tenendum; unde hoc negantes de haeresi damnant [67]: porro *c)* assertum probant ex Scripturis et maxime *ex Gen. 1. 1.* [68], ex *omnipotentia* et *unitate Dei,* atque *ex dependentia materiae* quae, si esset infecta, supremo Dei dominio non subderetur [69]. Ut aliquos promamus, sic IREN.: « Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Quoniam homines quidem *de nihilo* non possunt aliquid facere, sed de materia subjacente; Deus autem... materiam fabricationis suae, cum ante non esset, ipse adinvenit » [70]. Et HERMAS: « Primum omnium crede unum esse Deum qui omnia creavit et consummavit et ex nihilo omnia fecit » [71]. Unde TERTUL. affirmat quod « totum quod est Deus aufert (Hermogenes), nolens illum ex nihilo universa fecisse » [72]. Nec aliter ATHAN.: « Christi fides... novit res non fortuito factas esse, quia providentia gubernantur; neque ex materia prius existente, quia Deus imbecillis non est » [73].

353. **Quarta pars.** *Deum ex nihilo mundum fecisse manifesta evincit ratio.* Nam « si est aliquis effectus Dei, aut praeexistit aliquid illi, aut non. Si non, habetur propositum, scil. quod Deus aliquem effectum producat *ex nullo praeexistente.* Si autem aliquid illi praeexistit, aut est procedere in infinitum, quod non est possibile in causis materialibus...; aut erit devenire ad aliquod primum quod aliud non praesupponit; quod quidem non potest esse ipse Deus,

---

[65] IREN. *Adv. Haer.* II c. 10; JUST. M. (?) *Cohort. ad Gent.;* METHOD. frag. relat. a Photio apud *Palmieri* pag. 50; ATHAN. *C. Arianos* or. 2 et 3; CHRYS. in *Gen.* hom. 3 n. 2; AUG. *De Gen. c. Manich.* I c. 6; CYRIL. Alex. *Thesaur.* VI n. 2; DAMASC. *De fide orth.* II c. 6.

[66] HERMAS *Pastor* II m. 1; TERTUL. *Praesc.* c. 13; ORIG. *Periar.* I praef. n. 4; AUG. *De fide et symb.* c. 2; FULG. *De fide ad Petr.* c. 3.

[67] TERTUL. *C. Hermog.* c. 25; EPIPH., THEOD., AUG. in catalogis haeresum.

[68] TERTUL. *C. Hermog.* n. 20; BASIL. *Hexaem.;* ATHAN. *De incarn. Verb.* n. 3; EPHREM in *h. l.;* GREG. Naz. *Or.* 38 n. 21; AMBR. in *Hexaem.* 2; GREG. Nyss. *in Hexaem.;* THEOPH. *ad Autol.* etc.

[69] JUSTIN. M., IREN., ATHAN., AMBR., EPIPH. etc. Supra n. 337.

[70] IREN. *Adv. Haer.* II c. 10 n. 4.

[71] HERMAS *Mad.* 1 n. 1.

[72] TERTUL. *Adv. Hermog.* c. 1.

[73] ATHAN. *De Inc. Verbi* n. 3.

...nec potest esse aliud a Deo, cui Deus non sit causa essendi, ut ostensum est [74]. Relinquitur igitur quod Deus in productione sui effectus, non requirit materiam praejacentem ex qua operetur » [75], sed omnia ex nihilo fecit.

354. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Verbum *barà* non dicit productionem rei ex nihilo, quia secundum etymologiam praefert notionem *scindendi* seu *secando effingendi,* et quia adhibetur de productione ex praejacente materia. **Resp.** Concedo totum et *nego consequentiam.* Argumentum nostrum fundatur potius in contextu quam in voce; ex voce autem *barà* non conclusimus quasi numquam adhibeatur de productione ex praejacente materia, sed ex ejus *sensu proprio,* quem ex collatione testimoniorum deduximus. Quod vero opponitur ex etymologia nil probat, quippe significatio verborum non semper radici conformatur; unde, ut notat HUM., « germ. *Schaffen* ab eadem atque σκάπτειν *excavare* radice derivatur », et tamen productionem ex nihilo significat [76].

355. **Objic. 2.** Licet Moyses visibilium omnium et invisibilium *(coelum et terram)* causam dicat Deus, tamen, cum visibilis mundi originem enarrat, materiam praejacentem *(terram inanem et vacuam)* commemorat : ergo. **Resp.** Num sub nomine *coeli* intelligantur angeli, vel potius ceterae mundi visibilis partes quae a nostra terra contradistinguuntur, relinquimus exegetis [77]; at nomine *terrae* non exprimi mundum formatum, sed terram inanem et vacuam, quae dein praesentem formam accepit, manifeste indicat ו (*vav* = *et*) conjunctivum [78] quod in omni versione servatur : Moyses itaque in vers. secundo non reassumit quod dixerat in primo, sed prosequitur. Ceterum si quis contenderet in vers. 1 agi de his, quae infra describuntur, argumentum maneret; quippe nomine *coeli et terrae* exprimeretur universalitas rerum, in qua profecto etiam *terram inanem et vacuam* includere necesse est.

356. **Objic. 3.** Dicit SAPIENTIA quod Deus creavit mundum *ex materia invisa* [79] : ergo non ex nihilo. **Resp.** Sapientia non loquitur de prima rerum effectione, sed, ut ostendat Aegyptiis Deum posse immittere feras *novae speciei* vel *insueti furoris,* commemorat secundam rerum effectionem, qua Deus de terra inani et vacua eduxit animantia [80].

357. **Objic. 4.** BASILIUS docet ante mundum creatos fuisse angelos *in invisibili mundi substantia:* datur ergo substantia invisibilis

---

[74] Supra n. 52 et 123.
[75] S. THOM. *Cg. II* c. 16.
[76] HUM. in *Gen.* p. 86.
[77] Cf. HUM. *l. c.* p. 88-9.
[78] Addi etiam potest *art.* (הָאָרֶץ = *veaarez*) qui ordinarie nomini prius commemorato praeponitur.
[79] Sap. **11.** 18-9.
[80] A. LAPIDE in *h. l.*

de qua mundus visibilis effectus est. **Resp.** *Invisibilis substantia,* de qua loquitur BASIL., non est materia, sed, ut patet ex testimonio Apostoli [81], quem invocat, *Filius Dei:* an vero angeli ante mundum visibilem sint creati, infra dicetur.

358. **Objic. 5.** Mundus non est factus ab aeterno, sed *in tempore:* atqui tempus supponit materiam, cujus est numerus motus secundum prius et posterius: ergo. **Resp.** Mundus non est factus *ab aeterno,* neque *in duratione temporis,* sed *in principio* seu initio temporis; ita scil. ut *ante* creationem tempus non fuerit, sed coeperit cum Deus, materiam creando ex nihilo, entia mutabilia constituit [82].

359. **Objic. 6.** Est commune effatum quod *ex nihilo nihil fit:* ergo non datur creatio. **Resp.** Nihil fit ex nihilo *causae efficientis* et ex nihilo *causae materialis affirmatae;* sed ex nihilo *causae materialis negatae* aliquid fieri potest virtute infinita, quae attingit rationem *esse,* ut ex praedictis patet.

ART. 3 - DE CAUSA EXEMPLARI.

360. **Quae causa exemplaris.** *Causa exemplaris* seu *idea* [1] est « *forma* quam aliquid imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem » [2]; unde de ratione causae exemplaris sunt quatuor: *a)* quod sit forma existens extra rem cujus est forma, *b)* quod juxta hanc formam aliquid fiat, *c)* quod convenientia inter illam formam et effectum sit *per se* seu essentialis, et *d)* quod inveniatur in agente intellectuali qui per ipsam, tamquam per imaginem artificiati, tendit in finem [3].

361. **Quid in Deo idea.** Si consideratur *radicaliter* seu in fundamento, idea Dei est sua essentia quae eminenter continens omnes perfectiones creaturarum, eas refert in genere, specie et individuo; sed *formaliter* esse nequit divina essentia quae in immensum excedit singulas creaturas: est igitur divina intellectio repraesentans *formas rerum* quae, utpote *deficientes imitationes* Dei, possunt ab eo produci [4]. Deus, inquit S. THOM., « essentiam suam perfecte cognoscit; unde cognoscit eam secundum omnem modum quo co-

---

[81] Colos. **1.** 16.

[82] S. THOM. 1 p. q. 46 a. 3; JANSSENS p. 209 sqq.

[1] Saepe *idea* habetur synonymus *conceptus* (S. THOM. 1 p. q. 15 a. 1), sed stricte sumpta superaddit ordinem ad *rem producendam.* S. THOM. *De Verit.* q. 3 a. 3.

[2] S. THOM. *De Verit.* q. 3 a. 1.

[3] S. THOM. *l. c.;* C. MAZZELLA n. 124-7.

[4] S. THOM. *De Verit.* q. 3 a. 2.

gnoscibilis est. Potest autem cognosci non solum secundum quod est in se, sed secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquaeque autem creatura habet propriam speciem secundum quod aliquo modo participat divinae essentiae similitudinem. Sic igitur in quantum Deus cognoscit suam *essentiam ut sic imitabilem a tali creatura,* cognoscit eam ut propriam rationem et ideam hujus creaturae; et similiter de aliis » [5].

362. **Creaturae irrationales sunt vestigia, rationales imagines Dei.** Profecto si effectus imitatur causam efficientem, multo magis imitatur exemplarem seu ideam quae est forma effectus existens in agente intellectivo: atqui ideae rerum sunt ipsa divina essentia, prout a divino intellectu attingitur ut participabilis ad extra: ergo res sunt imperfectae repraesentationes seu inadaequatae similitudines divinae essentiae. — Non tamen omnes pari modo eam referunt, sed tanto melius quanto sunt perfectiores: quia ergo similitudini minus perfectae datur nomen *vestigii* [6] et perfectiori *imaginis* [7], illae creaturae vocantur *imagines* Dei quae, in supremo gradu entium constitutae, melius referunt divinam essentiam. Jamvero « assimilantur aliqua Deo, primo quidem et maxime communiter in quantum *sunt;* secundo in quantum *vivunt;* tertio vero in quantum sapiunt vel *intelligunt,* quae, ut AUG. dicit, ita sunt Deo similitudine proxima, ut in creaturis nihil sit propinquius. Sic ergo patet quod solae intellectuales creaturae, proprie loquendo sunt ad imaginem Dei » [8].

363. **Errores — Veritas.** Rerum ideas negarunt MATERIALISTAE et FATALISTAE mundi originem repetentes a casu [9]: extra Deum *per se* subsistentes docuit PLATO quem secuti sunt GNOSTICI et ORIGENES [10]. **Veritas** est definita in OECUM. V.: « S. q. d... quod mundus antiquiora ipsius existentia elementa habens in se subsistentia, siccitatem, humorem, calorem, frigus et *ideam* ad quam efformatus est, ita est factus quodque ...Trinitas non creaverit... a. s. » [11].

---

[5] S. THOM. 1 p. q. 15 a. 2.

[6] *Vestigium* dicitur de quacumque similitudine, ut v. g. cinis est vestigium ignis, et desolatio hostilis exercitus.

[7] *Imago* sensu proprio dicit convenientiam specificam, quemadmodum filius est imago patris.

[8] S. THOM. 1 p. q. 93 a. 2. *NB.* Ratio vestigii et imaginis extendi etiam potest ad Trinitatem juxta praedicta n. 262.

[9] Supra n. 335.

[10] Quidam excusare voluerunt *Platonem,* sed communius cum JUST. M. *Cohor. ad Gent.* c. 6 et AMBR. *Hexaem.* I c. 1 affirmant: *De Gnosticis* vide TERTUL. *de Anima* c. 8: etiam *Orig.* similia effutisse apparet ex ejus condemnatione in OECUM. V.

[11] CONC. OECUM. V. *C. Origen.* c. 6.

THES. 37. *Causa exemplaris mundi est Deus ipse.*

364. **Ex Scripturis.** Esse in Deo rerum ideas docent testimonia quae loquuntur de *sapientia,* qua Deus fecit omnia [12] in *numero, pondere et mensura* [13], et superexaltant admirabilem *ordinationem* Dei, qua *perseverat dies* [14]; haec enim manifestant Deum non creasse mundum caeco instinctu, sed libera voluntate consequente intellectum, in quo res omnes quasi in lucidissimo speculo relucebant. Porro hujusmodi ideas Deum non aliunde accepisse, sed ex sese habuisse, constat imprimis ex thesi praecedenti, qua ostendimus nihil esse increati praeter Deum, ac proinde nec *ideas* quae, si factae essent, profecto factae essent aliis ideis in Deo existentibus. Accedunt testimonia quae creationem mundi tribuunt *sapientiae subsistenti;* sapientia enim ex sese nominat ideas, quibus res cognoscuntur et ordinantur [15]. Adde res omnes ante creationem *invisibiliter extitisse* in Deo [16], et hominem perfectione naturali [17] ac supernaturali [18] *assimilari Deo,* in quem coelesti gloria transformabitur [19]: atqui in Deo res idealiter tantum praeexistere potuerunt, et homo non assimilaretur Deo, si ideae quibus conformatur, dum perficitur, in Deo non essent: ergo. — **Patres** existentiam idearum archetyparum *testantur* dicendo quod « secundum artem (Verbum) continet omnia antequam fabricet omnia » [20]: *explicant* dicendo quod sunt « rationes in Deo substantificatas rerum et unite praeexistentes [21]... secundum quas, qui est supra substantiam, omnia quae sunt, praedefinivit et produxit » [22]: *probant* ex Scripturis quae docent hominem factum ad exemplar Trinitatis [23], et ex ratione, siquidem in agente intellectuali sunt ideae rerum effi-

---

[12] *Omnia in sapientia fecisti — Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit coelos prudentia.* Ps. **135**. 5; Prov. **3**. 19.

[13] Sap. **11**. 21.

[14] Ps. **118**. 91.

[15] *Omnium artifex docuit me sapientia.* Sap. **7**. 21; Prov. **8**. 22-31.

[16] Hebr. **11**. 3 apud S. THOM. lect. 1; PADOV. in *h. l.* p. 307.

[17] Gen. **1**. 27; S. Thom. *in 2 Corinth.* **3**. lect. 2.

[18] 2 Petr. **1**. 4; 1 Joan. **3**. 2; CORNELY *in 2 Corinth.* p. 106.

[19] 2 Corinth. **3**. 18; 1 Joan. **3**. 2.

[20] AUG. *In Joan.* trac. 1 n. 17; DIONYS. *De div. nom.* c. 7.

[21] *Substantificatas* quia sunt re idem cum essentia, *unite* quia una simplicissima essentia eas omnes refert.

[22] DIONYS. *De div. nom.* c. 5 n. 8; GREG. Naz. *Poëm. dogm.* 1. 4; MAXIM. apud *Eutym.* p. 1 Panop. tit. 3; DAMASC. *De imag.* or. 3 n. 19.

[23] GREG. Nyss. *De hom. opif.* c. 6.

ciendarum [24]: tandem *illustrant exemplis,* « sicut (enim) domus et navis fabricatur, vel aedificatur juxta figuras et formas mentibus eorum, qui structurae praesident, conceptas... sic universa facta (sunt) juxta rerum futurarum rationes jam antea a Deo manifestatas in sapientia » [25]. Nec idearum multitudinem simplicitati divinae essentiae obstat, quia si unus sol in se praecontinet virtutes plurimas, quas in diversis rebus manifestat, « potiori ratione concedendum est, in ipsius solis et rerum omnium causa secundum *unicam supraëssentialem copulationem* rerum omnium exemplaria praeextitisse » [26]. — **Ex ratione.** Prima ratio desumitur cum AUG. *ex natura agentis intellectivi,* qui agit praelucente forma rei quam efficere intendit. « In omnibus enim quae non a casu generantur, necesse est formam esse finem generationis cujuscumque. Agens autem non agit propter formam, nisi in quantum similitudo formae est in ipso... Quia igitur mundus non est casu factus, sed est factus a Deo per intellectum agente... necesse est quod in mente divina sit forma, ad similitudinem cujus mundus est factus » [27]. Secunda ratio petitur *ex divina voluntate;* Deus enim mundum libere condidit: atqui libertas supponit electionem, electio vero notitiam eorum ex quibus unum aliquid eligitur: ergo in mente divina sunt imagines seu ideae rerum, quae facta sunt, et omnium possibilium ex quibus hunc mundum elegit. Has autem ideas *re* identificari cum divina essentia, *negative* constat argumento AUG., siquidem sacrilegium est facere Deum dependentem ab aliis, et ponere entia quae a Deo non sint: *positive* ratione DIONYS., siquidem simplicissima divina essentia eminenter omnia continet.

ART. 4 - DE CAUSA FINALI.

365. **Quid finis et quotuplex.** *Finis* definiri solet: *id cujus gratia aliquid fit.* Si bonum operatione obtinendum consideratur

[24] « Quis, inquit AUG., audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici et credi non potest, restat ut omnia *ratione* (i. e. idea) sint condita, nec eadem ratione homo, qua equus... Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est ». *Lib. 83 Qq.* q. 46; JUST. M. *Cohort. ad Gent.;* TERTUL. *de Anima;* GREG. Naz. *Or. 33.*

[25] ORIG. super *In principio erat Verbum.*

[26] DIONYS. *De div. nom.* c. 5 § 8.

[27] S. THOM. 1 p. q. 15 a. 1.

in se, *finis* dicitur *qui;* si in ordine ad aliquem, in cujus utilitatem cedit, dicitur *finis cui* vel *pro quo,* nomen accipiens *finis quo* vel *quoad aliquem* cum non objectum ipsum sed ejus possessio consideratur [1]. Finis dividitur etiam in finem *operis* vel *agentis,* prout attenditur *intrinseca* ordinatio rei, vel *extrinseca* quae provenit ex peculiari intentione agentis [2]. Ratione subordinationis finis est *ultimus* cum non ordinatur in ulteriorem, *proximus* cum immediate intenditur, *medius* cum per alium obtinetur et in superiorem dirigitur [3]. Tandem finis dicitur *propter quem* si induit rationem causae moventis agentem ad operationem, *quia* si est simplex ratio agendi sine causalitatis influxu [4].

366. **Creationis finis ultimus est gloria Dei extrinseca** [5]. Veritatem asserti in thesi vindicabimus, quod attinet ad verborum sensum, *gloria* definitur: *clara notitia cum laude* [6] et absolvitur *cognitione* excellentiae objecti, *amore* bonitatis ejus et *gaudio* possessionis, quo rei aestimatio ultimo completur. Porro duplex est Dei gloria: *intrinseca* qua Deus se comprehendit et in sui amore ineffabiliter satiatur; *extrinseca* qua a creaturis cognoscitur, laudatur et possidetur quod, si contingat in propria ratione, gloria est *formalis,* si analogice tantum et in fundamento, h. e. in manifestatione attributorum quae materiam cognitionis et laudis praebent, est *materialis* seu *objectiva* [7].

367. **Finis proximus mundi sunt homines, hominum electi, electorum Christus.** Cum finis *ultimus* sit gloria Dei, quae consistit

---

[1] S. THOM. 1-2 q. 1 a. 8; q. 16 a. 3; JANSSENS p. 50. Sic v. g. in beatifica visione finis *qui* est Deus, finis *cui* est homo, *finis quoad* est possessio Dei per visionem et consequens gaudium.

[2] Sic in aedificatione domus finis *operis* est habitatio, finis *agentis* est lucrum, gloria, etc.

[3] Sic sacerdos qui, ut Deum glorificet, praedicationi se praeparat, habet studiorum finem *proximum* scientiam, *medium* praedicationem, *ultimum* gloriam Dei.

[4] Exempla in creaturis non extant, quia creaturarum finis semper rationem causae habet.

[5] Quod attinet ad alios fines mundi, haec tene: In creatione non est finis *propter quem,* quia divinae voluntatis non est causa (n. 187): finis *operis* et *agentis* coincidunt, quia Deus propriam utilitatem ex opere intendere nequit; naturalia vero, quae ex fine operis ad supernaturalia non ordinantur, id consequuntur ex supernaturalium effectione: finis *cui* sunt creaturae ipsae, siquidem Deus *creavit ut essent omnia* (Sap. 1. 14); maxime vero est homo in cujus utilitatem mundus est conditus: finis *quoad aliquem* seu usus gloriae Dei spectat ad creaturas rationales, quae solae fruuntur ultimo fine (S. THOM. 1 p. q. 16 a. 3).

[6] AUG. *C. Max.* III c. 13; S. THOM. 1-2 q. 2 a. 3.

[7] LESS. *De Perf. div.* 14 c. 1 n. 7; C. MAZZELLA n. 179.

in assimilatione cum Deo, *proximus* seu secundarius reputabitur « secundum quod una (res) juvat aliam in perveniendo ad similitudinem divinam » [8]: atqui creaturae sensibiles homini inserviunt ut physica et morali perfectione melius assimiletur Deo eumque, per ea quae facta sunt, cognoscat et amet [9]: ergo finis proximus hujus mundi est homo. Hinc SCRIPTURA docet quod Deus creavit hominem *ut praesit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis, universaeque terrae* [10], *omnia subjiciens sub pedibus ejus* [11]. PATRES vero ajunt: « Coelum, terra et mare, omnisque creatura quae videri atque intelligi potest, ad hanc praecipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de tot contemplatione specierum, de experimentis tot bonorum ad cultum et dilectionem sui imbueretur auctoris » [12]: unde sexta die post creationem omnium conditus est homo, quia « construendum prius tamquam regi palatium erat, atque ita rex introducendus omni jam satellitio stipatus » [13]. — At vita praesens in futuram, quae supernaturalis est, ordinatur; mundus ergo, habens pro fine bonum hominis, ulterius ordinatur in bonum supernaturale et per hoc in beatificam visionem. « Idcirco, inquit LACTAN., mundus factus est, ut nascamur; ideo nascimur ut cognoscamus factorem mundi ac nostri, Deum; ideo agnoscimus ut colamus; ideo colimus ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus... ideo praemio immortalitatis afficimur, ut similes angelis effecti, summo Patri ac Domino in perpetuo serviamus, et simus aeternum Dei regnum » [14]. — Quod si bonum naturale et supernaturale ordinatur ad aeternam gloriam, profecto *omnia sunt propter electos* qui aeternam gloriam de facto assequuntur. — Neque in electis tamen sistendum est, quippe et ipsi ordinantur in Christum qui scriptus est *in capite libri* [15], in quo Deus *sibi complacuit* [16], volens in eo omnia instaurare seu *recapitulare* [17], ut ipse sit caput hominum [18] et angelorum [19], vereque *primogenitus in multis fratribus* [20]. Mundus ergo

---

[8] S. THOM. II *Dist.* 1 q. 2 a. 3.

[9] Rom. **1**. 20; Sap. **13**. 1 sqq.; S. IGNAT. Exercit. Spir. *De Princ. et Fund.*; S. THOM. *Suppl.* q. 91 a. 1; C. MAZZELLA *De Deo Creante* n. 182; TIL. PESCH *Phil. Nat.* n. 544.

[10] Gen. **1**. 26.

[11] Ps. **8**. 6-9.

[12] PROSP. *De voc. gent.* II c. 4; TERTUL. *De resur. carn.* c. 5; CHRYS. *in Gen.* hom. 15 n. 3; *in Ps.* **8**. 6; *in Ephes.* **5**. hom. 19 n. 3; AUG. *Quaest. 83* q. 30.

[13] GREG. Naz. *Or.* 43; GREG. Nyss. *De hom. opif.* c. 2; ZACH. Mityl. *De mundi opif.*; CHRYS. *in Gen.* hom. 8 n. 2.

[14] LACT. *Div. Inst.* VII c. 6.

[15] Hebr. **10**. 7.

[16] Matth. **3**. 17.

[17] Eph. **1**. 10 *tex. graec.*

[18] 1 Corinth. **11**. 3.

[19] Colos. **2**. 10.

[20] Rom. **8**. 29.

factus est propter Christum, *cui omnia* Deus *subjecit* [21]. Hinc Apostolus : *Sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura: omnia vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei* [22].

368. **Errores — Veritas.** Deum mundum creasse in gloriam suam negaverunt RATIONALISTAE cum DESCARTES, KING, BAYLE, MOSHEMIUS, WEGSCHEIDER, KANT, HERMES, etc. [23] **Veritas** definita est in CONC. VATIC. « S. q... mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, a. s. » [24]. Hanc autem gloriam esse *extrinsecam*, idem CONC. declarat dicens quod « Deus bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur,... utramque de nihilo condidit creaturam » [25].

THES. 38. *Ultimus finis mundi est gloria Dei extrinseca.*

369. **Ex Scripturis.** Revoca imprimis testimonia quae dedimus de omnium rerum ordinatione in Deum [26], qui sicut est omnium principium, ita est omnium finis; non enim Deus potest creaturas ad se ordinare, ut ex illis utilitatem capiat, sed ut se illis communicet ac manifestet. Adde alia quae docent quod *Dominus* (cunctas gentes) *creavit in laudem et nomen et gloriam suam — Coeli enarrant gloriam Dei — In gloriam meam creavi eum, formavi eum et feci eum* [27]; et considera quod istis et illis Deus non proponitur finis medius, sed ultimus, in quem rationales ipsae creaturae tendunt. — **Patres** non solum *a)* AFFIRMANT gloriam Dei extrinsecam esse creationis finem, siquidem « omnia fecit Deus ex nihilo esse, ut per opera cognoscatur et intelligatur magnitudo ejus » [28]; sed *b)* PROBANT exclusione aliorum finium;

---

[21] Hebr. **2**. 8. *NB*. Christo merito conjungitur B. V.; voluit enim Deus ut Christus esset *semen mulieris* (Gen. **3**. 15); unde B. V. M. « *uno eodemque decreto* cum divinae Sapientiae incarnatione fuit praestituta ». PIUS IX Bulla *Ineff. Deus*.

[22] 1 Corinth. **3**. 22-3.

[23] DESCARTES *Medit.* 4; KING et BAYLE (apud *Janssens* VI p. 60); MOSHEMIUS *Elen. Theol. Dog.* p. 1 s. 2 c. 1; WEGSCHEIDER *Inst. Theol.* § 96; KANT *Kritik der prakt.* Vernuft p. 388 sqq. HERMES *Inst. philos.* q. 2 § 71; *Dogmat.* p. 2 § 177.

[24] CONC. VATIC. *Dei Filius* § 1 cn. 5.

[25] CONC. VAT. *l. c.* cp. 1.

[26] Supra n. 193.

[27] Deut. **26**. 17; Ps. **18**. 1; Isai. **43**. 7.

[28] TEOPH. *Ad Autol.* 1 c. 4; TERTUL. *Adv. gent.* c. 17; ATHEN. *De ress. mort.* n. 12; ORIG. *De Princ.* II c. 9 n. 6.

siquidem Deus in creatione non potuit intendere finem *a se distinctum* qui foret ipso major [29], neque propriam *utilitatem*, quia « nulla re indiget, qui autem nulla omnino re indiget, sua ei opera nihil ad proprium usum affert » [30]. *c)* Ex hoc fine EXPLICANT existentiam malorum quae Deus vult vel permittit, ut appareat sua justitia in peccatorum punitione et justi avocentur ab inordinato creaturarum amore [31]. *d)* Inde etiam deducunt CREATURARUM USUM; si enim Deus omnia ad se ordinavit, « non ita tibi placere debet quod (Deus) fecit, ut recedas ab eo qui fecit; sed, si amas quod fecit, multo magis eum qui fecit » [32]. — **Ratio** ipsa est, quam audivimus a Patribus. Scil. « omne agens agit propter finem; alioquin ex actione agentis non magis sequeretur hoc quam illud, nisi casu » [33]: atqui finis a Deo intentus in creatione mundi esse nequit bonitas distincta a seipso; *primo* quidem quia finis ab agente distinctus est causa movens agentem [34] et Deus a nullo potest moveri [35]; *secundo* quia Deus ordinate agit, unde bonum participatum, quale est creatura, non potest appetere nisi in ordine ad bonum imparticipatum quod est Deus [36]: ergo « finis divinae voluntatis non potest esse nisi ejus bonitas. Non autem agit (Deus) propter hunc finem *producendum* in esse... cum bonitas ejus sit aeterna et immutabilis...: nec propter ejus *meliorationem*... nec propter hunc finem *acquirendum* sibi...; ipse enim est sua bonitas. Restat igitur quod agat propter finem, in quantum effectum producit ad *participationem finis* » [37]; scil. in quantum suam bonitatem participat creaturis secundum *esse*, quo sunt Dei similitudines, et secundum *operari* quo Deum cognoscunt, diligunt et possident.

370. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Quaerere gloriam suam est vitium *philautiae* et *inanis gloriae:* atqui nullum vitium in Deo: ergo [38]. **Resp.** « Appetitus gloriae de se non nominat aliquid vitiosum; sed appetitus *inanis* et *vanae* gloriae vitium importat » [39] quod committitur cum appetitur gloria *indebita* vel *indebito modo:* Deus autem quaerit gloriam quae necessario sequitur creationem, et quaerit modo debito.

---

[29] AUG. *De Gen. c. Manich.* I c. 2.
[30] ATHEN. *De ress. mort.* n. 12; CHRYS. *in epis. ad Filem.* hom. 3; AUG. *De Doct. Christ. I* c. 31-2.
[31] AUG. et CHRYS. supra n. 193.
[32] AUG. Enar. *in Ps.* **148** n. 15.
[33] S. THOM. 1 p. q. 44 a. 4.
[34] S. THOM. 1 p. q. 5 a. 4; 1-2 q. 1 a. 2; etc.
[35] AUG. *83 Quaest.* q. 28.
[36] S. THOM. 1 p. q. 19 a. 2.
[37] S. THOM. *Cg.* II c. 35.
[38] DESCARTES et HERMES *l. c.*
[39] S. THOM. 2-2 q. 132 a. 1.

371. **Objic. 2.** Qui bonum facit intuitu sui, agit amore concupiscentiae: atqui Deus mundum creavit amore benevolentiae. **Resp.** Amor concupiscentiae et benevolentiae non distinguuntur ex fine *qui*, sed ex fine *cui* seu ex utilitate quae ex operatione provenit; creatione autem Deus non intendit bonum utile sibi, sed nobis; et ideo creatio est opus *purae benevolentiae* [40].

CAPUT II.

De mundo visibili.

372. **Capitis divisio.** Diximus de ipsa effectione rerum: ad *objectum* creationis properantes, primo occurrit creaturarum visibilium complexus qui admirabili dispositione *Dei* effectus, constituit unum ens physicum simul et intentionale ac morale, quod, recepta voce, dicitur mundus [1]. Porro quatuor in mundo sunt consideranda: *tempus* a quo existit, *forma* quam accepit, *progressus* quo ad nos usque pervenit, *destructio* quae eidem reservatur; hinc quatuor articuli: 1 *De mundi antiquitate*, -- 2 *de hexaemero mosaico*, — 3 *de transformismo*, — 4 *de mundi conservatione et eversione.*

ART. 1 - DE MUNDI ANTIQUITATE.

373. **Creatio ab aeterno estne possibilis?** Disputant philosophi et theologi. S. THOMAS, licet ultimam sententiam de possibilitate creationis ab aeterno non dederit, pluries negavit argumenta allata contra possibilitatem creationis ab aeterno esse convincentia [2], eumque secuti sunt generatim THOMISTAE, quibus nostris diebus adhaeserunt LIBERATORE, SCHIFFINI, SATOLLI, etc. [3]: repugnantiam e contra creationis aeternae post HALEN., ALB. M. et BONAV. confessi sunt TOLET., G. DE VALENT., LESS., PETAV., SYLV. MAUR. [4] et nostris diebus PALMIERI, HURTER, HONTHEIM,

---

[40] Supra n. 199.

[1] S. THOM. 1 p. q. 74 a. 3; WOLF *Les hypothès. cosmogoniques* p. 149; H. MAZZELLA II n. 552.

[2] S. THOM. 1 p. q. 46 a. 2; *II Dist.* 1 a. 5; *Cg.* II c. 38; *De Pot.* q. 7 a. 17; *De aetern. mundi cont. murmurantes.*

[3] LIBERATORE *Inst. Philos.* II n. 46; SCHIFFINI *Metaph.* II n. 544; SATOLLI *De div. oper.* disp. 3 lect. 7 p. 249.

[4] HALENS. *Sum theol.* 1 q. 12 memb. 8; ALB. MAG. *II Dist.* 1; BONAV. *II Dist.* 1 p. 1 a. 1 q. 2; G. DE VALENT. *I Dis.* 3 q. 3 p. 2; TOLET. in *Arist. Phys.* VIII c. 2 q. 2; LESS. *De div. perf.* IV c. 2 n. 8-11; PETAV. *De Deo* III c. 6; SYLV. MAUR. *Quaest. Phil. De coelo et mundo* q. 1.

TIL. PESCH, TEPE, JANSSENS, etc. [5] : SCOTUS, SUAREZ, SYLVIUS, ZIGLIARA haerent inter duas sententias, vel possibilitatem creationis aeternae coarctant ad substantias immutabiles [6]. — Secundam sententiam amplectimur, utpote rationi et Patribus conformiorem. Revera **Patres** possibilitatem aeternitatis mundi excludunt, quia aeternitas est praerogativa divinitatis [7], unde, « tametsi Deus possit semper facere, at res creatae aeternae esse non possunt » [8]. Hanc porro impossibilitatem arguunt *ex parte Dei* quia causa praecedit effectum [9] : *ex parte creationis* quia, de nihilo effecta, ordine saltem logico supponit initium in tempore [10] : *ex parte creaturae* quae necessario mutabilis est, dum aeternitas immutabilitatem praesefert [11]. Tam evidentem vero habent repugnantiam creationis ab aeterno, ut creaturae adscribere aeternitatem dicant *amentiam* [12], atque *ex aeternitate Verbi* ejus divinitatem probent [13]. **Ratio** praecipua petitur ex repugnantia *infiniti in actu,* quam S. THOM. ipse agnovit [14]; si enim mundus esset aeternus, cum sit mutabilis, extarent infinitae mutationes. Nec potest reponi Deum potuisse creare substantias immutabiles, nam « operatio est finis rei creatae » [15], operatione vero corpora corrumpuntur [16] et spiritus, intellectionibus volitionibusque de potentia in actum transeuntes, actus multiplicant.

---

[5] PALM. *th. 13* p. 129 sqq.; HURTER II n. 294; HONTHEIM n. 934 sqq.; TIL. PESCH *Phil. Nat.* II 533; TEPE II n. 641 sqq.; JANSSENS p. 202 sqq.

[6] JANSSENS p. 201-2; ZIGLIARA *Sum. Phil.* II Cosm. 1 c. 3 a. 2.

[7] IREN. *Adv. Haer.* II c. 64; TERTUL. *C. Hermog.* c. 4; CYR. Alex. *in Isai.* **44**. 6.

[8] ATHAN. *C. Arian.* or. 2 or. 1 n. 29; CYRIL. Alex. *Thes.* XXXII; AUG. *Conf.* XII c. 15 n. 2; ANSELM. *Monol.* c. 27.

[9] ZACHAR. Mityl. *Dis. de mundi opif.;* AMBR. *Hexaem.* I c. 5; CHRYS. *in Joan.* hom. 1 post med.; MAXIM. M. *De carit.* c. 6; DAMASC. *De fide orth.* I c. 8.

[10] ATHAN. *C. Arian.* or. 2 n. 1 et or 3; AUG. *Adv. Felic.; De Civ. Dei* XII c. 15 n. 2.

[11] IREN. *Adv. Haer.* II c. 64; IV c. 24; ZACHAR. Mityl. *l. c.;* AUG. *De Civ. Dei* XI c. 6; FULGENT. *De Fide ad Petr.* c. 3 n. 25. — *NB.* Ne dicas Patres excludere possibilitatem aeternitatis proprie dictae, quae est *tota simul;* impugnabant enim graecos philosophos qui materiae tribuebant aeternitatem generice sumptam : unde si arguunt ex aeternitate stricte sumpta, ideo est quia aliam aeternitatem *a parte ante* non agnoscebant.

[12] BASIL. *Adv. Eunom.* II n. 17.

[13] ATHAN. *epist. ad Afric.* CHRYS. *in Joan.* hom. 3 n. 2.

[14] S. THOM. 1 p. q. 7 a. 4; q. 46 a. 2 ad 8; *Quod.* IX a. 1. Profecto numero jam existenti alia possunt addi; si ergo numerus est infinitus, infinito alia poterunt addi, quod repugnat.

[15] S. THOM. 1 p. q. 105 a. 5.

[16] ARIST. et S. THOM. aestimabant coelos incorruptibiles, et ideo potuerunt decipi in quaestione de possibilitate ae-

374. **De mundi aetate.** Quoad PRIMAM CREATIONEM MATERIAE nihil certi statui potest, quia *Scriptura* silet et *scientiae physicae* praesentem tantum formam mundi possunt considerare : nil ergo mirum quod materiae informi quidam tribuerint longissimam durationem [17], et alii dixerint sola prioritate naturae organizationem mundi antecessisse. MUNDI EFFORMATIONEM nonnulli eodem, quo homo factus est, tempore constituunt, dies mosaicos [18] de spatio 24 horarum interpretantes; sed major theologorum pars, nunc saltem, affirmat mundum pluribus saeculis antecessisse creationem hominis. Revera immediata apparitio hominis post primam terrae fundationem contradicit probabilioribus systematibus astronomicis et geogonicis [19], atque repugnat certis factis geologiae et palaeontologiae, quae testantur varia terrae strata longo saeculorum cursu esse efformata, hominemque apparuisse cum plurimae plantarum et animalium species erant extinctae [20].

---

ternitatis mundi : sed hodie constat corpora coelestia elementis nostrae terrae coalescere.

[17] VIGOUR. *Man. Bibl.* I n. 265.

[18] Gen. 1. 5 sqq.

[19] KANT - LA PLACE; PLUTONICO - NEPTUNICO apud *Til. Pesch* Phil. Nat. n. 560 sqq.

[20] « Qui, inquit TANQUEREY, geologiae studuerunt, norunt imam terrae corticem ex massa lapidea constare, quae primum igne resoluta, paullatim coaluit ad ingentem altitudinem; super quam ab inundantibus aquis effusa sunt *strata* telluris parallela decursu temporis solidata, novisque stratis cooperta, quae pariter maximam altitudinem attigerunt. In hisce stratis sepultae inventae sunt vegetalium et animalium reliquiae petrificatae, quas *fossilia* vocant : quod quidem longa tempora supponit, nam multae inveniuntur species quae amplius non existunt, et quae ita sunt dispositae ut una alteri successerit; imo integrae insulae ex animalculorum coarcervatis reliquiis natae sunt, quales sunt insulae madreporicae et coralicae; creta ipsa, cuius ingentes moles in terrae visceribus extant, nihil aliud est nisi animalculorum acervatio. Quis vero credat strata illa terrestria, cum fossilibus ibi inventis, cum reliquiis escarum in stomachis animalium repertis, immediate simulque a Deo creata fuisse? Nonne tunc Deus esset deceptor? Nec ad miraculum confugere licet; nam, ut recte ait S. THOM. (1 p. q. 67 a. 4 ad 3; q. 68 a. 2 ad 1), in prima institutione naturae non quaeritur miraculum, sed quid natura rerum habeat, ut AUG. dicit (*De Gen. ad litt.* II c. 1). — Aliunde diluvium non potest haec omnia explicare; nam fossilia ita disposita inveniuntur, ut violentam perturbationem saltem universalem excludant, sed successivum progressum postulent; praeterea, si omnia fossilia sunt *postadamitica,* certe inter ea inveniri deberent ossa humana : porro nulla inventa sunt in stratis tertiariis aut antiquioribus; tandem inter omnes geologos, etiam catholicos, convenit multo longiores periodos requiri ad stratorum efformationem quam ab illis auctoribus conceditur ». *De opif. mundi* c. 1 n. 25; TIL. PESCH *Phil. Nat.* II n. 565-9; HUM. in *Gen.* p. 58 sqq.; VIGOUROUX *Manuale Biblico* I n. 273 p. 516 sqq.; JANSSENS VI p. 317 sqq. — *NB.* Si quaeris de annorum numero,

375. **Errores — Veritas.** Praeter PANTHEISTAS et eos qui increatam dixerunt materiam [21], temporaneam mundi originem impugnarunt antiquitus aliqui quidam PHILOSOPHI, saec. 13 AVERROËS et AVICENNA, saec. 14 EKKARDUS [22] et dein illi qui creationis necessitatem affirmarunt [23]. **Veritas** prostat in CONC. LAT. IV definiente quod « Deus... sua omnipotenti virtute simul *ab initio temporis* utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem » [24].

THES. 39. *Mundus non existit ab aeterno, sed in tempore factus est.*

376. **Ex Scriptura.** Haec enim aeternitatem *a parte ante* exhibet proprietatem Dei, qui est *primus* omnium [25], et extitit *priusquam* montes fierent [26], vel quidquam faceret a principio [27], *ante omnem creaturam* [28], *prius quam mundus esset* [29], *ante mundi constitutionem* [30], *ante tempora saecularia* [31]; unde de Verbo aeterno dicit quod in principio *erat*, de mundo vero quod in principio *creatus est* [32], quisque autem intelligit tempore *imperfecto* negari initium quod *perfecto* affirmatur. **Ex Patribus** recole testimonia modo data [33] quae, si quaestionem de *possibilitate* non semper manifeste solvunt, factum creationis in tempore clarissime exprimunt. **Ex ratione** adduci imprimis possunt argumenta quae *aeternae creationis repugnantiam* [34] ostendunt, dein vero *traditiones populorum* quae cum mosaico hexaemero de temporanea effectione mundi conveniunt [35]: accedit consensus *antiquorum philosophorum*, qui ante Aristotelem communiter tenebant mundum recentioris esse origi-

---

geogoni, tributis massae ignitae seu primae efformationi terrae 3.000 gr. R. caloris, arguunt ad praesentem consolidationem fuisse necessarios juxta POISSONS an. 108.000.000, juxta THOMSON non minus 2.000.000 nec plus 20.000. 000 annorum; tempus vero apparitionis plantarum seu prioris vitae reputatur 1/10 totius aetatis mundi. TIL. PESCH *l. c.* n. 565 nota; VIGOUR. n. 279.

[21] Supra n. 6 et 349.

[22] Cf. JANSSENS VI p. 183; DENZING. n. 428-30.

[23] ZIGLIARA *Sum. Phil.* II p. 48.

[24] CONC. LAT. IV. *C. Albig.; Prop.* 1-3 *Ekkardi* dam. a JOAN. XXII a. 1329; CONC. VAT. *Dei Filius* cp. 1.

[25] Isai. **41**. 4; **46**. 6; Apoc. **1**. 8; etc.

[26] Ps. **89**. 2.

[27] Prov. **8**. 22 sqq.

[28] Eccli. **24**. 5.

[29] Joan. **17**. 5.

[30] Eph. **1**. 4.

[31] Tit. **1**. 2.

[32] Joan. **1**. 1 coll. Gen. **1**. 1.

[33] Supra n. 373.

[34] *L. c.*

[35] ZIGLIARA *Sum. Phil.* II p. 49.

nis [36], et confirmatur *geologia, paleontologia, astronomia* quae successivam entium apparitionem manifestant [37], necnon *lege entropiae* quae, dum ostendit mundum perenni virium dispersione tendere in requiem [38], probat motum ac proinde entia, in quibus residet, non esse ab aeterno [39].

ART. 2 - DE HEXAEMERO MOSAICO.

377. **Tituli ratio.** Praesentem quaestionem quidam inscribunt *de cosmogonia* vel de *cosmogonia mosaica,* sed primi confundunt quaestionem theologicam cum profana, secundi supponunt Moysen scientifica methodo proposuisse originem mundi. Verum theologus partes geologi et astronomi non agit, et Moyses vulgari sermone scripsit [1]; melius ergo movetur quaestio de sensu *operum sex dierum* seu de mosaico *hexaemero,* ut statuantur justi fines quos ultra citroque fides periclitatur [2].

378. **De mosaico hexaemero sententiae plurimae.** Vix forte est locus libri sacri vel profani qui hominum ingenia magis vexaverit quam primum Geneseos caput, cujus pene innumeras expositiones JANSSENS ad quindecim revocavit, juxta sensum *historicum* vel *idealisticum* vel *traditionalem* [3]. Cum a nobis quaestio sub dogmatico respectu consideretur, sententias distribuere malimus ex ordine ad divinam revelationem, unde dispescimus in eas quae primum genesis caput *integre* tribuunt *inspirationi,* vel *ex humanis inventionibus* deducunt, vel *inspirationi et humanae industriae* simul tribuunt: prima classis complectitur expositiones *litteralem antiquam, litteralem recentiorem* et *idealisticam,* ad secundam pertinent *mythica* et *evolutiva,* ad tertiam revocantur *symbolica, liturgica, poëtica* et *cosmogoniae popularis.*

379. PRIMA CLASSIS. **Expositio litteralis antiqua** fuit communior apud Patres eamque docuerunt EPHR., BASIL., GREG. Naz., GREG. Nyss., AMBR., CHRYS., HIER., CYRIL. Alex., THEOD., ANAST.

---

[36] ARIST. *De coelo et mundo* I c. 10.

[37] Supra n. 374.

[38] Supra n. 49.

[39] Si enim essent ab aeterno jamdiu statum quietis assecuta essent.

[1] LEO XIII Enc. *Prov. Deus.*

[2] Ex analogia hexaemeri mosaici cum orientalibus cosmogoniis et mythologiis *Babyloniorum, Damascenorum, Phoenicum et Graecorum,* merito concludit LENORMANT (apud *Hum.* in Gen. p. 76) revelationem hexaemeri non esse primitus factam Moysi, sed diu ante extitisse, originemque suam probabiliter ducere ab Adamo, cui Deus theophaniis Eden vel somnio prophetico manifestaverit.

[3] JANSSENS VI p. 317.

Sinaita, GREG. M., BEDA, DAMASC. [4], quibus adhaeserunt Scholastici cum S. THOM., SUAREZ, PETAV. [5], et ex recensioribus KEIL, LAURENT, SORIGNET, BOSIZIO, TRISSL, STENTRUP, MAZZELLA, CROSTA, etc. [6]. In hac sententia omnia explicantur in sensu proprio; ita ut Deus non solum revelaverit *creationem* omnium rerum, sed creationis *successionem, ordinem* et *tempus* quod fuit sex diebus 24 horarum. **Expositio litteralis recentior** tenet in Genesi contineri revelationem creationis rerum et successivae efformationis mundi, sed non determinationem temporis, quippe *dies* de indeterminata duratione seu de periodis sunt intelligendi. Patroni hujus systematis dicti sunt periodistae et concordistae: *periodistae* quia dies habent pro periodis, *concordistae* quia inter dies mosaicos et placita scientiarum physicarum concordiam se invenisse dixerunt [7]. Subdividuntur in *catastrophistas,* et *quietistas:* illi cum CUVIER [8] dies distinguunt catastrophis quibus, praecedenti mundi forma eversa, nova aetas divino interventu incepit; hi cum C. LYELL [9] contendunt lento gressu, mutatis conditionibus aëris, temperiei, etc., Deum opportuno tempore novas species effecisse: quod quidem, quomodo contigerit, diversimode opinantur. Alii enim docent pene innumeras successivas productiones, quae ex objecto [10] hebdomadalem distributionem habuerunt [11]: alii distinguunt dies a novo speciali interventu Dei; sed

[4] EPHR. *Op. 1* p. 6; BASIL. in *Gen.* hom. 1; GREG. Naz. *Or.* 34; GREG. Nyss. *Hexaem.;* AMBR. *Hexaem.* I c. 10; CHRYS. *in Gen.* hom. 1; HIER. *Quaes. heb. in Gen.;* epist. 69 *ad Ocean.;* CYR. ALEX. *C. Jul.* II c. med.; THEOD. *Quaest.* apud Migne 80 col. 75; ANAST. Sin. *Contempl. in hexaem.;* GREG. M. *Moral.* XXXII c. 9; BEDA *Hexaem.* Migne 101 col. 1; DAMASC. *De fide Orth.* II.

[5] S. THOM. 1 p. q. 67 a. 4; 72 a. 2; SUAREZ *De op. sex dier.* I c. 11 n. 33; PETAV. *De oper. sex dier.* 1 c. 5.

[6] KEIL *Biblischer Com.* etc.; LAURENT *Études géologiques,* etc.; SORIGNET *La cosmogonie de la Bible;* BOSIZIO *Hexaemeron u. die geologie;* TRISSL *Sündfluts oder Gletscher?; Das Biblische Sechstagewerk;* STENTRUP *De Deo* n. 456; MAZZELLA *De Deo Creante* n. 245 sqq.; CROSTA II n. 484 sqq.

[7] Concordantiae specimina invenies apud JANSSENS p. 330 sqq.; TANQUEREY *De opif. mundi* n. 33; et praecipue VIGOUR. *Man. Bibl.* I n. 274-6, qui ex notis scientiarum cultoribus distincte enarrat efformationem mundi justa triplicem periodum *cosmicum, cosmogeogenicum* et *geologicum.*

[8] CUVIER *Discours sur les révolutions du globe.* Huic sententiae innixi ROSENMÜLLER, HERZEL, CHALMERS, BUCKLAND et WISEMANN (apud *Janssens* p. 319) catastrophes praemiserunt *restitutioni* 6 dierum.

[9] C. LYELL apud *Janssens* p. 321.

[10] Non quasi singulis diebus mosaicis respondeant *tantum* species recensitae, sed quia illae, numero et dignitate alias excedentes, epochae nomen dedere.

[11] Cf. MATTIUSSI *L'Evoluz. è possibile?* in *Scuola Catt.* 1898-9 c. 11; TUCCIMEI apud CALDERONI *Posit. Evol. Mat.* p 44.

hi initium sequentis diei constituunt in fine prioris [12], illi dies simul decurrisse non abnuunt [13]. — **Expositio idealistica** opinatur in Genesi non haberi *historiam* efformationis mundi, sed successivam manifestationem divini operis factam angelis vel hominibus. Proposita ab ORIG., qui sensum proprium repugnare aestimavit, valde placuit AUG., quem secuti sunt ISID. Hisp., ALCUINUS et ABAELARD., et probabilior aliquando vocata a S. THOM. [14], nostris diebus patronos nacta est F. MICHELIS, J. B. BALTZER, BRAUN S. J. [15] et STOPPANI [16]. Huic similis est sententia MILLER, SCHULTZ, REUSCH, BOUGAUD, FAYE, TEPE, SEMERIA, etc. valde exculta ab HUM. [17], quae tenet dies mosaicos esse imagines *(quadri)* quibus, somnio prophetico, per phantasticas accessiones et recessiones lucis, Deus sub specie dierum revelavit Adam rerum omnium originem, quin de modo, tempore, et ordine, quo factae sunt, quidquam dixerit.

380. SECUNDA CLASSIS. **Expositio mythica** hexaemerum mosaicum coëquat mythologicis repraesentationibus Sinensium, Babyloniorum, Phoenicium et Aegyptiorum reputans inventionem hominis qui rerum originem sensibili specie exhibere voluit. Eam docuerunt EICHHORN, VATER, DE-WETTE, DELITZSCH [18], quibus accesserunt MODERNISTAE dicentes cum LENORMANT et LOISY Moysen **evolvisse** mythologiam ethnicorum a forma polytheistica expurgando [19].

381. TERTIA CLASSIS. **Expositio symbolica** inspirationem hexaemeri non negat, sed distinctione facta inter *objectum*, quod est rerum omnium origo a Deo, et *formam litterariam*, quae est distributio creationis in opera sex dierum; illud Deo tribuit, hanc Moysi qui sub assi-

---

[12] GODEFROY *La cosmog. de la révél.*; PIANCIANI *In hist. creat. mos. com.*; VIGOUR. *l. c.*; CORLUY *Spicil. dogmatico-bibl.* in tract. *De Deo Creante* com. 1; et CONCORDISTAE generatim.

[13] BRUCKER *Questioni d'oggi sulla Sacra Scrittura* n. 163-4; LEUNIS *Geognosie* (Hannover 1876) p. 742 sqq.; PESCH n. 97.

[14] CLEM. Alex. *Strom.* V. 14; ORIG. *C. Cels.* VI n. 60; *De princ.* IV n. 16; AUG. *De Gen. ad litt. op. imp.* c. 15 n. 51; *De Gen. ad litt.* IV c. 22-24; ISIDOR. *Quaest. in Gen.* Migne 83 c. 209 sqq.; ALCUIN. *Inter. et resp. in Gen.*; ABAEL. in *Hexaem.* Mig. 78 c. 733 sqq.

[15] HUM. in *Gen.* p. 67-8.

[16] A. STOPPANI *Sulla Cosm. Mosaica.*

[17] H. MILLER. *The testimony of the rocks* 1857; SCHULTZ *Die Schöpfungsgeschichte nach Naturwissenschaft* 1865; REUSCH *Theol. Literat-Blatt* 1867; BOUGAUD *Le Christianisme et les temps présents* 1878; FAYE *Sur l'origine du monde;* HUMMEL. *De Biblische Schöfungsbericht* 1877; *in Gen.* p. 69 sqq.; TEPE *De Deo Creante* n. 664 sqq.

[18] EICHHORN *Urgeschichte. Repertor.* etc.; VATER *Comm. über den Pentat.*; DE-VETTE *Beitraegez Einl.* etc.; DELITZSCH *Babel und Bibel* etc.

[19] LENORMANT *Les origines de l'histoire d'après la Bible* etc.; LOISY in *Études bibliques* 1901 p. 70 sqq.

stentia Dei, removentis quae fidei nocerent, deduxit e mythologiis ethnicorum in genere, Babyloniorum autem et Phoenicium in specie. Proposita a LAGRANGE, recepta est a ZAPLETAL et HOLZHEY [20]. Ex eodem principio, quo in primo Geneseos capite distinguitur pars divina ab humana, oriuntur aliae sententiae hujus classis. **Expositio liturgica** auctore CLIFFORT *dies* creationis repetit a Moyse qui, ut religionem sabbati statueret, creationis opus in hebdomadam distribuit [21]. **Expositio poëtica** cum HANSER et VETTER [22] in primo capite geneseos videt *carmen laudatorium,* quo Moyses, non secus a tribus pueris in fornace Babylonica, rerum omnium originem celebravit. **Expositio cosmogoniae popularis** opinatur Moysen juxta notiones physicas et astronomicas sui temporis proposuisse creationem mundi, quam traditione a majoribus acceperat [23]. Hanc describens JANSSENS in hexaemero distinguit triplex elementum: *elementum revelationis* est quod Deus creavit et ordinavit omnia quin aliorum spirituum uteretur auxilio, quod omnes creaturae sunt bonae et coordinatae ad hominem, cui coelestia tempori mensurando inserviunt et terrena subjiciuntur tamquam regi ad imaginem Dei facto, quod in creatione homo exemplar habeat dierum quibus labori incumbere vel quiescere in honorem Dei oportet: *elementum humanae scientiae* consistit in notionibus temporis de rebus astronomicis, geologicis et zoologicis, scil. de magnitudine astrorum quae habebantur quasi ornatus coeli, de firmamento quod reputabatur zona firmissima per cujus foramina fluebant pluviae, de generatione spontanea, etc.: *elementum artis* ab ipso Moyse positum attingit imagines, quibus anthropomorphice loquitur de Deo, necnon ordinem, quo in dies successivam creationem ita distribuit ut, praemissa generali productione materiei, prius de formatione coeli et terrae, dein vero de utriusque ornatu agat [24].

382. **De praedictis sententiis judicium theologicum.** Aperte dicam, nulla uti *certa* est tenenda; de *errore* vero illae tantum sunt damnandae quae hexaemeri inspirationem negant vel Moysi, uti inspirato auctori, errorem tribuunt: quoad alias manet libertas

---

[20] LAGRANGE in *Revue biblique* 1896 p. 393 sqq.; *Le méthode historique* etc. 1903 p. 210 sqq.; *Les mythes babyloniens* etc. p. 109; ZAPLETAL apud *Janssens* p. 347; HOLZHEY *Schöpfung, Bibel und Inspir.*

[21] PAULUS *Neues Repertorium für biblische* II. 5. Jena 1790; RORISON *Replies to Essays and Reviews* 1861; HUXTABLE *The sacred record of creation;* CLIFFORD *Dublin Review* April. 1881; April. 1883; FOVILLE *Les jours de la Semaine* etc.

[22] Apud *Janssens* p. 337.

[23] LAGRANGE *Revue Biblique* 1896 p. 392, 1897 p. 368 sqq.; CULTURA SOCIALE 1898 p. 347; F. PRAT *La Bible et l'Histoire* 1904.

[24] JANSSENS VI p. 349-50.

eligendi. Licet enim COM. BIBL. totius Pentateuchi in genere et priorum trium capitum geneseos in specie historicum sensum tuita sit; tamen, cum in particulari de hexaemero agit, loquitur tantum de « rerum universarum creatione a Deo facta in initio temporis »; imo proposito dubio « Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico modo docere; sed potius suae genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accomodatam, sit in horum interpretatione adamussim semperque investiganda scientifici sermonis proprietas », respondit: « *Negative* » [25]. Hinc aestimamus *damnandas* esse tantum expositionem mythicam et evolutivam licet *minus probabiles* reputemus expositiones litteralem antiquam et idealisticam, necnon symbolicam, liturgicam, poëticam et cosmogoniae popularis, *probabiliorem* vero periodisticam latu sensu intellectam.

THES. 40. *Expositio — 1 mythica sive pura, sive evoluta, reprobanda est, — 2 symbolica, liturgica, poëtica et idealistica solido fundamento caret, — 3 quae vero dicitur cosmogoniae popularis, parum consentire videtur inspirationi Scripturae.*

383. **Prima pars.** *Expositio mythica sive pura, sive evoluta reprobanda est.* Nam *imprimis* contradicit Pentateuchi *characteri historico,* qui apparet ex simplici factorum enarratione et constat ex perpetuo sensu ECCLESIAE a COM. BIBL. confirmato: *secundo* obstat *inspirationi Scripturae* quae non solam medullam doctrinae attingit, sed integros libros cum omnibus suis partibus [26]. *Ceterum* tempore absolutae ignorantiae de coelorum magnitudine et natura, cum pro corticis terrae examine media non aderant, quomodo potuerunt homines de luce et de diebus ante creationem solis cogitare, necnon cosmogoniam proponere quae, velis nolis, in summis lineis probabilioribus scientiarum affirmationibus respondent? Meliusne est casui hoc, quam revelationi, tribuere? — Quae autem dicimus de expositione mythica, valent etiam de EVOLUTIVA; ut enim taceamus eam repugnare Scripturae, quae Deum habet auctorem [27], et incorrupta divina providentia servatur [28], modernistae

---

[25] COM. BIBL. *30 Jun.* 1909 n. 3 et 7.
[26] Cf. Vol. 1 n. 544.
[27] Cf. Vol. 1 n. 522 sqq.
[28] Cf. Vol. 1 n. 500.

explicare deberent quomodo e polytheistica et confusa ethnicorum cosmogonia, potuit Moyses tam simplicem hexaemerum deducere.

384. **Secunda pars.** *Expositio symbolica, liturgica, poëtica et idealistica solido carent fundamento.* Profecto EXPOSITIO SYMBOLICA fundatur in analogia hexaemeri Mosaici cum cosmogoniis Babylonicis et Phoenicaeis, sed ut taceamus magnam dissimilitudinem, similitudo non probat derivationem illius ab his, utut sub divino influxu, aptius enim explicatur primitiva revelatione Adamo facta quae, ab ethnicis corrupta, a Patribus est servata et a Moyse sub inspiratione expolita [29]. Quis non videt indecens omnino esse doctrinam fidei Deum exuviis paganorum vestire? An non poterat Deus Moysi veritatem manifestare? — EXPOSITIO LITURGICA solidiori fundamento non innitur, nam verba *factum est vespere et mane dies unus* non significant, ut vellet DE GRISE, *institutum est dies civilis,* siquidem *factum est* valde distat ab *institutum est,* et in Scripturis dies civilis non *vespere et mane* dicitur, sed *dies et nox* [30]. Adde Scripturam non solam analogiam dierum creationis cum religione sabbati tradere, sed hanc ex illa arguere [31]; ex arbitraria autem distributione nullum reale jus sequitur. — EXPOSITIO POËTICA contra indolem historicam libri impingit, et simplici ejus formae enarrativae contradicit. — EXPOSITIO IDEALISTICA, etiam uti ingeniose proposita est ab HUM., fundatur in sola necessitate subtrahendi Scripturam ab irrisionibus infidelium, at neque in contextu, neque in traditione fundatur [32], et nullatenus congruit characteri historico, quem Hum. ipse contra alios idealistas urget [33].

385. **Tertia pars.** *Expositio cosmogoniae popularis nobis non probatur.* Nam errorem in rebus physicis tribuit *inspirato auctori* quod alias repugnare ostendimus [34]. Aliud profecto est hagiographos loqui sermone *non scientifico,* aliud *falsis opinionibus* veram doctrinam vestire. Omnino concedo inspiratos auctores, dum loquebantur sermoni vulgari, in errore scientifico versasse,

---

[29] Cf. Vol. 1 n. 196.

[30] PESCH n. 98-9.

[31] Exod. **20**. 11; **31**. 17; Hebr. **4**. 3-4.

[32] Cf. JANSSENS p. 335.

[33] « Idealistae cosmogoniam accipiunt ut documentum *mere religiosum* seu dogmaticum, dum auctor sacer illud utique habebat pro documento *historico* nam praefixit... tamquam libri Genesis primam pericopen, qui liber totus est historicus ». HUM. in *Gen.* p. 68. *NB.* HUM. ab idealistarum classi se separat, sed ejus sententia merito ad illam revocatur.

[34] Cf. Vol. 1 n. 554, 566.

sed nego hanc internam opinionem (mere *concomitatem*) scriptis mandasse; sub inspiratione enim non librum scientificum scribebant sed vulgarem [35]. Ceterum quae necessitas inducendi in libro inspirato falsas opiniones temporis? Quid vetat ut dicamus, quod ceteroquin cosmogoniae ipsae profanae innuunt [36], Deum Adamo, quem repleverat sapientia [37], revelasse originem mundi, et sic hexaemerum per Patres pervenisse ad Moysem, qui speciali Dei auxilio a temporum rubigine expurgaverit? Candide fatear, expositiones symbolica, idealogica et poëtica minus mihi improbantur quam ista; in illis enim quaestio est de *forma litteraria*, cujus exempla, etsi in diversis circumstantiis, occurrunt in Scriptura; in hac periclitatur *veritas* verbi Dei, quam totis viribus tueri debemus.

THES. 41. *Expositio — 1 litteralis antiqua sustineri nequit, — 2 eam vero, quae audit litteralem recentiorem, ceteris praeferendam ducimus.*

386. **Prima pars.** *Expositio litteralis antiqua sustineri nequit.* Nam certis conclusionibus scientiarum contradicit et infirmo innititur fundamento. Non omnia, quae a geologis et palaeontologis proferuntur, esse certa ultra damus, imo nullum systema hucusque propositum undequaque verum reputamus; sed viventia diu ante hominem extitisse manifeste probant geologica stata et fossilia in eis reperta quae, si dixeris a Deo concreata, sapientium risui te expones [38]. Et quo tandem fundamento hoc systema innititur? Uni voci יוֹם *(yôm = dies)* quam cum HUM. de solo spatio 24 horarum posse exponi contendunt [39]. At ex plurium testimoniorum Scripturae [40], ex paupertate linguae hebraicae, cui aptiores voces ad epocham exprimendam desunt [41], necnon ex contextu et fine ipsius hexaemeri, viri eruditissimi et indubiae fidei id negant [42], consentiente COM. BIBL. quae proposito dubio:

---

[35] Cf. Vol. 1 n. 548; A. CELLINI *Propaed. Bibl.* III p. 322.

[36] Supra n. 383.

[37] S. THOM. 1 p. q. 94 a. 3.

[38] Supra n. 374.

[39] HUM. in *Gen.* p. 61.

[40] Gen. **2**. 4; Exod. **10**. 6; Lev. **7**. 35-6; Num. **7**. 10; 84; Deut. **9**. 14; **31**. 17-8; **32**. 7; Ps. **2**. 7; Amos **3**. 14; Nahum **3**. 17; Isai. **34**. 8; **43**. 4; Jer. **46**. 10; Joël **2**. 31; Zach. **14**. 9; Matth. **10**. 15; **12**. 36; Joan. **8**. 56; Rom. **2**. 5; 2 Corinth. **6**. 2.

[41] VIGOUROUX *Man. Bibl.* I n. 267.

[42] CORLUY *Spicil.* p. 185 et sqq.; PALMIERI p. 148; VIGOUR. *Man. Bibl.* I n. 267; PESCH n. 96.

« Utrum in illa sex dierum denominatione atque distinctione, de quibus in Geneseos capite primo, sumi possit vox *yôm* (dies), sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio, deque hujusmodi quaestione libere inter exegetas disceptare liceat? », respondit « *Affirmative* » [43].

387. **Secunda pars.** *Expositio litteralis recentior aliis praestare videtur.* Etenim sensum historicum ceteris libri partibus respondentem servat, omnimodam veritatem Scripturae tuetur, et nihil profert quod fidei vel scientiae repugnat. NIL DOCET CONTRA FIDEM, nam qua parte harmoniam hexaemeri Mosaici cum cosmogoniis profanis tentat, praedecessores habuit BASIL., GREG. Nyss. et AUG. [44]; qua vero parte *dies* de epochis interpretatur, ipsum textum sequitur qui, dum dies ante ortum solis enumerat [45], dum ortum, evolutionem et fructificationem plantarum unius diei spatio comprehendit [46], dum innuit Adam vidisse stellas, quae pluribus tantum annis ad nos radios suos deduxere [47], profecto supponit non 24 horas, sed longissimum tempus sub voce *diei* comprehendi quod ceteroquin summe congruit Scripturae fini. Considerandum quippe est « Spiritum Dei, qui per ipsos (sacros scriptores) loquebatur noluisse ista (videlicet *intimam adspectabilium rerum constitutionem*) docere homines, nulli saluti profutura [48]; quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos » [49]. — RATIONI NON REPUGNAT, nam hexaemerus mosaicus, qui antiquitate et objecto divinam prodit originem [50], in summis lineis aperte cohaeret affirmationibus cultorum astronomiae, geologiae et palaeontologiae, dissensus vero in particularibus quaestionibus partim solvitur ex indole Scripturae quae, vulgari loquens

---

[43] COM. BIBL. *30 Jun.* 1909 n. 8.

[44] BASIL. *hom. in Gen.*; GREG. Nyss. *in hexaem.*; AUG. *De Gen. ad Litt.* IV c. 22-4. Cf. S. THOM. *II Dist.* 2 q. 1 a. 3.

[45] Gen. **1**. 3-13.

[46] Gen. **1**. 11-2.

[47] Gen. **1**. 16. Cf. PALMIERI *De Deo Creante* p. 149.

[48] AUG. *De Gen. ad Litt.* II c. 9 n. 20.

[49] LEO XIII Enc. *Prov. Deus.*

[50] Cosmogoniam Geneseos antiquiorem esse Moyse vidimus n. 377 not. 2; homines autem eam non potuisse naturaliter invenire, declaravimus n. 383.

sermone, apparentias potius refert, quam intimam rerum naturam, et ex incertitudine scientiae quae de tempore efformationis stratorum terrae, et de ordine apparitionis viventium ultimam sententiam non dedit. Corticem terrae paullatim coaluisse manifestum est, sicut certa habetur successiva productio plantarum et animalium, sed quis certum dicet tempus in quo apparuerunt? An sufficienter ad trutinam sunt revocata consectaria emigrationis? An perfecte supputatae conditiones vitae pro singulis animalium speciebus? An omnes extraordinariae inundationes reputatae? Nonne plurima animalium et plantarum vestigia, deficientibus pro conservatione necessariis conditionibus, deleri potuerunt? Pauca loca explorata accidentalibus forte circumstantiis propriam dispositionem debent. Quousque terra, quae undis operitur, inexplorata manebit, cum certitudine historia mundi geologia et palaeontologia non integrabitur. Nec tunc forte solvetur quaestio; nescimus enim quo ordine et quot vicibus arida aquis cooperta e maris fluctibus emerserit. Adde creationis dies potuisse simul decurrere, et videbis an contradictiones inter mosaicas periodos et certas scientiarum conclusiones possint demonstrari.

388. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Legimus quod Deus creavit omnia in *die* et *simul* [51]: ergo non successive et multo minus diuturno epocharum tempore. **Resp.** Vox *in die* non signat tempus determinatum sed, synonyma alterius *in illo tempore,* indeterminate referet quod contigit; adverbium vero *simul,* si graec. ποινῇ attendatur, non de tempore, sed de collectione intelligi debet, significatque Deum creasse omnia *pariter,* i. e. nullo excepto [52].

389. **Objic. 2.** Moyses non solum creationis *dies* enumerat, sed uniuscujusque diei *vespere* et *mane* signat: atqui dies qui *vespere* et *mane* completur est naturalis: ergo [53]. **Resp.** Semel assumpta metaphora, in ea manere oportet, unde initium et finis epochae, quae *die repraesentatur,* initio et fine diei h. e. *vespere et mane* efferri debuit, quod in Genesi maxime faciendum erat, quia epochae in exemplum hebdomadis assumebantur [54]. Accedit quod vespere et mane non necessario intelliguntur de initio et fine diei, siquidem juxta etymologiam significant mixtionem seu *confusionem* et aperitionem seu *manifestationem;* unde cum AUG. [55] possunt intelligi de materia informi et formata, seu de principio et fine productionis [56].

---

[51] Gen. 2. 4; Eccli. 18. 1.
[52] KNAB. in *Eccli.* p. 204-5.
[53] HUM. in *Gen.* p. 61.
[54] VIGOUROUX *Man. Bibl.* n. 267.
[55] AUG. *In Gen.* opus imp. c. 15.
[56] PALMIERI *l. c.* p. 149.

390. **Objic. 3.** Quae adducuntur ex excavationibus terrae et astronomiae placitis nil evincunt, quia minima terrae pars est explorata, et Deus potuit condere astra cum luce attingente terram, quin loquendum sit de miraculis, quae in prima creatione locum non habent [57]. **Resp.** Argumentum non sumitur ex sola successiva praesentia animalium in terrae stratibus, sed ex conditione stratorum quae lentam efformationem ostentant, et ex ingenti numero reliquiarum animalium de quibus insulae, montes et pene innumera creta coalescunt. Recursus autem ad divinam omnipotentiam irrationalis est; « nunc enim quemadmodum Deus instituerit naturas rerum, secundum Scripturas ejus nos convenit quaerere; non quid in eis vel ex eis ad miraculum potentiae suae velit operari » [58]. Qui vero difficultatem solvere aestimant dicendo quod agitur de prima effectione, in qua miracula non habentur, verbis ludunt; non enim S. THOM. [59] negat subitaneam *fossilium* efformationem esse miraculum, sed negat esse miraculum creationem ex nihilo et constitutionem virium naturae, licet *immediata Dei operatione* processerint.

391. **Objic. 4.** Sententia litteralis recentior quaestionem scientificam obtrudit in Scripturam et sic ejus fini contradicit eamque irrisioni cultorum scientiarum exponit: ergo [60]. **Resp.** Non repugnat Scripturam de rebus physicis loqui. Ex fine inspirationis sequitur tantum *ordinarie* [61] res physicas methodo non scientifico tractare, quod in casu nostro evenit, siquidem diuturnitatem temporis indeterminata voce *diei* exprimit, et res ad sensum potius quam juxta intimam naturam describit, uti patet de divisione aquae quae sunt supra et infra firmamentum, de luminaribus majori et minori, de classificatione epochae ex principaliori parte, etc.

392. **Objic. 5.** Qui concordistis adhaeret, Scripturae sensum evolutioni subjicit, ne scientiarum placitis contradicat: atqui hoc immutabilitati Scripturae opponitur: ergo. **Resp.** Qui hexaemerum mosaicum non habet uti scientificam expositionem cosmogoniae, sed uti vulgarem enarrationem divini operis, his difficultatibus non praemitur; siquidem revelatam tantum invenit substantiam facti, creationem nempe materiae et successivam efformationem rerum, quae sub influxu Dei [62] sic apparuerunt, ut in sex praecipuas classes possint dividi.

---

[57] CROSTA *De Deo Creante* n. 485.

[58] AUG. *De Gen. ad Litt.* II c. 1 n. 2.

[59] S. THOM. 1 p. q. 105 a. 7 ad 1.

[60] JANSSENS p. 333.

[61] Per se non repugnat *quarumdam* rerum physicarum naturam prodere; non enim obstat fini Scripturae, nec penitus inutiles forent, cum Dei scientiam manifestarent.

[62] Qua ratione *divino influxu* mundus praesens sit efformatus, dicemus in sequenti articulo.

ART. 3 - DE TRANSFORMISMO.

393. **Quid transformismus et quotuplex.** TRANSFORMISMUS, qui juxta etymologiam, dicit mutationem formae seu naturae, heterodoxae est originis et evolutionismi surculus. RATIONALISTAE nempe, qui in *ordine religioso* excogitarunt progressum ab henotheismo, ad feticismum, a feticismo ad polytheismum, a polytheismo ad monotheismum judaicum, a monotheismo judaico ad christianismum, qui laicismo aliquando cedet; et in *ordine sociali* progressum ab homine sylvestri ad barbarum et ad civilem; in *ordine physico* docuerunt evolutionem inferioris naturae in superiorem. Duplex autem est transformismi forma: *rigida* et *mitigata*. TRANSFORMISMUS RIGIDUS ideam creatoris et ordinatoris mundi amovet rerumque omnium originem deducit ex viribus materiae: lege affinitatis et coësionis atomi originem dedere nebulosae, ex qua astra et terra facta sunt: casuali molecularum concursu apparuit *monèra* seu cellula initialis [1], quae suis resolutionibus et compositionibus efformavit organa vitalia et consequenter primas species: his innumere multiplicatis, lucta pro existentia [2] et naturali selectione [3], lento gressu, juxta telluris conditiones, primitivae species ascenderunt usque ad hominem [4]. Praefiguratus ab ANAXIMANDRO, EMPEDOCLE et LUCRETIO, initio saec. 18 patronos nactus est KANT (a. 1790) et LAMARCH (a. 1809), atque excultus a W. C. WELLS (a. 1813) et PATRICK MATTHEW (a. 1831) aliisque, magno scientifico apparatu propositus et propagatus est a DARWIN (a. 1859), ex quo nomen *darwinismi* accepit [5]. Primis annis, cum spes confirmationis affulgeret, fere omnes scientiarum cultores darwinismo nomen dedere [6]; sed, argumentis deficientibus, et experientia

---

[1] Primum vivens vocatur *prototypus* a DARWIN, *proto-organum* a LAMARK, *mònera* ab HAECKEL.

[2] Scil., multiplicata specie, ex alimentorum inopia individua dimicant cum elementis et inter se ut vitam servare queant; in hac lucta pereunt infirma et manet validiora nobilioraque.

[3] Scil. animalia diversae speciei copulantur, et sic eorum proprietates in prole modificantur.

[4] Generatim progressus hujusmodi dicitur *lentus* et *gradualis*: aliqui tamen cum OSWAL HEER et H. HOFMEISTER (apud *Til. Pesch* n. 660) posuerunt progressum *per saltus*.

[5] TIL. PESCH *Phil. Nat.* n. 578.

[6] TIL. PESCH *l. c.* ex darwinistarum agmine recenset *in Germania* C. VOGT, L. BÜCHNER, MOLESCHOTT, BRONN, M. SCHLEIDEN, G. JAEGER, A. MÜLLER, E. HAECKEL, MORIZ WAGNER, W. WUNDT, etc.; *in Gallia* J. GEOFFROY ST-HILAIRE, NAUDIN, LECOQ, EDGARD QUINET, E. FERRIÈRE, DUPONT, etc.; *in Anglia* HUXLEY, WALLACE, LYELL, OWEN, LUBBOCK, TYLOR, HOOKER, GROVE, TYNDALL, BATES, etc.; *in America* ASA GRAY, JOHN FISKE; *in Italia* A. QUADRI, G. OMBONI, MANTEGAZZA, BECCARI, BIANCONI, BUCCOLA, CANESTRINI. Nostris diebus darwinismi cau-

contradicente, ab ejus patrocinio plures recesserunt, nostrisque diebus melioris notae auctores eum reprobant vel pro indemonstrata hypothesi habent [7]. TRANSFORMISMUS MITIGATUS materiae creationem agnoscit, divinam ordinationem, saltem initialem, non respuit, et evolutionem usque ad hominem non perducit, multipliciter vero specierum evolutionem proponit. Alii, distinguentes inter species *naturales* et *systematicas* [8], illas dicunt perfectas et a Deo creatas, has ex illis evolutas *a)* influxu virium physicarum, quae aderant aetate tertiaria, *b)* praeexistentium specierum unione, et *c) lege atrophiae,* qua *non usu* organa corrumpuntur [9]: alii loquuntur de seminali seu radicali virtute a Deo indita primis viventibus, ut juxta conditiones temporum et locorum in diversas species foecundarentur [10]: alii tandem originem entis superioris ex inferiori deducunt ex speciali interventu Dei praeternaturaliter agentis [11].

394. **De transformismo judicium theologium.** TRASFORMISMUS RIGIDUS, qui creationem impugnat et omnia tribuit virtuti materiae et casuali atomorum concursui, certe est *haereticus,* contradicens CONC. LATER., FLOR. et VATIC., quae docent Deum creatorem esse *visibilium omnium et invisibilium,* atque creationem extendunt ad ea omnia *quae* Deus sua virtute tuetur et gubernat [12].

---

sam totis viribus tuitus est F. LE DANTEC, de quo videbis MATTIUSSI *Le speranze svanite del Darvinismo* in *Scuola Cat.* 1909 Luglio-Dicembre c. 2 § 1 n. 7.

[7] Inter Darwinismi primos oppositores MATTIUSSI *l. c.* c. 2 § 2 n. 8 enumerat QUATREFAGES, AEBY, AGASSIZ, VON BAER, BARRANDEN, STOPPANI, inter eos qui argumentorum insufficientiam testati sunt VIRCHOW, VOGT, CONTEJEAN, TAUPINARD, CLAUS, inter modernos autem DELAGE, FLEISCHMANN, GERARD, GRASSI, CAVAZZI, GIARDINA.

[8] Species *systematicas* vocant quae a vulgo nomine *speciei* distinguuntur, et a physicis in diverso gradu vel perfectione constituuntur, *naturales* vero quae natura seu origine distinguuntur: illae pene innumerae sunt; hae paucae, nec tales ut semper regno (vegetali vel animali) distinguantur. Cf. MATIUSSI *l. c.* c. 2 § 2 n. 1-4.

[9] P. WASMANN *La Biologia moderna e la teoria dell'Evoluzione;* F. A. GEMELLI in ephem. *Scuola Catt., Osserv. Catt.,* etc.; DE VRIES apud MATTIUSSI *l. c.*

[10] Docent MIVART, GAUDRY, LEROY apud *Til. Pesch.* Phil. Nat. n. 601; COCHIN, MAISONNEUVE, GUILLEMET apud *Tanquerey* De opif. mundi n. 46; ZAHM *Evolution and Dogma* p. 2 c. 4; A. FARGES apud *Mattiussi Le Speranze* etc. c. 2 § 2 n. 5: probabile habetur a TIL. PESCH. *Phil. Nat.* n. 615; JANSSENS VI p. 405; KNAB. *Stimmens aus Maria Laach* XIII, 125; HUM. *in Gen.* 128-9.

[11] Probabilis habetur a CALMET *Com. in libros N. T.* Vircerb. 1789 1. 62; TIL. PESCH *l. c.;* TANQUEREY *De Opif. mundi* c. 1 n. 36 et 43 sqq.

[12] CONC. LAT. IV c. 7; FLOR. decr. *pro Jacob.;* VATIC. *Dei Filius* cp. 1 et § 1 cn. 5.

TRANSFORMISMUS MITIGATUS QUOAD ORIGINEM sed non quoad terminum, h. e. trasformationem specierum deducens usque ad hominem, est *falsus*, reprobatus a COM. BIBL., quae historicum sensum tribuit « peculiari creationi hominis et formationi primae mulieris ex primo homine » [13]; mitigatus etiam QUOAD TERMINUM, etsi non bene audiat apud vivum magisterium Ecclesiae [14], nullam notam theologicam meretur, et *libere docetur*.

THES. 42. *Transformismus rigidus — 1 sicut repugnat fidei, ita — 2 scientiae contradicit, — 3 nulloque solido fundamento innititur.*

395. **Prima pars.** *Transformismus rigidus contradicit fidei.* Nam **Scriptura** non solum tribuit Deo creationem materiae [15], sed rerum *species* [16], quas Deus sic in numero, pondere et mensura [17] de materia invisa [18] ordinavit et fecit [19] distinctis creationis diebus [20], ut homo in consideratione mundi divina opera semper consideret, quin umquam comprehendat, secundum illud Eccle. : *Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem* [21]. Etiam **Patres** distinguunt duplicem operationem Dei, qui non solùm materiam creavit, sed « totam molem istam *cum omni instrumento* elementorum, corporum, spirituum... de nihilo expressit » [22]; unde cum AUG. in Deo, tamquam in artifice mundi, ponunt ideas archetypas omnium rerum. « Quis (enim) religiosus non profiteatur omnia, quae sunt, i. e. quaecumque *in suo genere propria quadam natura* continentur, ut sint, Deo auctore esse pro-

---

[13] COM. BIBL. *30 Junii* 1909.

[14] MATTIUSSI *L'Evoluzione è possibile?* in *Scuola Catt.* 1898-9 nota in fine; BALLERINI *Idee a posto* in *Scuola Catt.* Nov. 1897; TAVERNA *Biologia moderna* etc. in *Armonie della Fede* 10 Agost. 1906.

[15] Supra n. 337 et 350 sqq.

[16] *Speciei generator haec omnia constituit.* Sap. **13**. 1; Eccl. **18**. 1 sqq. In Gen. rerum origo tribuitur Deo qui omnia viventia fecit *juxta genus suum;* nil autem refert quod ebraicum מִין *(min - φύλος - species)* philosophicam notionem speciei non praeseferat; certe enim significat rerum differentiam.

[17] Sap. **11**. 21.

[18] Sap. **11**. 18.

[19] *Fiat... germinet terra... producant aquae... faciamus hominem.* Gen. **1**. 3 - **2**. 7; Ps. **103**. 1-9; **135**. 4-6; Prov. **8**. 27-30.

[20] Gen. **1**. 1 sqq.

[21] Eccle. **3**. 11.

[22] TERTULL. *Apolog.* c. 17.

creata?... Singula propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse nisi in mente creatoris? »[23].

396. **Secunda pars.** *Transformismus rigidus contradicit scientiae.* Et primo quidem CONTRADICIT METAPHYSICAE. Nam *a)* notissimum causalitatis principium vetat ne effectus nobilior, cujusmodi est species superior, tribuatur causae inferioris ordinis; cum enim nemo det, quod non habet, major perfectio superioris speciei foret effectus sine causa. *b)* Item, « est unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse, quod non conservaretur, si transmutaretur in alteram naturam. Unde nulla res, quae est in inferiori gradu naturae, potest appetere superioris naturae gradum, sicut asinus non appetit esse equus, quia si transferretur in gradum superioris naturae, jam ipsa non esset »[24]. *c)* Accedit quod « natura *determinatis mediis* procedit ad suos effectus; unde illa, quae naturaliter generantur ex semine, non possunt naturaliter sine semine generari »[25]. CONTRADICIT PHYSICAE, nam *a)* multae species inferiores, uti sunt *parassiti* et *microbi,* sic intime colligantur superioribus, ut illae sine istis concipi nequeant, unde successiva evolutione procreari non potuerunt[26]. *b)* Evolutio speciei, ut darwinistae fatentur, supponit organa intermedia, quibus gressus fiat ab una in aliam speciem: atqui haec organa repugnat, quippe inepta forent ad vitam, et multo magis ad generationem, non secus ac axis mobilis, qui in fixum transiret, tempore medio omnem rotae motum impediret[27]. *c)* Irrationabiliter etiam supponunt organorum successivam mutationem; sicut enim modificatio unius rotae mutationem totius systematis in horologio inducit, ita variatio unius organi aliorum omnium mutationem exigit[28]. *d)* Accedit *entelechia,* ab Aristotele proposita et a modernis physicis agnita, quae probat viventium species non determinari ab organis, sed organa potius determinari ab intrinseco vitae principio seu ab anima, ac proinde evolutione, quae organorum tantum mutationem induceret, specierum progres-

---

[23] AUG. *83 Quaest.* q. 46 n. 2; ORIG. *in Joan.* t. 1 n. 22.

[24] S. THOM. 1 p. q. 63 a. 3. Quod S. Thom. a priori arguebat, physici nunc experientia confirmant. Cf. DE BAER apud *Til. Pesch* l. c. n. 583.

[25] S. THOM. 1 p. q. 71 a. 1 ad 1; MATTIUSSI *L'Evol.* c. 2.

[26] Adsunt plantae quae non fructificant nisi semen per vermicula ad gynaeceum adducatur.

[27] Cf. MATTIUSSI *Le Speranze* etc. c. 2 § 1 n. 5.

[28] BIANCONI *epist. ad Darwin* apud MATTIUSSI *L'Evoluzione* etc. c. 4.

sum non explicari [29]. *e)* Adde tandem, juxta evolutionis principia, species multiplicari debuisse proportione geometrica, quod non fuit [30], et requisiisse innumeram saeculorum seriem, quam geologicae et astronomicae supputationes non permittunt [31]. CONTRADICIT EXPERIENTIAE, licet enim 50 et amplius anni physicarum scientiarum periti novae speciei efformationem tentaverint, in vanum laboraverunt [32], et generatio spontanea, quae olim affirmabatur, post experientias D. PASTEUR, et post *batybii* examen [33] ab omnibus rejicitur. CONTRADICIT HISTORIAE. Nam animalia inventa in excavationibus Pompejanis, et illa quae 2000 ab hinc annis descripsit Aristoteles ac remotiori adhuc aetate in monumentis aegyptiis sunt depicta vel sculpta, nullatenus a nostris differunt [34]. CONTRADICIT PALAEONTOLOGIAE, nam *a)* nullum fossile *speciei mediae* est inventum [35]: *b)* cum speciebus imperfectis perfectae apparent, et cum exstinctis existentes [36]: *c)* constans autem non est specierum ascensus, sed aliquando etiam regressus apparet [37]. Omnis ergo scientia transformismo contradicit.

397. **Tertia pars.** *Transformismus rigidus nullo solido fundamento innititur.* Nam LAMARK evolutionis causam dixit organorum *usum* vel *non usum* cum *conatu ad novas operationes* [38], DARWIN *luctam pro existentia* et *naturalem selectionem* [39], HAECKEL *physica agentia externa* [40]. Atqui USU organum potest *perfici* vel

---

[29] GRASSI apud MATTIUSSI *Le Speranze*, etc. c. 2 § 1 n. 8.

[30] TIL. PESCH n. 589.

[31] DE BAER apud *Pesch* n. 595; H. MAZZELLA II n. 718.

[32] Apud MATTIUSSI *Le Speranze* etc. c. 1 esord.

[33] Supra n. 50.

[34] TIL. PESCH n. 586; VIGOUROUX *Manuale Bibl.* I n. 283.

[35] BARRANDE *Trilobites* p. 183; AGASSIS *Delle specie e delle classi zool.* c. 3; QUATREFAGES *Relatio ad societ. Scient.* 1891. AEBY *Die Schädelformen* p. 90. « Haec animalia extincta, inquit VIRCHOW (*Congrès d'Anthropologie* Vienne 1889), quae, velut intermedii annuli, hominem simiae conjungere deberent, frustra investigavimus: homo primigenius *proto-anthropos* adhuc inventus non est ».

[36] TIL. PESCH n. 587, 588, 596; VIGOUROUX *l. c.*; PFAFF apud *Till. Pesch* n. 596; DUILHÉ DE SAINT-PROJET *Apologia* p. 3 c. 14 § 2 p. 233; H. MAZZELLA Vol. 2 n. 718 p. 463; MATTIUSSI *Speranze* etc. c. 2 § 2 n. 5.

[37] TIL. PESCH n. 587; STOPPANI *Corso di geol.* II p. 390; TUCCIMEI *Elem. di geol.* apud TAVERNA in *Armon. della Fede* a. 1906 p. 308.

[38] Similia docet A. MÜLLER apud *Til. Pesch.* Phil. nat. n. 599.

[39] Cf. P. KRAMER apud *Till. Pesch l. c.*

[40] Idem dicunt T. EIMER, WIL. HAACHE, O. HERTWIG. apud *Til. Pesch* l. c.

corrumpi, ut experientia docet, sed non in aliud mutari, quippe actio ab agente procedens, ejus naturae proportionatur: si quae mutatio organorum usum sequitur, non debetur usui sed extrinsecis agentibus, de quibus mox dicemus. NON USU organa debilitantur et forte corrumpuntur, sed non transformantur; siquidem transformatio dicit productionem *novi,* quod sine positiva operatione non fit [41]. CONATUS AD NOVA ORGANA repugnat, *a)* quia praesupponit appetitum rei ad quam non est potentia, dum appetitus supponit inclinationem naturalem ideoque potentiam [42]; et *b)* quia includit conatum ad destructionem praecedentis organi, quod contradicit instinctui conservationis noto experientia [43] et ratione [44]. LUCTA PRO EXISTENTIA speciei progressum non probat, *a)* quia saepe validiores ab infirmiorum numero superantur et *b)* superstites ex lucta detrimentum habent. NATURALIS SELECTIO *a)* specierum progressum *non explicat,* quia unione diversarum specierum organa contemperantur sed non perficiuntur [45]; *b) contradicit experientiae* quia constat omne animal diligere simile sibi et sola necessitate vel externa violentia alienis copulari [46]: *c) contradicit physiologiae* quia species hybridae infoecundae manent vel ad prototypos redeunt [47]: *d) contradicit animalium instinctis,* qui, si evolutione essent acquisiti, longissimo usu firmari debuissent, dum in ipso exordio fuerunt necessarii ad vitae conservationem et ad propagationem speciei [48]. AGENTIA PHYSICA vitam vel novam speciem inducere

---

[41] FABANI *I sette giorni della creaz.* Istr. 58.

[42] S. THOM. 1 p. q. 63 a. 3.

[43] Revera videmus viventia, mutatis circumstantiis et locis, servare characteres specificos; ab exterioribus agentibus autem non recipere nova organa, sed potius magno conatu sua tueri. DE BAER apud *Til. Pesch.* n. 583; CUVIER *Disc. sur le révol. du glob;* GODRON *De l'espèce et des races dans les êtres organisés;* LEON SIMON fils *De l'origine des espèces.*

[44] Nam *operatio* sequitur *esse;* si ergo organa, quibus animal agit, sunt apta conservationi et propagationi vitae, his natura non mutatur sed conservatur.

[45] Patet ex speciebus hybridis et ex principio causalitatis.

[46] SCHIFFINI *Disp. Metaph.* II n. 164 p. 292; FABANI *I sette giorni della creaz.* Istr. 50; MATTIUSSI *Le Speranze* etc. c. 2 § 1 n. 4.

[47] Cf. QUATREFAGES *Char. Darwin et ses précurseurs* ch. 4 sqq.; VOGTS *Leçons sur l'homme* lect. 14; NAUDIN *Nouvelles recherches sur l'hybridité in An. des sciences nat. Botan.* 4.a ser. t. 19; DARWIN ipsum *Orig. delle spec.* c. 9; HUXLEY *Lay sermons* p. 1888; MATTIUSSI *L'Evoluzione l. c.* c. 4; TIL. PESCH *l. c.* n. 597; CALDERONI *l. c.* p. 50; H. MAZZELLA II n. 717.

[48] MATTIUSSI *Le Speranze* etc. c. 2 § 1 n. 6.

nequeunt *a)* quia eorum operatio e diametro operationi viventium opponitur, *b)* quia cellularum destructioni potiusquam aedificationi cooperantur, et *c)* quia instinctus, qui finalitatem subaudiunt, inducere non valent [49]. Ergo transformismus gratuitis affirmationibus innititur.

THES. 43. *Etiam transformismus mitigatus admitti nequit.*

398. Contra TERTIAM FORMAM, qua appellatur ad specialem influxum Dei, adnotasse sufficiat non esse quaestionem de *possibilitate* sed de *facto,* quod positivis documentis comprobandum foret. Contra SECUNDAM FORMAM seminalium virtutum notamus potentialitatem seminis non esse indefinitam, sed determinatam ad unam naturam; unde ex agentibus exterioribus non potest ad diversas species determinari; multo magis quod generatio, uti supremus cujusque virtutis actus, nonnisi post perfectam seminis evolutionem locum habere potest. Contra TERTIA FORMAM polyphylogenesis animadvertimus: *a)* quod arbitrarie communem notionem speciei excessu vel defectu corrumpit [50], *b) quod nullo* exemplo firmatur [51], *c)* quod hypotheses pro factis assumit, *d)* quod con-

[49] HARTMANN *Le Darwinisme;* CUVIER *Anatomie comparée;* LIEBIG *Lettere intorno alla chimica appl.;* VACHEROT *Revue des Deux-Mondes* 15 Dic. 1878; SECCHI *Unità delle forze fisiche* ed. I p. 416; MATTIUSSI *L'Evoluzione* etc. c. 2.

[50] DE VRIES specificam differentiam constituit in *varietatibus;* WASMANN nomen proprium coarctat ad species supremas, quas *naturales* dicit; sed haec arbitrarie fiunt. Specifica viventium differentia a communi aestimatione, peritorum judicio confirmata, deducenda est, et consistit in organorum numero et dispositione, in cellularum sanguinis forma, atque in propriis instinctis quae ex natura formae substantialis resultant, et praecipue innotescunt generatione; utpote quae est supremus vitae actus. Cf. URRABURU *Inst. Phychol.* IV p. 499; TIL. PESCH *l. c.* n. 597; MATTIUSSI *L'Evolut.* c. 4; *Le Speranze* etc. c. 2 § 1 n. 4, § 2 n. 1.

[51] TIL. PESCH *l. c.* n. 594; WIGAND *Der Darwinismus;* QUATREFAGES *Char. Darwin et ses précurseurs* p. 2 ch. 2 p. 176; VIGOUROUX *Manuale Bibl.* I n. 283; *Les Livres saints et la Critique rationaliste* III sect. 2 c. 3; FARGES *La vie et l'évolution des espèces;* BENEDEN *Animal parasites and Messmates;* AGASSIZ *Docum. per serv. alla stor. nat. d'America;* TUCCIMEI *Una questione pregiud. a prop. dell'Evol.* in *Rivista Intern. di Scienze sociali* dic. 1898; E. BLANCARD *La vie des êtres animés;* BIANCONI *La teor. del Darw. e la creaz. indipend.;* BALLERINI *A. Fogazzaro* etc. c. VII § 2 ubi sententiam confirmat auctoritate POZZY, WAITZ, CUVIER, E. HARTMANN, SALVATORE TOMMASI, etc.; MATTIUSSI *L'Evoluzione* etc. c. 3 et 4; CALDERONI *Posit. Evoluz. Material.,* pag. 27 sqq.; M. QUINTON in *Acc. Paris.* 25 Nov. 1906; CONV. ROM. 1907 apud MATTIUSSI *Le Speranze* etc. c. 2 § 1 n. 8.

fundit violentas uniones artis cum naturali selectione, nec attendit species hybridas esse innaturales et redire ad prototypa, *e)* quod gratis appellat ad speciales conditiones temporis evolutionis specierum, *f)* quod innititur argumentis darwinismi, cui viam aperit, *g)* quod non solvit argumenta quae, contra transformismum rigidum ex metaphysica, physica, historia et palaeontologia, adduximus [52].

399. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** *Ex analogia.* Mundus perfectionem suam assecutus est nativa virtute elementorum quae Deus creaverat: ergo etiam viventium progressus specierum evolutioni debetur. **Resp.** Etiam dato, quod, recepto motu a Deo [53], astrorum systemata nativa materiae vi sint efformata; non sequitur specierum progressum evolutione contigisse; corporum enim distributio viribus physicis et chymicis explicatur, vita autem virtutes psychicas subaudit, quae in materia inanimata non continentur.

400. **Objic. 2.** *Ex palaeontologia.* Haec enim docet quod *equus* in primaevis temporibus non erat major vulpe, et genibus, pedibus et ungulis differebat a nostris, dein factus est *orohippus*, postea *mehosippus, miohippus, protohippus, pliohippus* ac tandem in aetate quaternaria *equus*. **Resp.** *Nego suppositum;* sicut enim nunc ossa diversorum animalium similia sunt; ita et primis mundi temporibus simultaneae vel successivae species similes, sed independentes, extiterunt: qui vocantur *progenitores equi* sunt animalia specierum extinctarum.

401. **Objic. 3.** *Ex distributione geographica specierum.* Constat species, quae in eadem regione vivunt, in pluribus convenire; dissitae differre: ergo ex paucis speciebus in mundo distributis multitudo aliarum evolutione facta est. **Resp.** « Verisimile est non omnes vegetabilium et brutorum species ubique esse productas, sed quasdam in hoc hemisphaerio, et alias in alio, et simili modo in variis utriusque regionibus, *juxta sapientissimam Dei distributionem* productas fuisse » [54]; sicut enim diversae species congruunt diversis mundi *aetatibus*, ita et diversis *plagis*. Ceterum conventio specierum similium potest explicari emigratione, qua animalia opportunas sibi regiones quaerunt.

---

[52] Supra n. 396. Cf. MATTIUSSI *Le Speranze* etc. c. 2 § 2 n. 1 sqq.

[53] Necessitas hujus motus initialis, quo Deus opportuno numero, pondere, mensura et loco condens materiam, molecularum motum lege affinitatis, coësionis, etc. determinavit, apparet ex praedictis de primo motore (n. 49) et continetur in Scriptura, quae Deum exhibet auctorem etiam mundi inorganici. **Gen. 1.** 3, 6, 9, 14.

[54] SUAREZ. *De oper. sex dier.* II c. 7 n. 8.

402. **Objic. 4.** *Ex anatomia.* Constat plura organa esse speciebus existentibus inutilia; ergo sunt *rudimenta* praecedentium e quorum evolutione sunt effectae [55]. **Resp.** « Si quis in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat et, si multum est insipiens, superflua putat » [56]. Quo jure dicuntur inutilia membra, quorum finalitas ignoratur? Nonne per plura saecula reputata sunt inutilia organa, quae modo necessaria ab omnibus agnoscuntur? [57] Adde quaedam membra ad ornamentum, quaedam ad contemperationem virium, quaedam ad debitam harmoniam partium ordinari [58].

403. **Objic. 5.** *Ex anatomia morphologica.* Omnes organismi ita sunt constructi, ut revocari possint ad paucos prototypos: ergo fuit evolutio ex illis ad istos. **Resp.** Convenientia specierum non debet repeti ex communi origine, sed ex conditione telluris, h. e. ex aëre, mari, ceterisque elementis quibus respondet peculiaris forma vitae, exigens determinata quaedam organa fundamentalia [59].

404. **Objic. 6.** *Ex embryogenia.* Embryones animalium perfectorum transeunt per phases similes embryonibus animalium inferiorum: ergo nunc in individuo perficitur iter, quod longo saeculorum cursu percurrerunt species. **Resp.** Irrationabiliter confunditur *phylogenia* (origo specierum) cum *ontogenia* (origine individui); nam embryo non perficitur viribus mechanicis externorum agentium, sed virtute formae quam a generante secundum eius naturam mutuatus est: progressus e contra speciei non potest tribui formae quae evolutionis est terminus et non causa; non potest tribui *generanti* quia caret perfectione formae superioris; non potest tribui *causis extrinsecis* quia cellulas producere non valent. Accedit quod embryo generationi fit aptus tantum cum ad ultimum complementum venit, unde, si paritas teneret, species intermediae generationi fuissent ineptae. Falso tandem affirmatur embryonum diversarum specierum similitudo [60], quam, ut statuerent, HAECKELIANI a mendaciis et falsificationibus non exhorruerunt [61].

---

[55] V. g. homo habet ad movendas aures muscolos, qui nunc sunt inutiles, sed erant necessarii quando aures erant magnae.

[56] AUG. *In Gen. cont. Manich.* c. 16.

[57] TIL. PESCH *Phil. Nat.* n. 94.

[58] TIL. PESCH n. 605; MATTIUSSI *L'Evol.* c. 11.

[59] MATTIUSSI *L'Evol.* c. 10; *Le Speranze* etc. c. 2 § 1 n. 1; TIL. PESCH *l. c.* n. 604; BIANCONI apud *Calderoni* p. 34.

[60] FREDAULT *Physiol. générale* p. 366; MILNE EDWARDS, *Leçons sur la Physiol. et l'Anat. comparée* I p. 31; KOELLICKER *Entwicklungsgeschichte des Menschen* 1879 p. 383; C. CLAUS *Kleines Lehrbuch der Zoologie* 1880 p. 82; G. RANCKE *L'Uomo* I; TESTI apud *Calderoni* p. 37.

[61] SEMPER, HIS et alii apud *Til. Pesch* n. 607.

405. **Objic. 7.** *Ex metamorphosi.* Constat quaedam animalia transformari et successive diversam induere naturam, ut v. g. contingit in papilione, qui prius est *eruca,* dein *chrysallis* ac tandem *papilio:* ergo speciei evolutio non repugnat. **Resp.** In metamorphosi non mutatur species, cum individuum maneat, sed diversificatur *status* qui perfectionem speciei attingit in ultimo tantum gradu. quando animal fit aptus generationi.

406. **Objic. 8.** *Ex stirpium differentia.* Quae varietates vel stirpes unius speciei dicuntur, saepe magis distant inter se quam quae species audiunt, ut patet de simiis quae plus inter se differunt quam ab homine, et de hominum stirpibus quae tam differunt, ut eorum communem originem in dubium fuerit revocata [62], dum supraemae plantae sic infimis viventibus assimilantur, ut periti ipsi distinguere nesciant: ergo mutationem specierum ad solas varietates coarctare non licet. **Resp.** Varietates stirpium, etsi *externe* excedere aliquando videantur differentias specierum, si *physiologice* considerentur parvae apparent, neque organorum finalitatem attingunt. Humanarum stirpium differentia non respicit organa, et explicatur diversarum regionum conditione, atavismo et educatione [63]; dum homo a simiis differt ratione et organis [64]. Quod autem physici aliquando distinguere nesciant plantas a viventibus, non est ex defectu characterum regna naturae separantium, sed ex defectu instrumentorum, quatenus determinare non valent an motus, qui apparent sequantur, vel non, objecti perceptionem [65].

407. **Objic. 9.** *Ex primitiva conditione terrae.* Quo enim validior est causa, major est effectus: atqui primitiva conditio terrae magis distabat a nostra, quam differant diversorum locorum conditiones, quae stirpium mutationem inducunt: ergo saeculorum cursu specierum mutatio ultra stirpium differentiam progressa est [66]. **Resp.** Quae speciei *plasticitas* dicitur, non est indefinita, unde ultra quosdam limites extendi nequit: si justi fine praetergrediantur, non speciei mutatio sed extinctio habebitur, ut palaeontologia docet.

---

[62] Apud VIGOUROUX *Man. Bibl.* n. 301.

[63] Explicabimus infra.

[64] Differentia organica respicit evolutionem foetus, motus cerebri et totam dispositionem et formam membrorum quae diversa est in bestiis corpore inclinato ambulantibus et in homine recto supra pedes sistente. MATTIUSSI *Le Speranze* etc. c. 3 n. 1; VIRCHOW *Congrés d'Antropologie* Vienne 1889; PORTANOVA *Errori e deliri del Darwinismo;* C. GAFFURI *I precursori dell'uomo* in *Scuola* Nov. 1894; Gen. 1910.

[65] MATTIUSSI *Le Speranze* etc. c. 2 § 2 n. 2.

[66] WASMANN apud *Mattiussi* l. c. n. 5.

408. **Objic. 10.** *Ex atavismo et monstris.* Atavismo genito communicantur proprietates quae ad speciem non pertinent, nec desunt naturae monstra quae plura vel pauciora organa quam cetera individua suae speciei habent : ergo causis a generatione diversis, obtineri poterunt entia novam speciem constituentia. **Resp.** *Atavismo* non acquiruntur proprietates specificae, sed mere pathologicae, quae profecto accidentales sunt [67]. Etiam *monstruositates* ad speciem non pertinent, sed sunt affectiones quae progressu temporis cessant [68], nec exhibent novam speciei perfectionem, sed potius *degenerationem* [69].

409. **Objic. 11.** *Ex auctoritate physicorum.* Peritis in arte credendum est : atqui physici illustriores polyphylogenesim testantur : ergo. **Resp.** Quaestio de evolutione specierum metaphysica potius quam physica est : physici facta referunt, metaphysici examini subjiciunt : illi variationes observant, hi judicant an ad stirpem vel ad speciem pertineant; differentia quippe specifica, ut *entelechia* docet, est repetenda a forma seu anima cujus judicium ad psychologiam pertinet. Ceterum exempla polyphylogenesis, peritorum quoque judicio, vel mere hypotheses sunt, ut quae ex *dynardis* assumuntur, vel ad varietates ejusdem speciei reducuntur, ut quae ex *Oenothera,* ex *Linaria vulgari,* ex *Chrysanthenis* derivantur [70].

410. **Objic. 12.** *Ex auctoritate theologorum.* AUG. [71], S. THOM. [72], et SUAREZ [73] specierum evolutionem agnoverunt, plures autem THEOLOGI [74] probabilem habent : ergo. **Resp.** *Neg. assertum.* Profecto AUG., qui simultaneam omnium rerum creationem docuit, ne cogitare quidem potuit de evolutione specierum : *seminales rationes,* quas inditas docuit materiei, sunt virtutes activae et passivae sive elementorum sive viventium ex quibus entia et phaenomena naturalia resultant, quin eis divina virtus exhauriatur [75]; S. THOM. loquitur de *potentia obedientiali,* qua praesupposita, Deus successive singulas species efformavit [76];

---

[67] R. VIRCHOW *Naturforscherveramlung zu Kassel* 1878 apud *Til. Pesch* n. 608. Cf. etiam S. THOM. 1-2 q. 81 a. 2.

[68] TIL. PESCH *l. c.* n. 609.

[69] RANCKE *L'Uomo* Vol. 1.

[70] MATTIUSSI *Le Speranze* etc. c. 2 § 2 n. 7.

[71] AUG. *De Gen. ad Litt.* V c. 3.

[72] S. THOM. 1 p. q. 66 a. 1 ad 1; q. 73 a. 1 ad 3; *De Pot.* q. 4 a. 1; ad 2; ad 8.

[73] SUAREZ *De opere sex dierum* II c. 10 n. 12.

[74] Supra n. 393.

[75] AUG. *De Gen. ad Litt.* III c. 14; V c. 4; VI c. 13, 14, 15, 17, 18; MATTIUSSI *L'Evol.* c. 10.

[76] S. THOM. 1 p. q. 69 a. 2; 70 a. 2; ad 5; 71 ad 1; q. 91 a. 4 ad 3; *II Dist.* 15 q. 3 a. 1 ad 8; *Dist* 18 q. 1 a. 2; MATTIUSSI *L'Evol.* c. 10.

SUAREZ loquitur de varietatibus ejusdem speciei, possibilitatem ipsam generationis spontaneae excludens [77]; THEOLOGI non docent probabilitatem *facti* transformismi sed *hypothesis*, quatenus intra quosdam fines contradicere non videtur revelationi. Ceterum errant qui contendunt transformismum extra revelationis sepem penitus constitui, nec ab Ecclesia posse aliquando damnari [78]; etsi enim non opponatur apertis documentis fidei, tamen « *sensui* Scripturae *obvio* contradicit » [79].

ART. 4 - DE MUNDI CONSERVATIONE ET EVERSIONE.

411. **Quid conservatio et quotuplex.** In re existenti potest considerari *origo* et *permanentia*: primum accipit productione, alterum tenet conservatione, quae in *negativam* et *positivam*, *directam* et *indirectam* dispescitur. *Negativa* consistit in remotione corrumpentium, sicut custodia parentum servatur virginitas filiae; *positiva* in reali influxu quo res in esse tenetur, sicut cibo conservatur vita: *indirecta* vel *mediata* habetur cum res per alios in esse tenetur, sicut rex ministris prosperitatem regni promovet; *directa* cum propria actione in pristino statu aliquid servatur, sicut sol suis radiis lucem, calorem et vitam conservat. Et quia in rebus considerari potest *esse* quo existunt, et *modus essendi* quo ad invicem distinguuntur duplex datur conservatio positiva, scil. τοῦ *esse* ut in nihilum non redeant, et *naturae* ut non corrumpantur.

412. **Quomodo Deus conservat creaturas.** Distinguendum est inter conservationem *esse* rerum et conservationem *individuorum* seu *specierum*. In *esse* res conservantur a Deo immediato et positivo influxu infinitae suae virtutis; « conservatio enim non est per novam actionem, sed per *continuationem actionis* qua (Deus) dat esse [1], quae quidem actio est sine motu et tempore; sicut etiam conservatio luminis in aëre est per continuatum influxum a sole » [2]. Conservationem diversarum naturarum Deus curat providentia, naturae cursu et ministerio humano atque angelico. *Providentia* quia a tota aeternitate Deus disposuit quae in ordine naturae et gratiae contingunt [3]; *naturae cursu* quia « in ipsa rerum creatione (Deus) ordinem in rebus instituit, ut quaedam ab aliis

---

[77] SUAREZ *De opere sex dier.* II c. 7 n. 3, 6, 7, 8; *Civiltà Catt.* 16 ott. 1897; BALLERINI in *Scuola* 1894 febbr.

[78] DUILHÈ *Apolog. scient. della fede* p. 170; NAUDIN *Rivista Scient.* 5 marzo 1875.

[79] CORLUY *Spicil.* I p. 198; BALLERINI *A. Fogaz.* VII § 1.

[1] Scil. conservatio est quasi *continuata creatio*. HONTHEIM n. 963.

[2] S. THOM. 1 p. q. 104 a. 1 ad 4.

[3] Supra n. 210.

dependerent, per quas secundario conservarentur, praesupposita tamen principali conservatione quae est ab ipso »[4]: *ministerio humano* quia homo sua libertate potest fovere vel impedire ordinem mundi: *ministerio angelico,* quia angeli deputantur ad custodiam hominum et ad utilitatem civitatum et nationum[5].

413. **Quandonam finietur mundus.** Est mysterium quod Deus non revelavit[6]. Stulte autem in evangeliis[7] et apostolicis litteris[8] quidam sermones esse dixerunt de proxima fine mundi[9]; si mundus statim finire debuisset, Christus non fundasset Ecclesiam quae, portas inferi superando, usque ad extrema terrae propagines suas extenderet[10]. Nec aliter opinati sunt Apostoli; Paulus enim expresse scripsit ad Thessalonicenses ut eis persuaderet finem mundi non imminere, quod similiter Petrus fecit quoad ecclesias asiaticas; Joannes vero in Apocalypsi loquitur de *mille annis,* h. e. de longissimo tempore relegationis diaboli ante finem mundi[11]. Ultimae tamen conflagrationis diem occultans, Deus plurimas ejus circumstantias manifestare dignatus est, ut, cum contingerint, sciamus quia prope est in janua[12]; sunt autem haec praecurrentia signa: *bella, pestilentiae, fames terroresque* per loca, *coelorum pertur-*

---

[4] S. Thom. 1 p. q. 104 a. 2 ad 1.

[5] Ps. **90**. 11; Hebr. **1**. 14 etc.; Dan. **10**. 12 sqq.; Zach. **1**. 12 apud Palmieri *th.* 62 p. 464 sqq. Quousque se extendat influxus angelicus in conservatione rerum, maxime irrationalium, ignoramus

[6] Marc. **13**. 12.

[7] Matth. **15**. 2-3; **16**. 28; **24**. 34.

[8] Act. **2**. 17; 1 Corinth. **15**. 23-4; 52; 1 Thess. **3**. 13; **4**. 14; 2 Thess. **2**. 8; 1 Tim. **4**. 14; 2 Tim. **4**. 1; Jac. **5**. 3; 8; 2 Petr. **3**. 3 sqq.; Apoc. **1**. 1; **2**. 5 etc.

[9] Renan *Vie de Jésus* c. 17; Loisy *L'Évang. et 'Égl.; Autour d'un petit livre.*

[10] Cf. Vol. 1 n. 195.

[11] 2 Thess. **3**. 2 sqq.; 2 Petri **3**. 8; Apoc. **20**. 1-2. *NB. Adventus Christi* (celebris παρουσία) de quo loquuntur Evangelia est multiplex (Vigouroux *Man. Bib.* III n. 255), et cum distinguitur a personali redditu in fine mundi, explicari debet de *transfiguratione* (Chrys., Cyril., Eut., Hil., Hier. apud *Knab.* in Matth. II p. 77) vel de *destructione Jerusalem,* qua glorificatus est Christus (Knab. *l. c.*). — *Generatio* permansura *donec haec omnia fiant* (Matth. **24**. 34) juxta locutionem hebraicam intelligenda est de *natione* Judaica (Knab. *l. c.* p. 343); vel prophetia exponenda est de *destructione* Jerusalem (Billot *De Novis.* p. 177 sqq.). — *Novissimi dies* vel *novissima hora* in N. T. non est finis mundi sed tota oeconomia christiana, sic dicta quia *ultima aetas* mundi (S. Thom. *Suppl.* 88 a. 3 ad 3; Billot *l. c.* p. 190 sq.; Padov. in *1 Thess.* **5**. 1; *Hebr.* **1**. 2; Knab. in *Dan.* p. 199). — Necessitatem bene agendi Apostoli non deducunt ex proximitate finis mundi, sed ex *nostra ignorantia* de illo tempore, quod Christus occultavit ut semper essemus parati.

[12] Matth. **24**. 32-33.

batio [13], *caritatis refrigescentia*, copia *pseudo-prophetarum* qui dabunt *signa magna et prodigia*, ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi [14], magna catholicorum *corruptio* et *apostasia* [15], *diaboli imperium* [16] et horrenda *persecutio* [17] sub *antichristo* [18] — Adveneruntne haec tempora? *Adesse* non aestimamus; plures enim adhuc sunt gentes quibus lumen fidei non illuxit, et populus judaicus Ecclesiam non est ingressus, dum ante finem mundi Evangelium ubique annuntiabitur [19], et, plenitudine gentium conversa, etiam Israël salvabitur [20]. *Non* tamen *multum distare*. Evangelii celeris propagatio suadet, et multo magis conatus modernistarum qui, haereses omnes renovantes, revelationis thesaurum eorumque fontes Scripturam et Traditionem magno impetu aggrediuntur [21]. Adde pericula quae populorum paci ex *novis principiis* totius ordinis eversivis incumbunt : adde *diaboli cultum* a massonica secta impudenter evulgatum : adde nationum apostasiam *laicizationis* nomine obtectam, et videbis an non merito de proxima fine mundi dubitetur. Utique timendum est jam apparuisse Antichristum, « tanta audacia, eo furore religionis pietas ubique impetitur, revelatae fidei documenta oppugnantur, quaeque hominis cum Deo officia intercedunt tollere, delere prorsus praefracte contenditur! E contra... homo ipse temeritate summa in Dei locum invasit, extollens se *supra omne quod dicitur Deus*, usque adeo ut, quamvis notitiam Dei extinguere penitus in se nequeat, ejus tamen majestate rejecta, aspectabilem hunc mundum sibi ipse velut templum dedicaverit a caeteris adorandus. *In templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus* » [22].

414. **Quomodo continget mundi eversio?** Profecto vel regulari cursu ordinis cosmici qui lenta extinctione solis deficiet, sicut homo

---

[13] Obscuratio solis et lunae stellarumque lapsus debent explicari sensu historico; non tamen scientifice, quasi plures stellae possint opprimere terram, sed ad sensum, quo modo etiam bolides sunt stellae. Cf. THOM. *La fin du monde* etc. p. 15.

[14] Matth. **24**. 7-24.

[15] Luc. **17**. 26-30; **18**. 8; 2 Thess. **2**. 1-11. Cf. etiam 2 Tim. **3**. 2 : « Erunt homines *seipsos amantes*, cupidi, elati, superbi, *blasphemi, parentibus non obedientes*, ingrati, *scelesti, sine affectione, sine pace*, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi et *voluptatum amatores* magis quam Dei; *speciem habentes pietatis*, virtutem autem ejus abnegantes ». Haec Apostolus enuntiat de suis ipsis temporibus, sed speciali ratione intelliguntur de ultima mundi aetate (A LAPIDE).

[16] Apoc. **20**. 3 : *Post haec oportet illum* (diabolum) *solvi modico tempore.*

[17] Dan. **7**. 25.

[18] 2 Thess. **2**. 3-4.

[19] Cf. Vol. I n. 246, 250.

[20] Isai. **10**. 21; **59**. 20; Rom. **11**. 25-26.

[21] Cf. Alloc. Pii X 7 April. 1907; Enc. *Pascendi*. Vide HARTMAN *La religion de l'avenir* apud BILLOT *De Novis* p. 194.

[22] PIUS X Enc. *In supremi.*

moritur senectute [23], vel collisione seu occursu terrae cum aliquo e sideribus quae magnu impetu moventur per coeli plagas [24], vel peculiari interventu Dei qui extra naturae cursum subitaneam immutationem inducet [25]. Porro naturali naturae cursu mundus non peribit, quia Scriptura, loquitur de violenta ac subitanea conflagratione, quam comparat diluvio, cum inopinate rupti sunt omnes fontes abyssi magnae et cataractae coeli apertae sunt [26]. Astrorum collisionem nonnulli [27] deducere voluerunt ex PETRO dicente : *Coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur* [28]; sed parum consentire videtur ceteris Scripturis quae diem judicii investigabilem habent hominibus et angelis [29], quibus astrorum occursus non sunt ignoti. Adde mundi ruinam, utpote peccatorum punitionem, angelico ministerio esse consummandam [30]; futuram vero esse cum renovatione coeli et terrae [31] quae naturali virtute non fiet. Et ideo dicendum quod mundi eversio continget operatione « quae soli divinae subjacet potestati in quibus nulla creatura ei cooperabitur » [32].

THES. 44. *Omnia quae creavit, Deus omnipotenti sua virtute conservat.*

415. Nam **Scriptura** aperte tribuit Deo conservationem rerum [33]; et Deum exhibet uti supremum dominum, qui *continet* [34] et *portat omnia verbo virtutis suae* [35], quo proinde deficiente, omnia corruerent et in nihilum redirent. — **Patres** *a)* affirmant quod Deus « omnibus causa est cur sint » [36], siquidem, sicut « verbo

---

[23] KIRWAN *Comment peut finir l'univers,* ch. 1 ; FAYE *Origine du monde,* ed. 2 p. 306 ; THOMAS *La fin du monde d'après la foi et la science,* 1904 p. 15.

[24] KIRWAN *l. c.;* TANQUEREY *De Deo Rem.* n. 79 in nota ; H. MAZZELLA IV n. 694.

[25] S. THOM. *Supp.* q. 88 a. 3 ; BILLOT *De Novis.* p. 173.

[26] Matth. **24**. 36 coll. Gen. **6**. 11 sqq.

[27] Cf. KIRWAN *l. c.*

[28] 2 Petr. **3**. 10.

[29] Matth. **24**. 36. Qua ratione Christus dixerit se ignorare diem judicii, explicabimus in tract. *De Verbo incarnato.*

[30] Apoc. **8-10**.

[31] Deus enim destruet mundum sicut homo deponit vestimentum veteratum ut novum assumat (Hebr. **1**. 11) ; statim vero post ruinam erit judicium universale (Matth. **29**. 30).

[32] S. THOM. *Suppl.* q. 88 a. 3 rem confirmat analogia ad originem mundi qui a solo Deo creatus est.

[33] *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses ? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur ?* Sap. **11**. 26.

[34] Sap. **1**. 7. « Id est manu suae potentiae omnia ambit, concludit, conservat ne in suum nihil recidant ». A LAPIDE.

[35] Hebr. **1**. 3. *Portari* dicitur quod a se stare nequit, sed, deficiente virtute sustinentis, cadit. BILLOT *De Deo* p. 101 ; PADOV. in *h. l.*

[36] JUST. M. *Cont. Tryph.* n. 3.

majestatis suae constituit omnia, (ita) et verbo suo potest illa evertere » [37]. Porro *b)* necessitatem conservationis CYRIL. repetit ex conditione creaturarum quae « ad suam naturam redirent, idest in nihilum, nisi conjunctione et relatione ad eum, qui est, sui ortus infirmitatem superarent » [38]. *c)* CHRYS. conservationem exaltat supra creationem; quia « haec quidem est ex nihilo aliquid producere: quae facta sunt autem, relapsura ad nihilum continere et inter se dissidentia conjungere, est magnum et admirabile et indicium magnae virtutis » [39]. — **Ex ratione.** Nam *a)* omne ens participatum pendet ab ente per essentiam secundum omnem essendi modum: atqui duratio est participata quaedam proprietas entis: ergo. *b)* Effectus pendet a sua causa in *fieri* vel in *esse* seu conservari secundum quod in *fieri* vel in *esse* ab ea procedit: atqui omnis creatura a Deo procedit etiam in esse [40]: ergo. *c)* Divina omnipotentia exigit ut Deus possit creaturam annihilare, si velit: atqui annihilatio sola cessatione a conservatione intelligitur [41]: ergo [42].

THES. 45. *Mundus — 1 non annihilabitur, sed — 2 renovabitur.*

416. **Prima pars.** *Nulla creatura annihilatur.* Nam creaturae si considerantur in ordine *naturae,* « vel sunt immateriales, et sic in eis non est potentia ad non esse; vel sunt materiales et sic saltem remanent semper secundum materiam, quae incorruptibilis est; utpote subjectum existens generationis et corruptionis. Redigere etiam aliquid in nihilum non pertinet ad *gratiae* manifestationem, cum magis per hoc divina potentia et bonitas ostendatur quod res in esse conservat. Unde simpliciter dicendum est quod nihil omnino in nihilum redigetur » [43]. Profecto Deus omnia fecit in gloriam suam [44]: atqui annihilatio non manifestat gloriam Dei, quia « Dei potentia in hoc maxime ostenditur quod res in esse conservat, se-

---

[37] CLEM. ROM. *1 Corinth.* 27. 4; IRAEN. *Adv. haer.* II c. 34 n. 3; ORIG. *C. Cels.* VI n. 65.

[38] CYRIL. Alex. *in Joan.* IX c. 40 cir. med.; AUG. *De Gen. ad Litt.* IV c. 22; V c. 20 n. 40; GREG. M. *Moral.* XVI c. 37 n. 45.

[39] CHRYS. *in Hebr.* hom. 2 n. 3.

[40] S. THOM. *Cg.* III c. 65; 1 p. q. 104 a. 1.

[41] S. THOM. 1 p. q. 104 a. 8 ad 3. Nam omnis actio positiva habet terminum positivum, qui est *ens.*

[42] Cf. S. THOM. 1 p. q. 104 a. 1; *Cg.* III c. 65; LESS. *De perf. div.* X c. 3 et 4.

[43] S. THOM. 1 p. q. 104 a. 4.

[44] Sap. 1. 14.

cundum illud Apostoli [45]: *Portans omnia verbo virtutis suae* » [46]: ergo.

417. **Secunda pars.** *Mundus evertetur et renovabitur.* Figuram hujus mundi *praeterire* non solum docet fides [47], sed affirmant physici ex lege *entropiae* [48]: post destructionem autem esse *renovandam* S. THOM. concludit *ex ejus finalitate.* Profecto « omnia corporalia propter hominem facta esse creduntur, unde et omnia dicuntur ei subjecta. Serviunt autem homini dupliciter: uno modo ad sustentationem corporalis vitae, alio modo ad profectum cognitionis divinae... Primo ergo ministerio creaturarum homo glorificatus nullo modo indigebit... Secundo etiam ministerio non indigebit homo quantum ad cognitionem intellectivam, quia tali cognitione Deum sancti videbunt immediate per essentiam...; (visione autem corporali, oculus carnis Deum) inspiciet in suis effectibus corporalibus, in quibus manifesta indicia divinae majestatis apparebunt et praecipue in carne Christi, et post hoc in corporibus beatorum, et deinceps in omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit ut etiam illa corpora majorem influentiam a divina bonitate suscipiant quam nunc; non tamen speciem variantem, sed addentem cujusdam gloriae perfectionem; et haec erit mundi *innovatio* » [49]. Illa nempe innovatio, de qua scriptum est: *Ecce ego creo coelos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora* [50], cum *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei* [51].

CAPUT III.

De angelis.

418. **Divisio capitis.** Generalem quaestionem de creatione, particularis excipit de objectis creatis, inter quae profecto eminent angeli.

---

[45] Hebr. **1**. 3.

[46] S. THOM. 1 p. q. 104 a. 4 ad 1; *De Potent.* q. 5 a. 4.

[47] 1 Corinth. **7**. 31.

[48] Supra n. 49.

[49] S. THOM. *Suppl.* q. 91 a. 1.

[50] Isai. **65**. 17; 2 Petr. **3**. 13; Apoc. **21**. 1.

[51] Rom. **8**. 19 sqq. apud CORNELY in *h. l.* p. 425 et sqq. — *NB.* Plures theologi ex S. Thom. l. c. a. 5, negant in renovatione mundi futura esse animalia et plantas; sed CORNELY (in *h. l.*) notat hoc non posse statui a priori, nec consentire Patribus qui loquuntur de restauratione mundi *universi.* PESCH *De Deo Creante* n. 504.

Porro angeli considerari possunt in *naturali* perfectione et in ordine *gratiae*, de hoc infra agemus; in praesenti dicemus 1 *de angelorum existentia ac natura, et* 2 — *de eorum operatione.*

ART. 1 - DE ANGELORUM EXISTENTIA ET NATURA.

419. **Quid angelus.** « *Angelus* officii nomen est, non naturae » [1]; juxta graecam enim et hebraicam etymologiam dicit *nuntium*, unde in Scripturis effertur de omnibus qui sunt legati Dei, scil. *de prophetis* [2], *de sacerdotibus* [3], *de episcopis* [4], *de Moyse* [5], *de J. Baptista* [6], *de Christo* [7]; sensu tamen proprio exprimit creaturam pure spiritualem [8], a materia omnino independentem [9].

420. **Quando angeli sunt creati.** Angelos non esse *ab aeterno* constat ex praedictis [10]: ORIG., BASIL., GREG. Naz., CHRYS., aliique [11] aestimarunt creatos fuisse diu *ante mundum visibilem*, ut essent thronum Dei; sed cum EPIPH., BASIL. Seleuc., AUG., GREG. M. [12] et S. THOM., melius dicitur conditos fuisse *simul* cum materia. *Non posterius*, ne creatura esset inepta ad gloriam formalem, quam praecipue Deus intendit in effectione mundi; *non prius*, ne Angeli « viderentur omnino alieni ab ordine creaturae corporalis, quasi aliud universum per se constituentes » [13].

421. **De angelorum numero.** Multos esse angelos testatur SCRIPTURA cum ait: *Numquid est numerus militum ejus?* — *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millium assistebant ei* [14]. PATRES docent quod sunt « infiniti populi corpore carentium vir-

---

[1] AUG. *in Ps.* **103** enar. 1 n. 15; GREG. M. *in Evang.* hom 34 n. 8.

[2] Malach **1**. 1 apud CORNELY *Intr. in S. Scrip.* Diss. 6 § 32 n. 1.

[3] Malach. **2**. 7.

[4] Apoc. **2**. 1; 8; 12; etc.

[5] Numer. **20**. 16.

[6] Malach **3**. 1.

[7] Malach. *l. c.*

[8] HAGEN *Lex. Bibl.* in *h. v.*

[9] Supra n. 73.

[10] Supra n. 373.

[11] ORIG. *in Gen.* hom. 1; *in Matth.* hom. 10; *in Job.* **37**; BASIL. *hexaem.* hom. 1; GREG. Naz. *Or* 38; *Or.* 42; CHRYS. *in Gen.* hom. 2; *ad Stagir.* I; AMBR. *Hexaem.* I c. 5; HIL. *De Trin.* XII; HIER. *in Tit.* **1**; DAMASC. *De fide orth.* II c. 3; IV c. 14; BEDA *Quaest.* 9.

[12] EPIPH. *Haer.* 65; THEOD. Mops. *in Gen.* **1**; THEOD. *Quaest.* 3; BASIL. Seleuc. *Or.* 1; AUG. *C. Faust.* XXII c. 10-11; *De Gen. ad Litt.* II c. 8 n. 16; *De Temp.* serm. 251 etc. (aliquando tamen rem in medio reliquit); RUPERT. *De Trin.* I 10; GREG. M. *Moral.* XXVIII c. 14; etc. apud *Petav. De Angelis* I c. 15.

[13] S. THOM. *De Pot.* q. 3 a. 18; 1 p. q. 61 a. 3; II *Dist.* 2 q. 1 a. 3.

[14] Job. **25**. 3; Apoc. **5**. 11; Dan. **7**. 10; Luc. **2**. 13; etc.

tutum » [15], qui numero excedunt homines sicut immensitas coeli superat terram; « ex loci (enim) magnitudine, incolarum multitudo aestimari solet, est autem terra puncti instar in unius coeli medio » [16]. Quare angelos reputant 99 oves quas pastor evangelicus reliquit in coelis ut unam ovem (humanitatem), quae perierat, salvaret [17]. S. THOM. angelorum numerum arguit ex nobilitate naturae angelicae; « quia cum perfectio universi sit illud quod praecipue Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta. tanto in majori excessu sunt creata a Deo... unde rationabile est quod substantiae immateriales excedant secundum multitudinem substantias materiales quasi incomparabiliter » [18].

422. **Angeli differuntne specie?** Suam ignorantiam ex AUG. [19] fatetur KNAB [20]. TOLETUS putat angelos non secus ac homines *solo numero* distingui [21], SUAREZ specificam differentiam agnoscit inter angelos diversi *ordinis* sed non ejusdem chori [22], S. THOM. docet omnes angelos specie differre. Profecto angeli distinguuntur notis individuantibus, secus enim numero non multiplicaretur: atqui notae individuantes, licet in corporibus non inferant specificam differentiam, quia debentur materiae signatae quae sola quantitate differt, in puris spiritibus inducunt diversam perfectionem substantialem ac proinde diversitatem specificam: ergo « impossibile est esse duos angelos unius speciei; sicut impossibile esset quod essent plures albedines separatae, aut plures humanitates » [23].

423. **De angelorum ordinibus et hierarchiis.** Quae a Deo sunt, ordinata sunt [24]: atqui « non esset multitudo ordinata, sed confusa, si in multitudine diversi ordines non essent »: ergo in angelorum multitudine diversi gradus sunt agnoscendi. Sicut igitur « in civitate sunt diversi ordines secundum diversos actus; nam alius est ordo judicantium, et alius pugnantium, et alius laborantium in agris et sic de aliis » [25]; ita et in multitudine angelica sunt novem ordines seu chori qui angelorum nominibus respondent, et ex donis ac muneribus distinguuntur. *Seraphim* igne quodam inflammati in Deum rapiuntur; *Cherubim* profusione divinae

---

[15] CHRYS. *De incomp.* hom. 2.
[16] CYRIL. Hieros. *Catech.* 15.
[17] HILAR. in *Matth.* **18**. 12; CYRIL. Hier. *Catech.* 15 n. 24; GREG. Nyss. *C. Eunom.* 11; AMBR. *in Luc.* VII ad c. **15**.
[18] S. THOM. 1 p. q. 50 a. 3.
[19] AUG. *Enchir.* c. 58; *C. Prisc.* c. 11.
[20] Apud HAGEN *Lex. Bibl.* in *v. Angelus.*
[21] TOLET. *in Sum.* 1 p. q. 5 a. 4.
[22] SUAREZ *De Angel.* I c. 14 n. 3; 13; c. 15 n. 15.
[23] S. THOM. 1 p. q. 50 a. 4.
[24] Rom. **13**. 1.
[25] S. THOM. q. 108 a. 2.

scientiae illuminantur; *Throni* a terrenis omnibus affectibus liberi in se divinos fulgores recipiunt; *Dominationes* subjectos habent angelos inferiores ad praecipienda divina mandata; *Virtutes* fortissimi sunt, in exequenda divina voluntate miraculisque patrandis; *Potestates* insuperabili constantia intendunt divinis obsequiis; *Principatus* praesunt nationibus in his quae ad salutem pertinent, movendo et praecipiendo juxta dispositiones divinae voluntatis; *Archangeli* magna, *Angeli* minima nuntiant [26]. Sicut autem sunt *novem chori,* ita sunt *tres hierarchiae,* quibus universitas angelorum sub summo principe Deo regitur. Profecto « hierarchia est sacer principatus...; in nomine autem principatus duo intelliguntur scil. *princeps* ipse et *multitudo ordinata* sub principe. Quia igitur unus est Deus princeps non solum omnium angelorum, sed etiam hominum et totius creaturae; ideo non solum omnium angelorum, sed etiam totius rationalis creaturae, quae sacrorum particeps esse potest, una est hierarchia... Sed si consideretur principatus ex parte multitudinis ordinatae sub principe, sic *unus principatus* dicitur secundum quod *uno eodemque modo* potest gubernationem principis recipere ». Unde, quia homines et angeli diversimode a Deo reguntur, diversa quoque est hierarchia umana et angelica. Sed neque angeli eodem modo a Deo moventur; « possunt enim rationes rerum de quibus angeli illuminantur, considerari tripliciter. Primo quidem secundum quod procedunt *a primo principio universali,* quod est Deus: et ille modus convenit primae hierarchiae... Secundo prout hujusmodi rationes dependent *ab universalibus causis creatis,* quae jam aliquo modo multiplicantur; et hic modus convenit secundae hierarchiae. Tertio modo secundum quod hujusmodi rationes applicantur singulis rebus, prout dependent *a propriis causis* (particularibus): et hic modus convenit tertiae hierarchiae » [27]. Prima hierarchia immediate respicit Deum a quo regitur, altera angelos quos dirigit, tertia homines quos custodit [28]: unaqueque vero tribus choris constat, quia in omni ordine est superior, medius et inferior [29].

424. **Qua ratione angeli sint in loco et quomodo moveantur.** Angelos non esse extra mundum visibilem, manifestum est ex

---

[26] C. MAZZELLA n. 303.

[27] S. THOM. 1 p. q. 108 a. 1. *NB.* Haec dicuntur cum S. THOMA magna *probabilitate,* sed non omnimoda *certitudine,* ut videre est apud JANSSENS VI p. 918.

[28] C. MAZZELLA n. 303.

[29] S. THOM. 1 p. q. 108 a. 2. *NB.* Cum hierarchia dicat multitudinem *ordinatam sub Deo,* in inferno, *ubi... nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* (Job. **10.** 22), non est hierarchia; quia tamen daemones servant naturam quae in singulis diversae virtutis est, etiam apud eos est aliquis principatus (Matth. **12.** 24; **25.** 45; Joan. **14.** 30; Rom. **8.** 38; Ephes. **6.** 12; 1 Corinth. **15.** 24), quo validiores movent inferiores ad malum. S. THOM. 1 p. q. 109 a. 1-3.

mundi unitate, ex obsessione et infestatione daemonum atque ex custodia bonorum angelorum, siquidem operatio in distans non datur. Aliter tamen angelus et corpus sunt in loco; corpus enim est in loco *per se*, suam superficiem coaptans superficiei corporis ambientis; sed angelus, utpote purus spiritus, partium expers, *per accidens* tantum [30] est in loco, prout contactu virtutis [31] unitur rei in quam agit [32]. Inde sequitur *a)* angelum posse *simul esse in duobus locis dissitis*, quia sine sui scissura valet in diversis mundi partibus agere [33]: *b)* esse *definitive in suo loco adaequato*, quia virtus, qua corpora tangit, est finita, nec proinde ad universum mundum potest extendi [34]: *c) per accidens moveri* motu corporis cui unitur, quia cum corpus sit proxima ratio suae presentiae, ejus conditionem sequitur [35]: *d)* posse *saltuatim moveri* quia « substantia angeli non est subdita loco ut contenta, sed est superior ut continens; unde in potestate ejus est applicare se loco, prout vult; vel per medium vel sine medio » [36].

425. **Errores — Veritas.** *Existentiam* angelorum impugnarunt antiquitus SADDUCAEI [37], saec. XVI ANABAPTISTAE qui Angelos dicebant personificationes proprietatum et operationum Dei, ac dein SWEDENBORGIANI et SPIRITISTAE angelos confundentes cum animabus defunctorum [38], nostris vero temporibus MATERIALISTAE qui substantias immateriales non agnoscunt [39]: *creationem* negarunt GNOSTICI, PRISCILLIANISTAE et MANICHAEI angelos facientes emanationes divinae substantiae [40]: ne angelos aequarent Deo, angelorum *spiritualitatem* rejecerunt aliqui PATRES [41], quos secuti sunt CAJET. [42] et acatholici quidam philosophi, uti LEIBNITZ, WOLF, KANT [43]. **Veritas** proposita est in CONC. LAT. IV et confirmata a VATIC.: « Deus... simul ab initio temporis utramque *de nihilo condidit* creaturam, *spiritualem* et corporalem, *angelicam* videlicet et

---

[30] S. THOM. I *Dist.* 38 q. 3 a. 1 ad 2.

[31] Quid sit contactus virtutis videbis in S. THOM. *Cg.* II c. 56.

[32] S. THOM. I *Dist.* 38 q. 3 a. 1; 1 p. q. 52 a. 1.

[33] S. THOM. 1 p. q. 52 a. 2.

[34] S. THOM. l. c.

[35] S. THOM. 1 p. q. 53 a. 1.

[36] S. THOM. 1 p. q. 53 a. 2.

[37] Act. 23. 8.

[38] Apud PESCH *De Deo creante* n. 359.

[39] Supra n. 5.

[40] HERGENR. I p. 188 sqq.

[41] JUST. M., ORIG., METH., ATHEN., BASIL., HIL., AMBR., AUG., CYRIL. Alex., FULG. aliique plures apud PETAV. *De Angelis* I c. 2. Etiam BERN. anceps haeret in *Cant.* serm. 5 n. 7.

[42] CAJET. *in ep. ad Ephes.* 2. 2.

[43] Apud C. MAZZELLA n. 277.

mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam » [44].

THES. 46. *Existunt — 1 angeli, — 2 puri spiritus, — 3 Deo quidem inferiores, sed hominibus praestantiores.*

426. **Prima pars.** *Existunt substantiae rationales distinctae a Deo et ab homine, quae proprio nomine dicuntur angeli.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. *ex nomine.* Licet enim *angelus* sit potius nomen officii quam naturae, saepissime tamen adhibetur substantive de veris suppositis creatis; ergo dicitur de homine vel de alia substantia rationali creata : atqui non semper dicitur de homine, quia locutione *propria* ei non convenit [45], et locutio *metaphorica* propriam subaudit [46], raroque adhibetur [47] : ergo. ARGUM. 2 *ex ps.* 8 : *Minuisti eum paulo minus ab angelis* [48]. Sane in hoc testimonio angelus *a)* est nomen *personale* quia comparatur homini, *b) distinguitur ab homine* quia ei praefertur, *c) distinguitur a Deo* quia exhibetur *paulo* superior homini, quem Deus infinite excedit : ergo. ARGUM. 3 *ex Tob.* **12** : *Ego sum Angelus Raphaël unus ex septem, qui adstamus ante Dominum* [49]. Angelum hic *a)* sumi *personaliter,* patet ex pronomine personali *ego,* ex nomine item personali *Raphaël,* et ex operationibus intellectivis (*locutio, ministerium divinum,* etc.) quae personarum sunt propriae : *b) distingui a Deo* docent verba *unus ex septem, qui adstamus ante Deum,* Deus enim unus est, adstare vero seu assistere dictione hebraica valet ministrare [50] : *c) distingui ab homine* constat ex reverentia qua Raphaëlem prosecuti sunt Tobis et Tobia, qui, nomine angeli audito, trementes ceciderunt super terram in faciem suam [51]. — Scripturae testimoniis inhaerentes,

---

[44] CONC. VATIC. *Dei Filius* c. 1; c. 4 et 5; LATER. IV *ad Albig.* — *NB.* Cum CONC. directe *creationem* in sua definitione intenderit, *existentia* et *creatio* angelorum *de fide* tenetur, *spiritualitas* vero uti sententia *theologice certa,* sed non de fide.

[45] Tunc enim de omni homine diceretur.

[46] Profecto si in ordine rerum non invenirentur *vitis, petra, vas,* etc.; nec Christus diceretur *vitis* vera, nec Petrus *petra* Ecclesiae, nec Paulus *vas* electionis : similiter ergo si *angelus* non esse in natura, nec homo analogice diceretur *angelus.*

[47] Nam metaphora est quaedam exceptio quae ordinarie non occurrit; nomen vero angeli in Scripturis *personaliter* sumitur plus trecenties, scil. circiter 160 in V. T. et 170 in N.

[48] Ps. **8**. 6.

[49] Tob. **12**. 3.

[50] KNAB. apud HAGEN *Lex. Bibl.* col. 260.

[51] Tob. **12**. 16.

contra gnosticos et ethnicos saepe **Patres** secundi saeculi de angelorum bonorum creatione ac praestantia, deque daemonum infestatione loquuntur [52], eorum vero sententia magnam confirmationem habet in *liturgiis* [53], *apocryphis* [54] et catacumbarum *epitaphiis* [55], quae angelorum virtutem et protectionem saepissime invocant. Hinc AUG. « Angelos esse novimus *ex fide,* et multis apparuisse legimus » [56]. — **Ratio** sumitur *ex fine creationis.* Cum enim Deus omnia fecerit ad manifestationem suae bonitatis [57], quae maxime obtinetur cognitione et amore Dei, profecto congruit fini creationis quod adsint entia intelligentia : atqui virtus intellectiva a puris corporibus abest, in mixtis vero est imperfecta, utpote quae non extenditur ad totum esse : ergo congruit fini creationis et mirabili ordini universi, ut supra *hominem,* qui ex corpore et spiritu constat, sint *puri spiritus* qui supremum perfectionis gradum in creaturis teneant [58]. CONFIRMATUR *experientia.* Adsunt enim in magorum incantationibus et falsis miraculis opera quae procedunt ab ente rationali, homine validiori, quod non est Deus, malorum intentator [59]. Accedit *consensus omnium populorum* qui, si in angelorum natura determinanda errarunt, factum tam clare confessi sunt, ut TERTUL. dicere potuerit : « Sciunt daemones esse philosophi... daemones sciunt poëtae... angelos quoque esse etiam Plato non negavit » [60].

427. **Secunda pars.** *Angeli sunt puri spiritus.* **Ex Scripturis.** NEGATIVE. Nam, cum angeli non videantur, de eorum corporibus ex revelatione constare deberet : atqui Scriptura numquam de angelorum corpore loquitur ; imo, cum illorum apparitiones enarrat,

---

[52] BARNAB. *Epist.* c. 14 ; HERMAS *Past.* passim ; IGNAT Epist. *ad Trall.* c. 5 ; *ad Smyr.* c. 6 ; JUST. M. *C. Tryph.* c. 88, 103, 128, 141 ; *Apol.* c. 1 n. 6, 28 ; IREN. *Adv. haer.* III c. 23 n. 3 ; IV c. 41 n. 2 ; V c. 24 n. 4 ; MIN. FEL. *Oct.* c. 26 ; Cf. HERGENR. I p. 259 ; PESCH n. 358.

[53] In breviario et missali passim.

[54] HERGENR. I p. 259.

[55] Cf. appendicem ; P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 1 c. 3 a. 6.

[56] AUG. *in Ps.* **103** serm. 1 n. 15 ; ORIG. *De Princip.* praef. ; AMBR. *De Fide* V. c. 2 ; GREG. M. *In Evang.* hom. 24.

[57] Supra n. 369.

[58] S. THOM. 1 p. q. 50 a. 1 ; *Cg.* II c. 46.

[59] SUAREZ *De Angel.* I c. 1 n. 7-8 ; C. MAZZELLA n. 264.

[60] TERTUL. *Apol.* 22 ; CYPR. *De idol. vanit.* ; LACT. *De div. inst.* II c. 14 ; AUG. *De Civ. Dei* IX. Cf. PALMIERI p. 152 ; PESCH n. 259.

solicite refert circumstantias quae a natura corporea mentem revocant : ergo. Revera Scriptura exhibet angelos *de coelo venire* [61], *per aëra ferri* [62], *in igne ascendere* [63], subito *apparere* et *disparere, nec uti humano cibo* [64]. POSITIVE. Nam Scriptura angelos vocat *spiritus* [65] : atqui *spiritus* communi et scripturali sensu opponitur corpori [66] : ergo. Neque dicas angelos habere *spiritum* corpori unitum ; pars enim non praedicatur de toto et Apostolus daemonibus negat carnem et sanguinem [67], quae viventibus corporeis sunt necessaria. — **Patres** spiritualitatem angelorum professi sunt distinguentes creaturas in visibilem et invisibilem, corpoream et incorpoream [68], angelosque vocando *spiritus* [69], *intelligentias* pura mente apprehensibiles [70], *penitus incorporeos omnisque materiae expertes* [71], cui *nulla convenit sensibilis figura* [72], quique spiritualitate possunt Deo comparari [73]. — **Ratio** ipsamet est, quae suadet existentiam angelorum ; probat enim existentiam entium purae intelligentiae, et intelligentia in immaterialitate fundatur [74].

428. **Tertia pars.** *Angeli inferiores sunt Deo, superiores hominibus.* Angelos esse creaturas Dei, ideoque illo infinite inferiores, patet ex praedictis de unitate Dei [75] et de creatione omnium quae Deus non sunt [76] : in particulari adduci potest APOSTOLUS qui inter creaturas, quas Deus condidit, enumerat *invisibilia, sive thronos, sive dominationes, sive principatus, sive potestates* [77]. Porro angelos

[61] 2 Mach. **10**. 29 ; **11**. 10.

[62] Dan. **9**. 21 ; 14 ; 35.

[63] Jud. **13**. 20.

[64] Tob. **12**. 15 sqq. ; Judic. **13**. 15-16 apud *Pesch* n. 364.

[65] Matth. **8**. 16 ; Luc. **6**. 18 ; **10**. 20 ; **11**. 16 ; Act. **19**. 12 ; Hebr. **1**. 14 ; Apoc. **4**. 5 ; etc.

[66] Supra n. 73.

[67] Ephes **6**. 12.

[68] SYMB. NICAEN. ; DIDYM. Alex. *De Spir. S.* n. 4 ; GREG. Naz. *or.* 38 n. 11 ; GREG. Nyss. *in Orat. Dom.* or. 4 ; LEO M. *ep. ad Turr.* ; ISID. Hisp. *De ord. creat.* c. 2.

[69] GREG. M. *Moral.* II c. 5 ; *Dial.* IV c. 29 ; ISID. hisp. *Sentent.* I c. 10.

[70] DIONYS. *De Hierar.* c. 1 ; GREG. Naz. or. 38.

[71] EPIPH. *Haer.* 26. 13 ; ATHAN. *De com. ess. Patris et Filii et Spir. S.* n. 5 ; THEOD. *in Gen.* q. 20 ; EUSEB. *Demonst. Evang.* IV 1 ; GREG. Naz. *Or.* 38 n. 9 ; GREG. Nyss. *C. Eunom.* 12 ; MAR. Vict. *Adv. Arium* ; CHRYS. *in Gen.* hom. 22 n. 2 ; *in Joan.* hom. 25 n. 2 ; HIER. *ep.* 75 n. 2 ; *ep.* 108 n. 22 ; GREG. M. *Moral.* IV c. 9 ; DAMASC. *De fide orth.* II c. 3.

[72] NERSES Armen. epist. *ad Prov. Hamasch.*

[73] SOZOM. *H. E.* III. 18 ; Cf. PETAV. *De Ang.* I c. 3 ; PALMIERI p. 161-2 ; etc.

[74] Supra n. 426.

[75] Supra n. 146.

[76] Supra n. 337.

[77] Colos. **1**. 16. Cf. Ps. **148**. 2-5 ; Dan. **3**. 57-8, ubi inter opera Dei, quae auctorem suum laudare debent, enumerantur angeli.

perfectione super homines excellere, testatur **Scriptura** quae *naturam* humanam dicit *paulo inferiorem* angelica [78], angelum vero dignitate [79], sapientia [80] et fortitudine [81] hominem superare; *non est* enim *super terram potestas, quae comparetur ei* [82]. Hinc **Patres** dicunt angelos esse « excellentiorem ac primam in creaturis... naturam » [83], universo mundo tamquam ministros Dei praepositos [84], nostra substantia superiores [85]. **Ratio** est manifesta. Quo enim substantia a materia, quae est principium *potentiale,* recedit, eo de actu et consequenter de perfectione mutuatur : atqui angelus est purus spiritus sine materia et sine ordine ad materiam, homo vero materia componitur, ejusque anima, utpote corporis forma, habet ordinem ad materiam : ergo [86].

429. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Si angeli essent creati a Deo, de his loqueretur MOYSES in hexaemero : atqui de sola creatione mundi visibilis agit : ergo. **Resp.** *Nego conseq.* Erat enim pro Moyse sufficiens motivum tacendi de angelis periculum idololatriae; populus quippe Israël superexcellentes hujusmodi creaturas facile confudisset cum geniis et demiurgis paganorum [87]. Ceterum de angelis Moyses loquitur in decursu libri, cum eos introducit quasi ministros Dei in gubernio populi sui : nec desunt Patres [88] qui, cum traditionali sensu hebraeorum [89] et Ecclesiae [90], aestimant angelorum creationem Moysen indicare nomine *coeli,* prout metonymia signatur continens pro contento [91].

---

[78] Ps. **8**. 6. *Minuisti eum paulo minus ab angelis.* Argumentum crescit, si cum Apostolo (Hebr. **2**. 7) verba psalmi intelliguntur de Christo; licet enim PADOVANI *paulo* explicet de *brevi tempore* passionis, melius cum *a Lapide* intelligitur de inferioritate naturae assumptae, de qua, omnibus consentientibus, loquitur psalmista.

[79] Cf. 2 Reg. **17**; Act. **6**. 15; Gal. **4**. 14.

[80] 2 Reg. **14**. 20; Gal. **1**. 8.

[81] Eph. **6**. 12; 2 Petr. **2**. 11.

[82] Job. **41**. 24.

[83] FULG. *De Trin.* c. 8.

[84] ATHEN. *Leg. pro crist.* n. 24; JUST. M. *Apol.* 2; DAMASC. *De fide orth.* II c. 4.

[85] DIONYS. *De Hier.* c. 4; AMBR. *in Ps.* **37**. n. 21; CHRYS. *De incom. Dei nat.* hom. 3 n. 3.

[86] Cf. S. THOM. 1 p. q. 55 a. 2.

[87] S. THOM. *De Potent.* q. 3 a. 18 ad 4.

[88] ORIG. *in Gen.* hom. 1; EPIPH. *haer.* 65 n. 4; AUG. *De Gen. ad Litt.* V c. 3; GREG. M. *Moral.* XXVII c. 39 n. 65.

[89] HUM., *in Gen.* p. 89.

[90] SYMB. *Factorem coeli et terrae;* CONC. LAT. IV c. *Firmiter;* CATECH. ROM. p. 1. c. 2 n. 16-17.

[91] S. THOM. *De Pot.* q. 3 a. 18 ad 4; SUAREZ *De op. sex dier.* I c. 6 n. 8; PESCH n. 357.

430. **Objic. 2.** Apostolus opponit Christum Angelis, quia est *filius* Dei, angeli autem *ventus* et *flamma ignis* [92] : atqui Christus *natura* est Deus : ergo angeli natura sunt ventus et ignis ideoque corpora. **Resp.** Argumentum Apostoli procedit ex dignitate Christi qui, utpote Filius Dei, est adorandus ab angelis qui sunt ministri Dei facientes ejus voluntatem, *sicut* ventus qui spirat juxta voluntatem ejus et sicut flamma ignis, qua Deus utitur ad vindictam [93].

431. **Objic. 3.** Angeli saepe ab hominibus visi sunt : atqui sola corpora possunt videri : ergo. **Resp.** Angeli non apparuerunt in corpore proprio sed in assumpto ; hoc autem « non propter seipsos, sed propter nos ; ut familiariter cum hominibus conversando, demonstrent intelligibilem societatem, quam homines expectant cum eis habendam in futura vita » [94].

432. **Objic. 4.** Natura corporea manifestatur figura, operatione et passione sensibili : atqui Scriptura figuram angelicam describit [95], angelos exhibet qui tuba canunt [96] et luctantur cum hominibus [97], docetque angelos compesci sono citharae [98], fugari fumo fellis [99], torqueri igne [100] et ligari catenis [101] : ergo. **Resp.** Angeli, non secus ac Deus [102], describuntur *figura* qua apparent, *operationes,* quae motu peraguntur, efficiunt contactu virtutis, licet autem naturaliter a corporibus pati nequeant, ab eis tamen possunt *affligi* [103] eisque *ligari* prouti sunt instrumenta divinae virtutis. Porro Deus voluit Asmodaeum fumo jecuris compescere et spiritus malos corporeo igne in inferno punire propter sensus anagogicos quos mystici considerant.

433. **Objic. 5.** Operationes vitales animalium nullatenus esse possunt a puris spiritibus : atqui angeli *loquuntur* [104], *manducant* [105], et *generant* [106] : ergo. **Resp.** « *Locutio* quae attribuitur angelis in corporibus assumptis, non est vere naturalis locutio, sed quaedam similitudinaria per similitudinem effectus ; et similiter dicendum de *comestione*...

---

[92] Hebr. **1.** 5-7.

[93] PADOVANI in *h. l.*

[94] S. THOM. 1 p. q. 51 a. 2 ad 1.

[95] Dan. **10.** 5 sqq. ; Judic. **13.** 6.

[96] Matth. **24.** 31.

[97] Gen. **32.** 24.

[98] 1 Reg. **16.** 23.

[99] Tob. **6.** 8 ; **8.** 3 tex. graec.

[100] Matth. **25.** 41 ; 2 Petr. **2.** 4 ; Jud. 6.

[101] Tob. **8.** 3 ; Apoc. **20.** 1 sqq.

[102] Gen. **16.** 13 ; Exod. **23.** 33 ; **24.** 9-10 ; **33.** 11 ; Deut. **33.** 2-3 ; Isai. **6.** 1 ; etc.

[103] Dolorem spiritualem, qui ex re corporea provenit in spiritum, Card. GOTTI (1 p. tr. 8 q. 2 dub. 1) desumit ex ignominia et contemptu, qui proveniunt enti spirituali cum corporalibus subditur.

[104] Tob. **5.** 8 sqq. ; Isai **6.** 3 ; Zach. **1.** 11 ; **3.** 14 ; etc.

[105] Gen. **18.** 9 ; **19.** 3.

[106] Gen. **6.** 4. AUG. *De Civ. Dei* XV c. 23 confirmat experientia.

Si autem talis effectus requirat transmutationem secundum formam, tunc non poterit fieri per angelum; nisi forte mediante naturali actu, sicut patet de *generatione* »[107]; de qua tamen inepte explicatur testimonium Genesis[108]; *angeli* quippe *Dei* vel melius *filii Dei* sunt filii Seth[109].

434. **Objic. 6.** Argumentum ex Scriptura et Patribus deductum, falso supposito laborat, siquidem antiquis *spiritus* non erat substantia immaterialis, sed subtilis[110]. **Resp.** Licet antiqui philosophi veram notionem spiritus non habuerint; habuerunt tamen christiani qui non ex illis sed ex Scriptura et traditione propriam sententiam derivarunt[111].

435. **Objic. 7.** PATRES plurimi tribuerunt angelis corpus subtile et aëreum : ergo spiritualitas angeli non pertinet ad revelationem. **Resp.** PATRES, qui corpus tribuunt angelis, scientifice, ex quibusdam testimoniis Scripturae[112] male intellectis, decepti sunt. Ceterum ex Patribus, qui opponuntur, alii cum AUG. mere dubitabant[113], alii verbo tenus dissentiebant loquentes de *limitatione* substantiae[114], vel de *sensu comparativo* prout angeli sunt spiritus inferiores Deo[115], vel de *sensu metaphorico* prout ignis est symbolum virtutis intellectivae[116], vel de *corpore assumpto* in poenam peccati[117], unde angelorum *animam* nullibi efferunt[118]. Non itaque neganda est primis Patribus notitia spiritualitatis angelorum sed dicendum cum PALM. obscuram habuisse[119].

ART. 2 - DE ANGELORUM OPERATIONE.

436. **De cognitione angelica.** Cognitio angelica non procedit adaequate ab ejus natura; etenim « potentia intellectiva angeli se extendit ad intelligendum omnia, quia objectum intellectus est ens vel verum

---

[107] S. THOM. *De Potent.* q. 6 a. 8; ad 5; 1. p. q. 51 a. 3; ad 5 et 6.

[108] Hunc errorem docuerunt etiam JUST., TATIAN., ATHEN., CLEM. Alex., METHOD., LACT., IREN., AUG. apud *Palmieri* p. 168.

[109] Profecto *daemon* non dicitur angelus Dei; angelus vero *bonus* peccare nequit. « Quanta *dementia* est, inquit CHRYS., putare incorporeas naturas corporibus esse copulatas! » *in Gen. hom.* 22 n. 2.

[110] MOSEHMIUS apud *Palmieri* p. 172.

[111] PALMIERI *l. c.*

[112] Gen. **6.** 2 sqq.; Hebr. **1.** 7; etc.

[113] AUG. *De Civ. Dei* XIII c. 23; *De Trinit.* III c. 1; *Retract.* I c. 11 n. 4; II c. 14.

[114] THEOD. *Quaest. in Gen.* int. 3.

[115] DAMASC. *De fide orth.* II c. 3; GREG. M. *Moral.* II c. 3.

[116] BASIL. *De Spir. S.* c. 6; DAMASC. *De fide orth.* II. c. 3; GREG. Naz. *Or.* 38 n. 9.

[117] ISID. hisp. *De diff. rerum* n. 14.

[118] AUG. *Retract.* I c. 11.

[119] PALMIERI p. 164-176; PETAV. *De Ang.* I c. 3.

commune, ipsa autem essentia angeli non comprehendit omnia, cum sit essentia determinata ad genus et ad speciem... Et ideo solus Deus cognoscit omnia per suam essentiam; angelus autem per suam essentiam non potest omnia cognoscere, sed oportet intellectum ejus aliquibus speciebus perfici ad res cognoscendas » [1]. Jamvero species angelicae a nostris differunt *origine, perfectione* et *usu*. Differunt ORIGINE, quia nostrae sunt *acquisitae* per abstractionem a phantasmatibus, angelicae sunt *infusae* a Deo in primo creationis momento, unde « potentia intellectiva... in angelis naturaliter est completa... in quantum habent species intelligibiles connaturales ad omnia intelligenda quae naturaliter cognoscere possunt » [2]. Differunt PERFECTIONE, quia nostrae sunt *singulares,* ita ut singulis rebus respondeat determinata species, angelicae sunt *universales,* ita ut « quanto angelus fuerit superior, tanto per pauciores species universalitatem intelligibilium apprehendere possit » [3]. Differunt USU, et quidem tripliciter : nam *a)* species nostrae *dependent a phantasmatibus,* quibus perturbatis, intelligere non valemus; angelicae in usu *pendent a solo voluntatis imperio* [4] : *b)* nostrae, eo quod a rebus proveniunt, *statim* ac existunt *sunt aptae* ad cognitionem objecti; angelicae supponunt *terminum* in cujus defectu nequeunt actuare intellectum [5] : *c)* nostras *componimus et dividimus* alias ex aliis deducendo; angelus, licet non possit simul omnia intelligere, eo quod intellectus nequeat pluribus speciebus simul actuari [6], tamen *non procedit* ex principiis in conclusiones, sed sua specie simul attingit principia et conclusiones [7].

437. **De objecto cognitionis angelicae.** Angeli PERFECTE COGNOSCUNT NATURAM. Nam, cum praestent hominibus, speciebus infusis intelligere valent omnia quae nos speciebus acquisitis intelligere possumus : atqui nos possumus speciebus acquisitis universam naturam scrutari : ergo idem valent angeli speciebus infusis : atqui species infusae in creatione sunt inditae : ergo angeli a primo creationis momento, si ex parte termini non sit impedimentum [8], universam naturam possunt scrutari [9]. NON COGNOSCUNT FUTURA CONTINGENTIA quia, deficiente termino, species infusa nondum est perfecta, nec valet actuare intellectum [10]; futurum vero contingens non *est* in se, neque in causis. Hinc

---

[1] S. THOM. 1 p. q. 55 a. 1.

[2] S. THOM. *l. c.* a. 2.

[3] S. THOM. *l. c.* a. 3.

[4] S. THOM. 1 p. q. 58 a. 1.

[5] Videbimus angelos nec futura, nec secreta cordium intueri.

[6] S. THOM. 1 p. q. 58 a. 2.

[7] S. THOM. *l. c.* a. 3 et 4.

[8] Impedimentum extat pro futuris et secretis cordium, non pro ceteris.

[9] S. THOM. 1 p. q. 58 a. 5; q. 64 a. 1.

[10] « Licet species quae sunt in intellectu angeli, quantum est de se, aequaliter se habeant ad praesentia, praeterita et futura; tamen praesentia,

Scriptura [11] et Patres [12] futurorum cognitionem habent pro *signo divinitatis,* quod certe angelis convenire nequit [13]. NON COGNOSCUNT SECRETA CORDIUM quia, sicut pro visibilitate objecti non sufficit ejus existentia sed requiritur proportio ad potentiam visivam, ita pro cognitione intellectuali requiritur objecti manifestatio; unde si voluntas suo cordis secreto illud occultat, teste Scriptura [14] et Patribus [15], illi soli innotescit qui animae illabitur [16]. Quod si de cognitione tantum CONJECTURALI agatur, concedendum est angelos futura praevidere et secreta cordium introspicere; si enim ex communiter contingentibus nos, cognitis agentium inclinationibus, arguimus futura, et ex sensibilibus affectionibus secreta cordium magna probabilitate detegimus, multo magis angeli, qui dispositiones animi et sensibiles affectiones cognoscunt, perfectius possunt scrutari [17]. MYSTERIA GRATIAE angeli naturaliter non cognoscunt; « si enim unus angelus non potest cognoscere cogitationes alterius ex voluntate ejus dependentes, multo minus potest cognoscere ea quae ex sola Dei voluntate dependent ». Cognoscunt tamen ex revelatione « non quidem omnia, nec aequaliter omnes, sed secundum quod Deus voluerit revelare... ita tamen quod superiores angeli perspicacius divinam sapientiam contemplantes, plura mysteria et altiora in ipsa Dei visione cognoscunt, quae inferioribus manifestant eos illuminando » [18].

438. **De locutione et illuminatione angelica.** De facto nemo

---

praeterita et futura, non aequaliter se habent ad species; quia ea quae praesentia sunt, habent naturam per *quam assimilantur speciebus,* quae sunt in mente angeli, et sic per eas cognosci possunt. Sed quae futura sunt, nondum habent naturam per quam illis assimilentur; unde per eas cognosci non possunt ». S. THOM. 1 p. q. 57 a. 3 ad 3.

[11] Isai. **41**. 22; **46**. 9; Matth. **24**. 25; Joan. **2**. 22; **14**. 29; etc.

[12] TERTUL. *C. Marc.* V c. 15; *Apol.* c. 20; HIL. *De Trin.* IX n. 61; CHRYS. *in Joan.* hom. 9 n. 2; AUG. *De Divin.* c. 4; CYRIL. Alex. *in Joan.* IV c. 4; ANSEL. *Elucid.*

[13] S. THOM. 1 p. q. 57 a. 3.

[14] 3 Reg. **8**. 39; 1 Paral. **28**. 9; Ps. **7**. 10; **43**. 22; Jerem. **19**. 9; Matth. **9**. 4; Joan. **1**. 47 sqq.; **2**. 24-5; **8**. 7-8; 1 Corinth. **14**. 24-5; Hebr. **4**. 12. Supra n. 162.

[15] CLEM. Alex. *Strom.* 5; ORIG. *in Gen.* hom. 7; CYPR. *De or. Domin.; De Lapsis;* HIL. *in Ps.* **139**; DIDYM. *apud Damasc.* De fide orth. I c. 2; AMBR. *in Luc.* **5**; CHRYS. *in Matth.* hom. 4; *in Joan.* hom. 24; HIER. *in Ps.* **16**. 20; AUG. *De divers.* serm. 6 c. 5; FULG. *ad Thras.* c. 16; PASCHAS. *De Spirit. S.* II c. 1.

[16] Rationem extrinsecam, sed validissimam, S. THOM. 1 p. q. 57 a. 4 deducit *ex fine* entium rationalium quae, cum immediate in Deum ordinentur, intellectu et voluntate aliis creaturis subdi non debent.

[17] AUG. *Retract.* II c. 30; ISID. Pelus. III *epist.* 156; CASSIAN. *Coll.* VII c. 15; S. THOM. 1 p. q. 57 a. 4.

[18] S. THOM. 1 p. q. 57 a. 5.

ambigit; saepe enim SCRIPTURA [19] et PATRES [20] angelicam locutionem commemorant. Profecto si homo homini loquitur, et magister discipulum docet; cur angelus alteri loqui non poterit, et inferiorem illuminare seu juvare ad perceptionem eorum, quae propria virtute intelligere nequit? Porro nos loquimur ordinando cognitiones nostras ad aliorum notitiam, quibus verbis sensibilibus manifestamus; magister vero discipulum edocet dividendo et coordinando suos conceptus, ut fiant apti discipulo. In angelica locutione non sunt verba, quia organis vocis et auditus spiritus carent; neque habetur coordinatio specierum, quia angeli intelligunt intuitione et non discursu: angelus ergo angelo *loquitur* voluntaria ordinatione suorum conceptuum ad illum, ut ei innotescant [21]; *illuminat* vero « fortificando (sua conversione) virtutem intellectivam ejus, (sicut virtus imperfectioris corporis fortificatur ex situali propinquitate perfectioris corporis) », et « veritatem, quam universaliter concipit, quodammodo distinguendo ut ab inferiori capi possit » [22]. Ex his patet daemonem alteri loqui, sed ipsum non illuminare, « illuminatio (quippe) proprie est manifestatio veritatis, secundum quod habet ordinem ad Deum qui illuminat omnem intellectum...; perversitas autem daemonum hoc habet, quod unus alium non intendit ordinare ad Deum, sed magis ab ordine divino abducere » [23].

439. **De angelorum libertate.** Angelos habere *voluntatem* testantur Scripturae quae loquuntur de gaudio [24] et desiderio [25] bonorum, de tremore [26] et ira [27] malorum; voluntatem vero esse *liberam* patebit ex dicendis de lapsu angelorum, non enim peccat et punitur qui libere non offendit Deum. Hinc PATRES docent angelos esse « naturas ratione, intelligentia et libertate praeditas » [28]: libero arbitrio nobis comparari [29], sicut patet ex eorum lapsu [30]. RATIO confirmat, « ubicumque (enim) est intellectus, est liberum arbitrium [31], et sic patet liberum arbitrium esse in angelis, etiam excellentius quam in hominibus sicut et intellectum » [32].

---

[19] Isai. **8**. 2-3; Zach. **2**. 3 sqq.; Apoc. **7**. 2; 1 Corinth. **13**. 1.

[20] BASIL. hom. super *in principio erat Verbum* n. 3; DIONYS. *De coelest. hier.* c. 7; CHRYS. *in 1 Corinth.* hom. 32 n. 2; GREG. M. *Moral.* II c. 5; DAMASC. *De fide orth.* II c. 3; etc.

[21] S. THOM. 1 p. q. 107 a. 1.

[22] S. THOM. 1 p. q. 106 a. 1.

[23] S. THOM. 1 p. q. 109 a. 3.

[24] Luc. **15**. 7; 10.

[25] 1 Petr. **1**. 12.

[26] Jac. **2**. 19.

[27] Apoc. **12**. 2.

[28] DAMASC. *De fide orth.* II c. 3; GREG. M. *Moral.* V. c. 28; XXV c. 4; PROSP. *De Vita contemp.* I c. 3. Vide alios apud PET. *De Ang.* I c. 11.

[29] GREG. Nyss. in *Orat. Dom.* or. 5.

[30] BASIL. *De Spir. S.* c. 16; AUG. *c. Maxim.* III c. 12; *De Civ. Dei* XXII c. 1; FULG. *De Fide ad Petr.* c. 22.

[31] Supra n. 184, 192.

[32] S. THOM. 1 p. q. 59 a. 3.

440. **Quae angelorum actio in spiritum.** Cum operatio creaturae, non attingat directe rationem τοῦ *esse*, quod in fieri et conservari a solo Deo pendet, nulla creatura potest immediate agere in substantiam : atqui « substantia spiritualis non habet terminos quantitatis, sed tantum essentiae : (ergo) in ipsam non intrat nisi ille qui dat esse, scil. Deus creator, qui habet intrinsecam essentiae operationem » [33] : atqui « non potest aliquid immediate operari ubi non est » [34] : ergo nulla creatura potest immediate agere in spiritum. Et ideo angelus non potest directe movere intellectum alterius angeli, sed solum mediantibus speciebus, quae in illo sunt; et similiter non valet movere directe voluntatem, sed solum mediantibus cogitationibus, quibus *suadet* rem faciendam [35].

441. **Quae angelorum actio in corpus.** Nonnulli aestimarunt angelos posse supplere defectum causarum naturalium, et propria virtute operari ea quae efficiuntur activitatibus corporum; v. g. calefacere sine igne, sine luce illuminare, sine semine plantas et animalia procreare; sed negandum est, siquidem natura duplicem causam ad eumdem effectum formalem non habet [36], nec datur proportio activi et passivi spiritum inter et corpus. Profecto « omne agens agit sibi simile; unde oportet quod id quod est faciens res naturales actu existere per generationem, sit compositum, (et) non forma sine materia, h. e. substantia separata » [37]. Omnis ergo operatio angelica circa corpus reducitur ad motum localem, quo corpora transferunt, conjungunt et dividunt, vel immutant applicando activa passivis [38]. « In effectibus autem hujusmodi producendis ars angeli boni vel mali *efficacior* est et meliores effectus facit quam ars humana; et hoc propter duo... quia virtutes activas et passivas... melius noverunt quam homines, et facilius et celerius applicare possunt ad effectum... (et) quia, cum instrumentum agat non solum in virtute sua, sed in virtute moventis... non est inconveniens ponere quod ipsa corpora naturalia, inquantum sunt mota a spirituali substantia, sortiantur majorem effectum » [39].

---

[33] S. THOM. II *Dist.* 8 q. 1. a. 5 ad 3; 3 p. q. 8 a. 8 ad 1; q. 64 a. 1; *De Verit.* q. 28 a. 2 ad 8.

[34] S. THOM. 3 p. q. 46 a. 1.

[35] S. THOM. 1 p. q. 106 a. 2; *Cg.* III c. 88.

[36] S. THOM. 1 p. q. 71 a. 1 ad 1.

[37] *De Pot.* q. 6 a. 3.

[38] « Substantia separata suo imperio in corpore causat *immediate* motum localem, et eo mediante causat alios motus, quibus mobile acquirit aliquam formam ». S. THOM. *l. c.*

[39] S. THOM. l. c.

CAPUT IV.

De homine.

442. **Capitis divisio.** Quae Deus mirabili varietate in universo orbe distribuerat, breviare quodammodo voluit in homine qui, dictus *terra et coelum* [1], vel *parvus mundus* [2], « habet commune esse cum *lapidibus*, vivere cum *arboribus*, sentire cum *animalibus*, discernere cum *angelis* » [3]. Medius inter bestias et angelos [4], ex spiritu et corpore constitutus [5], homo considerari debet secundum partem visibilem, qua convenit cum brutis, et secundum invisibilem, qua assimilatur angelis, nec silere licet de mirabili unione, qua in ipso opposita elementa in unum coëunt : hinc tractatus de homine quatuor articulis perficitur : 1 *De corpore humano*, — 2 *de operationibus animae humanae*, — 3 *de animae humanae origine et natura*, — 4 *de humano composito*.

Art. 1 - De corpore umano.

443. **De origine corporis Adae.** Corpus Adae transformatione ex inferiori specie non esse derivatum, demonstrabimus in thesi. Quod attinet ad modum efformationis, nota in primis *limum terrae* [1] intelligi sensu vulgari [2] de quibuscumque elementis corporeis ; de illa enim terra sumptus est homo, in quam resolvitur [3], resolvitur autem in plurima elementa corporalia. Porro si de elementorum numero et proportione quaeris, dici potest Deum elegisse quae erant necessaria ad finem vitae [4] et sensationis [5], multaque coniunxisse ut homo, rex mundi, sicut anima est *quodammodo omnia* [6], ita corpore « diceretur *minor mundus*, quia omnes creaturae mundi quodammodo inveniuntur in eo » [7]. Factum est autem corpus Adae a Deo immediate, in instanti, simul cum anima. Factum est *immediate* [8], « quia oportet agens esse simile facto, (unde)

---

[1] Aug. *Retract.* 1 c. 1 n. 3.
[2] Ambr. *De Parad.* c. 10 ; Greg. M. *Moral.* VI c. 8.
[3] Greg. M. *Moral.* VI c. 8.
[4] Aug. *C. Faust. Man.* XXII c. 28.
[5] Conc. Vatic. *Dei Filius* cp. 1.
[1] Gen. **2**. 7.
[2] S. Thom. 1 p. q. 91 a. 1 ad 4.
[3] Gen. **3**. 19.
[4] Supra n. 403.
[5] S. Thom. 1 p. q. 76 a. 5.
[6] Arist. *De Anima* III tex. 37 ; S. Thom. 1 p. q. 14 a. 1 ; q. 16 a. 3 ; q. 80 a. 1 ; etc.
[7] S. Thom. 1 p. q. 91 a. 1.
[8] Agimus de causa *principali* : utrum enim Deus angelico *ministerio* coadunaverit elementa nostri corporis, neque affirmari neque negari potest. S. Thom. 1 p. q. 91 a. 2 ad 1.

non convenit quod forma pura, quae est sine materia, producat formam quae est in materia... Deus autem quamvis omnino sit immaterialis, *solus* est qui sua virtute, materiam producere potest creando. Unde ipsius solius est formam producere in materia absque adminiculo praecedentis formae materialis... Quia igitur corpus humanum numquam formatum fuerat, cujus virtute per viam generationis aliud simile in specie formaretur, necesse fuit quod primum corpus hominis immediate formaretur a Deo » [9]. Factum est *in instanti,* quia « causa quare aliqua mutatio non est in istanti, est distantia ejus quod movetur a termino motus... tota (autem) natura creata subditur divino nutui, ut statim fiat quod Deus vult; quia quidquid est in natura, est materiale, et non contrarium dispositioni divinae; et ideo quae per seipsum facit, potest, cum voluerit, facere in instanti » [10]; fecit autem quia non est ratio cur Deus successive efformaverit; siquidem successio in divino influxu habetur tantum cum Deus « *in nobis* secundum nostrum modum operatur [11]. Factum est *simul cum anima,* quia « contra rationem perfectionis primae institutionis rerum est quod Deus vel corpus sine anima vel animam sine corpore fecerit: cum utrumque sit pars humanae naturae » [12].

444. **De origine corporis Evae.** Evam de Adam esse formatam, demonstrabimus in thesi; convenientia vero talis originis apparet *ex parte speciei,* ut unitas humani generis melius constaret [13]; *ex parte familiae,* ut dependentia mulieris [14] et amore viri [15] consisteret domus; *ex parte conjugii,* ut insinuaretur familiaritas et firmaretur indivisio [16]; *ex parte societatis,* ut mulieres viris non dominarentur, sed in silentio discerent et essent velatae [17]; *ex parte fidei,* ut praefiguraretur redemptio qua de latere Christi morientis fluxerunt sacramenta, quibus est instituta Ecclesia [18]. Quod attinet *ad modum* efformationis dicendum quod fuit divina et immediata operatione [19]; an vero costa, de qua Eva facta est, fuerit *13* debita perfectioni Adae capitis totius speciei [20], vel potius una ex *12,* cui Deus aliam substituerit [21], in medio relinquimus; videtur enim ad sensum potiusquam scientifica locutione ab inspirato auctore factum enarrari.

---

[9] S. THOM. 1 p. q. 91 a. 2.
[10] S. THOM. *IV Dist.* 11 q. 1 a. 3 q. 2.
[11] S. THOM. *l. c.*
[12] S. THOM. 1 p. q. 91 a. 4 ad 3.
[13] Act. **17.** 26; AMBR. *De Parad.* c. 10.
[14] 1 Corinth. **11.** 3 sqq.; Eph. **5.** 22-3.
[15] Eph. **5.** 28-9.
[16] Gen. **2.** 23-4.
[17] 1 Corinth. **11.** 3 sqq.; 1 Tim. **2.** 11.
[18] Eph. **5.** 30-2; CHRYS. *in Joan.* **19.** hom. 84; AUG. *in Joan.* tract. 120 n. 2; S. THOM. 1 p. q. 92 a. 1-3
[19] S. THOM. 1 p. q. 92 a. 4.
[20] S. THOM. *l. c.* a. 3 ad 2.
[21] HUM. *in Gen.* p. 145.

445. **De hominis antiquitate.** Antiquitas humanae familiae cognosci potest *historice* ex chronologia, et *physice* ex palaeontologia: primo modo, praetermissis chronologiis Chaldaicis, Aegyptiis, Indicis et Sinensibus quae, oralibus fere innixae traditionibus, nullam merentur fidem [22], manet chronologia Bibliae ab Adam ad Christum enumerans 4000 an. juxta *tex. haebr.*, 6000 cir. *juxta graec.* [23]. Palaeontologi hominem *tertiarium* non agnoscunt [24], dato autem hominem extitisse secunda epoca glaciali [25], dici potest creationem ejus contigisse circa 8000 a. Ch. [26], quod consentire apparet cum chronologia LXX, si animadvertatur chronologias Scripturae a lacunis non exhorrere [27], neque de numeris haberi omnimodam certitudinem [28].

446. **De praeadamitis et planeticulis.** *Praeadamismus* dupliciter est propositus: aliqui aestimarunt cum PEYRÈRE et WINCHEL [29] Deum in diversis terrae locis creasse homines, qui descendentibus Adami commixti sunt; alii, ut DE VALROGER, MONSABRÉ, FABRE d'Envieu [30], cogitarunt de hominibus extinctis ante hexaemerum Moysis, vel saltem ante Adam, a quo humanum genus iterum exordium sumpsit. Primum systema in thesi refutabimus, alterum est infundatum; ex praedictis enim constat hominem apparuisse aetate quaternaria, nec amplius 8000 an. Christum antecessisse. *Stellas* et *planetas* habere incolas opinati sunt FLAMMARION, SECCHI, TONGIORGI, BOUGAUD, MONSABRÉ [31], sed nullis argumentis suadetur, cum *a priori* statui non possit et *a posteriori* ex instrumentorum defectu nequeat probari. Profecto magni sunt coeli,

---

[22] VIGOUROUX *Man. Bibl.* n. 313.

[23] Haec altera, recepta in Martyr. Rom., probabiliter refert antiquiorem lectionem tex hebr. vel ejus explicationem.

[24] Quidam affirmarunt ex inventione quorumdam silicum quae videbantur opera hominum, sed modo ab omnibus rejicitur. Cf. HAMARD *Il Congres. di Blois e l'uomo terziario;* COTTEAU *Resoconto sul Congr. di Blois* in Rivista scientifica 1884; STOPPANI *I Com. della storia della creaz.* p. 335; C. GAFFURI *I precursori dell'uomo* in *Scuola Catt.* Febr. 1895; Gen. 1910.

[25] Hoc etiam plures negant. Cf. MERCALLI *Stor. nat. del regno min.* p. 2 p. 48; REUSCH *La Bibbia e la nat.* v. 2 p. 103.

[26] SOUTHALL *The recent origin of man;* REUSCH *l. c.* v. 2 p. 399; DE NARDAILLAC *Le Problème de la vie* pag. 213; VIGOUROUX *l. c.* n. 276, 312, 317; DE LAPPARENT *Tratt. di Geol.* p. 1115; C. GAFFURI *I precursori dell'uomo* in *Scuola Cattol.* Dic. 1894; A. GEMELLI in *Scuola Catt.* Dic. 1906.

[27] Vol. 1 n. 552; CORNELY *Int. in Sacr. Script.* Diss. IV § 6 n. 2; VIGOUROUX *l. c.* n. 300, 316.

[28] CORNELY *l. c.* Diss. II § 1 n. 3 et 4.

[29] PEYRÈRE *Systema theolog.* n.1655; A. WINCHEL *Praeadamite, or. demons.* 2 apud *Vigouroux* n. 299.

[30] ARCH. BIBL. a. 1884 p. 160; BALLERINI *A. Fogazzaro* etc. c. VI.

[31] Cf. CROSTA *Th. Dog.* II n. 570.

sed quomodo enarrent gloriam Dei, et quae sit eorum relatio ad terram ignoramus. Scripturae de *homine* tantum et de *angelis* loquuntur, nec de planeticularum ad Christum, creationis centrum, quidquam innuunt.

447. **Suntne homines universi filii Noë?** Solutio pendet ab universalitate diluvii. Porro Scriptura docet quod diluvii « aquae praevaluerunt nimis super terram : opertique sunt omnes montes excelsi *sub universo coelo...* consumptaque est *omnis caro... universi homines...* remansit autem *solus Noë, et qui cum eo erant in arca* » [32], « in qua pauci, idest *octo animae,* salvae factae sunt » [33]. Sed Scriptura loquiturne de universalitate *absoluta,* seu potius de *relativa,* quemadmodum in similibus locutionibus nonnumquam contingit? [34] Datur triplex sententia : prima universalitatem diluvii extendit *ad omnes* personas et ad omnia loca [35], altera *ad terram quam homines incoluerant* [36], tertia *ad unam stirpem Seth* [37]. Quaestionem definire non audemus, secundam tamen sententiam tenendam aestimamus; quia si leges physicae [38] et contextus [39] suadent universalitatem relativam quoad *locum,* SCRIPTURA [40] tamen et PATRES [41]

---

[32] Gen. **7**. 19-23.

[33] 1 Petr. **3**. 20.

[34] Cf. CORNELY *Intr. in Sacr. Scrip.* Diss. III § 6 n. 2.

[35] Cf. D'AVINO Enciclop. dell'Eccl. V. *Diluvio;* MOIGNO *Les splendeurs de la Foi.*

[36] PIANCIANI *Cosmogonia naturale comparata col Genesi* app. § 14-5; LAMBERT *Le Déluge mosaïque,* BELLYNCK, SCHOUPPE, NICOLAI, MABILLON etc. apud *Vigouroux* n. 323 qui eis adhaeret; P. SCHANZ *Apol. des Christenthums* 1887 I p. 347.

[37] CUVIER, QUATREFAGES, SCHOEBEL, MOTAIS, OMALIUS d' Halloy, SCHOLZ apud *Vigouroux,* RAMBOUILLET, DUILHÈ, BREITUNG, LE HIR, NEWMAN, KNABENBAUER, SCHANZ, SMITH, SEMERIA, SCHOEPFER, BECK, ZABORSKI apud *Hum.* (*in Gen.* p. 235-256), qui cum his docet posse defendi saltem salva fide.

[38] Undenam erumpere potuerunt 4.600.000.000 Kil. cub. aquae necessaria ut omnes montes terrae operirentur? Quomodo solis 40 diebus ascendere potuerunt ad altissima montia 9000 metr.? Sunt insuper pisces qui in aqua tantum dulci vel in salsa tantum vivere queunt.

[39] Profecto in arca capi non potuerunt omnes species animalium terrae, nec, quae in dissitis regionibus vivebant, illuc pervenire potuerunt.

[40] Gen. **10**. 32; Sap. **10**. 4; **14**. 6; Eccli **44**. 17; Matth. **24**. 37; 1 Petr. **3**. 20; 2 Petr. **2**. 4-9; **3**. 5 sqq.

[41] ORIG. *in Gen.* hom. 2 n. 2-3; *c. Cels.* IV n. 41; JUST. M. *Dial. c. Tryph.;* CYPR. *De Unit. Eccl.* n. 6; HIER. *ad Dam.* ep. 15 n. 2; in *ad Phil.* **5**. 4; *Quaest. hebr. in Gen.* **5**. 25; *Adv. Jov.* I. 17; CHRYS. hom. 6 *in Lazar.; in Gen.* hom. 25; GAUD. Brix. *serm.* 8; THEOD. *Migne* 80. col. 152; OROS. *in Gen.* hom. 2 n. 3; *c. Cels.* IV. 41; AMBR. *De Sacr.* II c. 1 n. 1; AUG. *De catech. rud.* n. 32; *De Civ. Dei* XV. 26; *c. Faust. Manic.* XII. 14; *Quaest. in Heptat.* II; PAUL. Nol. ep. 12 n. 2; PROSP. *De voc. gent.* II. 14; FULG. *De*

clare loquuntur de interitu *omnium hominum*, sola familia Noë excepta [42], videntque in universali ruina typum culpae originalis, quae profecto omnes attingit. Adde Moysen ruinam earum gentium indicare quas nominaverat; omnes autem Adami filios per familiarum stipites signaverat [43].

448. **Undenam stirpium varietates.** Constat homines non solum *usibus, institutis, linguis* ceterisque moralibus proprietatibus distingui, sed etiam physicis, ut *colore, structura calvae, magnitudine cerebri, habitu totius corporis;* et quidem ita, ut in quibusdam individuis uniuscujusque speciei supradictae differentiae magnae appareant [44]. Porro varietatum praecipuae causae habentur *calor* et *humiditas* regionum, *ciborum* qualitas, *labores*, quibus parentes incumbunt, eorumque *mores, regimen, civilizatio*, etc.; si enim etiam nunc, hisce de causis, paullatim immutantur stirpes [45], multo magis mutari debuerunt initio humanitatis; quia « sicut individua initio existentiae sua molliora sunt et impressionibus externis magis exposita, ita etiam universum genus humanum quondam multo tenerius atque flexibilius fuisse putandum est, quam nos nostro tempore id experiri possumus » [46]. Atqui accidentales modificationes organismi atavismo propagantur [47]. Ergo ex praedictis causis extrinsecis et ex atavismo stirpium differentiae sunt explicandae.

Fide ad Pet. n. 37; ISID. *Alleg. ex V. T.* n. 12; DAMASC. hom. in *Sabb. S.* n. 25; BEDA *Hexaem.* II.

[42] BEDA (apud *Vigouroux l. c.*) *de haeresi damnat* eos qui tenent aliquem, puta Mathusala, effugisse mortem.

[43] *Objic. a)* Progenies Noë terram invenit ab aliis occupatam : *b)* in antiquissimis monumentis Aegypti sunt depicti homines, qui saeculis a Noë enumeratis ad illam stirpem venire non potuerunt : *c)* non omnes linguae ad unam possunt reduci : *d)* diluvium ignorant Nigritae. (*Hum.* p. 235-6). *Resp.* Dicendum cum VIGOUROUX *(l. c.)* nos ignorare diluvii *tempus*, quod possumus in eam aetatem remittere quae sufficiat ad explicandam populorum multitudinem, stirpium efformationem, ac linguarum varietatem; Nigritas vero diluvium nescire sufficienter explicatur oblivione, imo imperfecta nostra notitia de historia et de litteris illius populi.

[44] Qua ratione stirpes sint distinguendae non est certum. « BLUMENBACH numeravit *quinque :* caucasicam, mongolicam, aethiopicam, americanam, malaicam. LACÉPEDE et DUMÉRIL assignant *sex*, alii *undecim*, alii *quindecim;* DESMOULINS *sexdecim*, AGASSIZ *indefinitum* numerum vult esse. RETZIUS homines dividit dolichocephalos et brachycephalos; utramque classem iterum dividit in orthognaticos et prognaticos. AEBY stenocephalos distinguit et curocephalos » (TIL. PESCH *Inst. Psych.* n. 175). VIGOUROUX cum etnographicis distinguit *duodecim*. *Manual. Bibl.* I n. 301.

[45] VIGOUROUX *l. c.* n. 303.

[46] TIL. PESCH *l. c.* n. 177.

[47] VIGOUROUX *Man. Bibl.* n. 301 sqq.; MATTIUSSI *L'Evol.* c. 4.

449. **Errores** — **Veritas.** *Immediatam* divinam originem nostri corporis impugnant TRANSFORMISTAE rigidi, quibus accedunt DUILHÈ, CORLUY, LE ROY, MIVART, ZAHM, WASMANN [48], MARTINELLI [49], FOGAZZARO et J. HALLEUX [50] contrariam sententiam uti possibilem hypothesim habentes : *communem* originem ex Adamo negant PRAEADAMITAE [51] et COADAMITAE [52]. **Veritas.** *Immediata* hominis creatio clare effertur in CON. LAT. IV, distinguente efformationem hominis a productione aliarum rerum : « Deus... ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam » [53] : *communis* nostra origo ex Adamo implicite saltem definita est in CON. TRID. universalitatem peccati originalis tribuente *propagini* Adae, quae *ex Adam traxit* culpam baptismo abluendam [54]. Accedit COM. BIBL. inter ea, quae in Gen. historicam veritatem habent, enumerans « peculiarem creationem hominis; formationem primae mulieris ex primo homine; generis humani unitatem » [55].

THES. 47. *Corpus* — 1 *Adami et* — 2 *Evae immediate a Deo processit,* — 3 *totumque genus humanum ab Adamo et Eva ortum duxit.*

450. **Prima pars.** *Corpus Adami immediate a Deo processit.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. *Ex apertis verbis.* Nam *a)* non solum Scriptura nil innuit de mediata origine hominis ex inferiori animali, quod ad ejus humilitatem fovendam aliquando fecisset; sed *b)* Deum inducit ita nova operatione *(faciamus, fecit eos, formavit)*, producentem hominem, ut singula, quae humanam naturam spectant, scil. corpus *(formavit hominem de limo terrae)* et animam *(inspiravit spiraculum vitae)* eorumque unionem *(inspiravit in faciem)* per se fecerit [56]. *c)* Accedit designatio materiae de qua

---

[48] Apud BALLERINI *A Fogazzaro* etc. c. IV; MATTIUSSI *Le Speranze* etc. c. 3 n. 8 et 12.

[49] Apud ARMONIE 10 Sett. 1907.

[50] FOGAZZARO *Per un recente raffronto* etc. p. 83-5 J. HALLEUX in *Revue Neo-Scolastique* aûg. 1909.

[51] Supra n. 446.

[52] MONTON, POUCHET, AGASSIZ apud *Tanquerey* De hom. n. 126.

[53] CONC. LAT. IV *Firmiter;* VATIC. *Dei Filius* cp. 1.

[54] CONC. TRID. Sess. V cn. 3.

[55] COM. BIBL. 30 jun. 1909.

[56] Gen. **1.** 26 - **2.** 7.

Deus hominem efformavit *(de limo terrae)* [57]; ex communi enim usu materia, de qua aliquid fit, intelligitur *proxima,* maxime si, ut in casu, vox ingeminatur. *d)* Tandem si Deus hominem de inferiori viventi traxisset infusione animae intellectivae non fecisset, ut Scriptura dicit, *in animam viventem* [58], sed in *animal rationale;* vitam siquidem jam habuisset. ARGUM. 2 E*x consectariis.* Nam ex origine de terra, homo *nomen* accepit [59], vitae *conditionem* mutuatus est [60], et *finem* desumpsit [61]: atqui ex origine remota, nomen et proprietates rerum non desumuntur: ergo. ARG. 3 *ex formatione Evae.* Nam est contra dignitatem hominis tribuere Adamo originem inferiorem Evae: atqui Eva, ut mox videbimus, immediata operatione Dei est effecta: ergo et Adam [62]. — **Patres** non solum *a)* docent Deum humanum « corpus *e terra effinxisse* » [63], atque ideo hominem esse « *luteum* figmentum » [64], sed *b)* materiam, de qua efformavit, esse docent « *de nihilo omnino* » [65], quaeque ante infusionem animae erat « *inanis imago,* operatione carens et ad nihil utilis » [66]: unde *c)* efformationem corporis humani contradistinguunt ab effectione ceterorum animalium [67], et comparant transubstantiationi eucharisticae [68], inde arguentes possibilitatem resurrectionis, quia difficilius est « ex non existentibus ossibus, nervis et venis... hominem facere... quam... rursus redintegrare » [69]. — **Ratio.** Nam corpus a bestiis progenitum vel fuisset speciei parentum suorum et fuisset ineptum animae rationali, siquidem quaelibet forma praesupponit in materia dispositiones sibi proprias [70]; vel fuisset corpus humanum et tunc a bestiis generari non potuisset, quia generatio est *in similitudinem naturae.* Divino autem interventu corpus humanum ex animali inferioris speciei esse formatum, nec ratione nec fide probatur.

---

[57] Gen. **2.** 7; Ps. **102.** 13-4; Eccli. **17.** 1; Sap. **7.** 1; Isai. **64.** 8; Job. **10.** 6; 8; 9; 1 Corinth. **15.** 47.

[58] Gen. **2.** 7.

[59] אָדָם *(Adam)* est ab אֲדָמָה *(Adama - terra).*

[60] *Primus homo de terra terrenus.* 1 Corinth. **15.** 47.

[61] *Donec reverteris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Gen. **3.** 19.

[62] Hoc argumentum praecipuum habet HUM. *in Gen.* p. 129; licet illud videatur infirmare p. 149 cum admittit possibilitatem explicandi efformationem Evae ex sola prophetica visione.

[63] DAMASC. *De fide orth.* II c. 12.

[64] GREG. Nyss. *De hom. opif.* n. 5.

[65] AUG. *De Civ. Dei* XIV c. 11.

[66] CHRYS. *in Gen.* hom. 12 n. 5.

[67] GREG. M. *Moral.* IX c. 27.

[68] AUG. *De Gen. ad Litt.* VI c. 13.

[69] IREN. *Adv. Haer.* V c. 3 n. 2.

[70] Ex morte patet organizationem non esse *effectum formae,* sed ejus *praesuppositum.*

451. **Secunda pars.** *Corpus Evae immediate a Deo processit.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. *ex apertis verbis.* Nam Scriptura docet quod, creato Adamo, *non inveniebatur adjutor similis ei*[71]; unde Deus, ipso effecto[72], immisit in eum somnum, et tulit costam ejus, quam aedificavit in Evam[73]: atqui haec nullatenus exponi possunt de efformatione corporis Evae per evolutionem animalium: ergo. ARGUM. 2. *Ex consectariis.* Nam ex origine de Adam Eva *nomen* sumpsit[74], ille liceitatem ac convenientiam *matrimonii* intellexit[75], et Apostolus hominis *superioritatem* supra mulierem, *amorem* viri ad uxorem et *typicam rationem* protoparentum ad Christum et ad Ecclesiam deduxit[76]: atqui haec non in symbolica derivatione, sed in vera, reali et physica origine fundantur: ergo. — **Patres** *a)* non solum litterali sensu intelligunt quae sunt scripta de efformatione Evae[77], sed hanc connumerant fundamentalibus fidei doctrinis[78], utpote quae fuit typus efformationis Ecclesiae de latere Christi[79]: *b)* facti autem rationem inveniunt in fine commendandi unitatem et concordiam conjugii, mulieris subjectionem, etc.[80]; atque *c)* ex illo, tamquam ex noto prodigio, contra Judaeos possibilitatem virginei partus B. V. evincunt[81]. — **Ratio** probat corpus Evae non fuisse de bestiis, quia alterius speciei; non fuisse naturaliter de Adam, quia inadaequatum generationis principium; quod autem fuerit de costa Adae, probare non potest, cum a libera Dei voluntate pendiderit; suscepta tamen ex revelatione facti notitia, congruentias plurimas, quas supra[82] exposuimus, adinvenit.

452. **Tertia pars.** *Omnes homines ab Adamo originem ducunt.* Nam **Scriptura** *a)* creationem Adae proponit tamquam effectionem *hominis* per antonomasiam[83], et dicit quod ante Adam

---

[71] Gen. **2**. 20.

[72] *Adam primus formatus est: deinde Heva.* 1 Tim. **2**. 13.

[73] Gen. **2**. 21-2.

[74] *Vocabitur virago* (אִשָּׁה *ischa* = *vira* ab אִישׁ *isch*=*vir*) *quoniam de viro sumpta est.* Gen. **2**. 13.

[75] *Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea... QUAMOBREM relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una.* Gen. **2**. 23-24.

[76] 1 Corinth. **11**. 3 sqq.; Eph. **5**. 23 sqq.; 1 Tim. **2**. 11 sqq.

[77] BASIL. *Hexaem.* hom. 9 n. 1; AUG. *De Gen. ad Litt.* VI n. 10.

[78] HIER. Com. in *ep. ad Philem.*

[79] AUG. *in Joan.* trac. 9 n. 10.

[80] AUG. *De Civ. Dei* XII c. 21.

[81] CYRIL. Hier. *Catech.* 12.

[82] Supra n. 444.

[83] *Faciamus hominem. Gen.* **1**. 26; 27; **2**. 7; 15; Matth. **19**. 4; etc.

homo non erat qui operaretur terram [84], sed ipse fuit *primus* [85], ante creationem Evae *solus* [86], *sine adjutorio simile sibi* [87]. Hinc *b)* omnium gentium genesim deducit usque ad Noë [88] et ad Adam [89], indicansque rationem nominis Evae, eam affirmat *matrem cunctorum viventium* [90]. Tandem *c)* docet quod Deus *fecit ex uno omne genus hominum habitare super universam faciem terrae* [91], et deducit peccatum originale ex Adam, *in quo omnes peccaverunt* [92], quique non minus est omnium hominum pater, quam Christus sit Salvator [93]. **Patres** *a)* affirmant quod « in ipso exordio Adam et Eva *parentes omnium gentium erant* » [94], et *b)* quod omnium hominum origo *ex uno* est desumpta, ut constaret de unitate Dei a quo sumus [95], ut appareret unitas speciei qua convenimus [96], et ut ex consanguineitate, qua vincimur, argumentum haberemus mutui amoris [97] vitaeque socialis [98]. Adde Patres supponere omnium originem ex Adamo in quaestione de peccato originali; derivant enim ex naturali generatione [99]. — **Rationis** congruentiae desumuntur ex linguarum cognatione et ex notitia (utut rudi, confusa et mythologicis erroribus corrupta) diluvii, hexaemeri et protoparentum casus, quae apud omnes gentes est diffusa [100].

453. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** In enarratione creationis Adae et Evae sunt multae circumstantiae metaphoricae, ut plasmatio corporis, insufflatio animae in nares, deambulatio Dei in paradiso, etc.: ergo non de historia agitur sed de symbolo. **Resp.** *Nego consequentiam,* nam metaphorae faciles et obviae non repugnant historiae, sicut metonimia calicis, pro vino in eo contento, sensum proprium verborum consecrationis non impedit. Enarratio Genesis, ut

---

[84] Gen. **2**. 5.

[85] Sap. **10**. 1; 1 Corinth. **15**. 45.

[86] Gen. **2**. 18; Sap. **10**. 1.

[87] Gen. **2**. 18; 20.

[88] Supra n. 447.

[89] Gen. **4-5**.

[90] Gen. **3**. 20. « Verba cujuscumque sint auctoris (Adami vel Moysis), sunt inspirata atque edicunt Adamum et Evam totius generis humani extitisse protoparentes ». HUM. p. 170.

[91] Act. **17**. 26.

[92] Rom. **5**. 12 sqq.

[93] In Rom. **5**. 4 Adam dicitur *forma* seu typus *futuri* (Christi), qui ab Apostolo vocatur *novissimus Adam*. 1 Corinth. **15**. 45.

[94] AUG. *in Joan.* tr. 9 n. 10.

[95] THEOPH. *Ad Autol.* II c. 28.

[96] AMBR. *De Parad.* n. 48; THEOD. *De cur. graec. aff.* serm. 5.

[97] LACT. *De div. inst.* VI c. 10.

[98] AUG. *De bono con.* c. 1.

[99] IREN. *Adv. haer.* V c. 14; TERTUL. *Test. animae christ.* c. 3; CYPR. *epist.* 59; AMBR. *in Luc.* VII c. 15; GREG. Naz. *or.* 25; AUG. *In Gen. opus imp.* IV c. 104; CONC. MILEV. cn. 2; CONC. TRID. *Sess.* V cn. 3 et 4.

[100] Vol. I n. 190.

millies diximus, est *ad sensum*, unde substantia facti potius quam modus enarrationis est retinendus; porro deambulationem Dei intelligimus de theophania.

454. **Objic. 2.** Dicit Apostolus quod in V. T. *omnia in figura contingebant* [101] : atqui figura veritati opponitur [102] : ergo. **Resp.** Imprimis nota Apostolum loqui de Israël et non de prima creatione hominis; *figura* autem apud Apostolum est *typus* qui historicitatem facti, non excludit sed praesupponit [103]. Sicut ergo transitus maris rubri et manna, necnon idololatria, fornicatio, murmuratio et exterminatio Israël, ab Apostolo revocata, sunt facta realia; ita et creatio Adae et Evae, quam Deus assumpsit in signum Christi et Ecclesiae, est factum historicum.

455. **Objic. 3.** Foetus humanus, antequam suscipiat a Deo animam intellectivam, informatur anima vegetativa et sensitiva, quibus plantis et bestiis convenit : ergo non repugnat quod in prima efformatione corpus inferioris speciei, divina virtute suscepta anima intellectiva, ad perfectionem humani corporis sit adductum [104]. **Resp.** *Neg. paritatem.* Nam foetus humanum in sua evolutione non assequitur organizationem plantae et bruti, sed est ens imperfectum quod ex virtute generantis tendit ad humanam naturam : nullo autem modo dari potest animam suum corpus perficere; anima enim non est forma assistens sed informans; haec autem subjectum aptum non constituit sed supponit [105].

456. **Objic. 4.** CAJETANUS historicam veritatem efformationis Evae negavit, et interpretes dissentiunt de costa Adae, ex qua aedificata est Eva : ergo de origine Evae libere disputatur [106]. **Resp.** *Nego consequentiam.* Nam dissensus circa secundarias circumstantias non infirmat consensum de substantia facti; CAJET. vero (qui ceteroquin non negavit originem Evae ex Adamo, sed solum allegorice interpretatus est modum effectionis), ab omnibus improbatur [107].

457. **Objic. 5.** Communi origini ex Adam obstat *a)* magna multiplicatio hominum, *b)* eorum praesentia in dissitis regionibus, *c)* varietas stirpium. **Resp.** *a)* « Si quodlibet par conjugum sex filios gigneret, post 450 annos adessent plus quam 2.000 milliones hominum. Ergo post tot millia annorum certe sine ullo miraculo nunc possunt adesse 1.500 milliones » [108]. Quis ignorat ante Christum ubique viguisse polygamiam,

---

[101] 1 Corinth. **10**. 11.

[102] LOISY apud *Mattiussi* Le Speranze etc. c. 3 n. 9.

[103] Cf. Vol. I n. 516; CORNELY *Int. in Sacr. Script.* Diss. 3 § 3 n. 1; A. CELLINI *Proped. Bib.* III p. 11-2.

[104] HALLEUX *Revue Neo-Scolast.* août 1909.

[105] MATTIUSSI *L'Evoluzione* etc. c. 7; *Le Speranze* etc. c. 3 n. 8 in nota.

[106] MARTINELLI apud *Armonie* 10 settembre 1907.

[107] HUM. *in Gen.* p. 149.

[108] GÜTTLER apud *Pesch* n. 160.

qua celerius multiplicabantur homines? *b)* Dispersio plures causas habere potuit, quarum *una* indicatur a Moyse in confusione linguarum [109]; quomodo vero in Americam filii Sem devenire potuerint, non ignorant qui sciunt Asiam ab America parvo freto Bering in nordicis regionibus dividi. *c)* Porro differentiae stirpium speciem non attingunt, omnes quippe homines anatomica structura corporis, functionibus physiologicis, legibus partus, loquendi et ratiocinandi facultate, sequentibusque consectariis ordinis socialis et moralis conveniunt, atque indefinita foecunditate prolis multiplicantur [110].

ART. 2 - DE OPERATIONE ANIMAE HUMANAE.

458. **Dicendorum ratio.** Cum operationes animae sint nobis magis notae, quam ejus natura, quaestionibus de existentia et de natura animae hanc praemittimus de operationibus, quas independenter a corpore anima exercet, scil. de intellectuali cognitione et de libero arbitrio.

459. **Quid cognitio sensitiva, intellectualis, rationalis.** COGNITIO in sua generica ratione dicit operationem vitalem, qua cognoscens exprimit in se objectum cognitum. Prima objecti interior expressio fit sensatione (COGNITIONE SENSIBILI), qua organa sensoria non solum aliquid patiuntur ab externo objecto, sed illud percipiunt, ut patet ex actibus *fugae* rei nocivae, et *prosecutionis* rei utilis, qui sensibilem cognitionem sequuntur [1]. Sensibilem hanc cognitionem nobis esse cum brutis communem, inde constat quod et illa habent organa sensoria et operantur secundum cognitionem [2]; quare dicebat AUG. quod « irrationalia animalia vivere et *sentire* nemo ambigit » [3]. Sed praeter cognitionem sensibilem, qua externae rerum qualitates percipiuntur, datur in nobis cognitio, qua

---

[109] Gen. **9**. 5-9. De hac linguarum confusione haec tene ex HAGEN *Lex. Bib.* « Divisio linguarum neque primum neque unice dicenda est illo eventu esse effecta; neque opus erit assumere homines usque ad illud tempus locutos esse lingua primitiva. Ipsam vero linguarum divisionem apud homines quae Babylone in turrim aedificandam conspirarunt effectam esse alii dicunt subito ac miraculose, alii paulatim et sine miraculo. Imo sententia proposita est, ibi, si verba bene perpendantur, non esse mentionem de confusione linguarum, verum de confusione sermonum seu consiliorum, ob quam opus sit intermissum ». v. *Lingua*.

[110] PESCH n. 158.

[1] TIL. PESCH *Psychol.* n. 78 et 122; SCHIFFINI *Metaph.* I n. 171 sqq. ubi confutat Rosminium.

[2] TIL. PESCH *l. c.;* SCHIFFINI *Metaph.* I n. 73 sqq.

[3] AUG. *De Lib. Arb.* I c. 29.

res intime scrutantur, qua universalia et spiritualia percipiuntur, qua, abstractione a determinatis formis rerum visibilium, in iisdem circumstantiis valemus diversa concipere et agere [4] : haec cognitio, utpote a materia independens, dicitur *spiritualis* vel INTELLECTUALIS, quippe intelligere etymologice sonat *intus legere* [5]. RATIO non est potentia distincta ab intellectu, sed signat peculiarem modum intelligendi. « *Intelligere* enim est simpliciter veritatem intelligibilem apprehendere ; *ratiocinari* autem est procedere de uno intellecto ad aliud, ad veritatem intelligibilem cognoscendam. Et ideo angeli qui perfecte possident, secundum modum suae naturae, cognitionem intelligibilis veritatis, non habent necesse procedere de uno ad aliud... Homines autem ad intelligibilem veritatem cognoscendam perveniunt procedendo de uno ad aliud... ; et ideo *rationales* dicuntur » [6].

460. **De libertatis indifferentia.** Sicut appetitus sensitivus sequitur sensibilem cognitionem, ita intellectivam sequitur appetitus intellectivus, qui vocatur *voluntas*, re idem cum *libertate* quae notificat ejus indifferentiam [7]. Porro triplex intelligitur indifferentia voluntatis : *objectiva, passiva* et *activa*. Prima respicit intellectum proponentem voluntati objectum tamquam non necessarium in ratione finis, vel medii ad finem : altera dicit capacitatem recipiendi influxum exterioris agentis, quo in actum deducatur : tertia signat perfectionem voluntatis quae habet dominium suae determinationis. Jamvero patet primam et alteram indifferentiam non sufficere ad rationem libertatis ; *objectiva* enim exterior est voluntati, quam connotative tantum respicit ; *passiva* autem convenit omnibus creaturis, prout sunt entia contingentia et potentialia. Ergo propria indifferentia voluntatis est *activa* quae « excludit *determinationem virtutis* ad unum et violentiam causae exterius agentis » [8] ; « hoc (enim) quisque habere in potestate dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit » [9].

461. **De humana libertate.** Humana libertas est triplex [10], scil. *exercitii* (seu *contradictionis*) qua potest agere vel non agere, *specifi-*

[4] S. THOM. *Cg.* II c. 66 ; SCHIFFINI *l. c.* ; TIL. PESCH *Inst. Psychol.* n. 68, 87, 717.

[5] S. THOM. 2-2 q. 8 a. 1.

[6] S. THOM. 1-2 q. 79 a. 8

[7] Supra n. 184.

[8] S. THOM. *Cg.* I c. 68.

[9] AUG. *De Spir. et Litt.* c. 31 ; C. MAZZELLA *De Gratia* n. 88.

[10] Libertas contrarietatis vix a libertate specificationis differt ; hinc communius libertas distinguitur in libertatem *exercitii* et *specificationis*, in qua etiam libertas *contrarietatis* includitur.

cationis qua potest agere uno vel alio modo, et *contrarietatis* qua potest eligere inter bonum et malum [11]. Ne reputes tamen trinam hanc libertatem semper esse in potestate voluntatis, nulla enim potentia est indifferens ad suum objectum primarium: quia ergo voluntas est facultas appetitiva boni, et « in appetibilibus finis est fundamentum et principium eorum quae sunt ad finem...; ideo, quod voluntas *de necessitate vult,* quasi naturali inclinatione in ipsum determinata, est *finis ultimus,* ut beatitudo, et ea quae in ipso includuntur...; ad alia vero non de necessitate determinatur naturali inclinatione, sed propria dispositione, absque necessitate [12]. Jamvero, dum peregrinamur a Domino [13], finis ultimus et media ad ipsum possunt etiam attingi confuse et secundum apparentiam tantum; nunc ergo datur libertas *exercitii* quoad beatitudinem [14], et *specificationis* seu contrarietatis quoad bonum et malum; sed in coelo, ubi Deus intuitive cognoscitur et peccata nequeunt attingi sub ratione medii ordinabilis in finem, amor Dei est necessarius, et peccandi libertas repugnat [15].

462. **Errores - Veritas.** *Cognitionem spiritualem* seu intellectivam denegant MATERIALISTAE, dicentes conceptum, seu verbum mentis, esse effectum virium physicarum (BÜCKNER), vel motum cerebri (HOBBES, FERRIÈRE), vel lumen quoddam phosphore productum (C. VOGT), vel universalis materiae peculiarem circulationem (MOLESCHOTT) [16]: *libertatem* praeter MATERIALISTAS et FATALISTAS [17] nobis subtraxerunt REFORMATORES saec. 16 dicentes originali peccato esse corruptum liberum arbitrium, et JANSENIUS tribuens humanae libertati solam immunitatem a coactione et indiffe-

---

[11] Cum nulla creatura in actum exire possit nisi moveatur a causa prima, indifferentia *exercitii* non est potior proprietas nostrae voluntatis et refunditur in libertatem *contrarietatis,* qua voluntas eligit inter *actum* et *non actum,* quem impedit removendo intellectum a consideratione, cohibendo virtutes motivas, vel aliquo alio modo. S. THOM. *De Malo* q. 2 a. 1 et 2.

[12] S. THOM. *De Verit.* q. 22 a. 5.

[13] 2 Corinth. 5. 6.

[14] S. THOM. 1-2 q. 5 a. 8 ad 2; q. 10 a. 2.

[15] S. THOM. *l. c.* a. 6 in fine.

[16] TIL. PESCH *Inst. Psych.* n. 1188-9 sqq. materialismi patronos dicit SAKIA MUNI Budhistam († 544 a. C.), DEMOCRITUM († saec. 5 a. C.), EPICURUM († 271 a. C.), T. HOBBES († 1679), LOCKE († 1704), D. HUME († 1776), VOLTAIRE († 1780), S. DE CONDILLAC († 1780), A. HELVETIUS († 1771), G. CABANIS († 1808), L. FEUERBACH († 1872), G. VOGT († 1895), MOLESCHOTT († 1893), STRAUSS, RENAN, BÜCKNER, HAECKEL, etc.

[17] MATERIALISTIS actus libertatis nihil aliud est quam configuratio et motus quidam molecularum cerebri qui a rerum externarum influxu determinatur; unde crimina cum LOMBROSO derivant a morbis et anomaliis cerebri. FATALISTAE diversimode explicant vo-

rentiam *passivam* a majori gratiae vel concupiscentiae pondere in alterutram partem inclinandam [18]. **Veritas.** Nostra *cognitio intellectiva* est implicite definita in omnibus Ecclesiae documentis, quae profecto *solo intellectu* percipi possunt, et in doctrina de spiritualitate animae, quae cum ejus intellectualitate convertitur [19]; *libertas* est definita in CONC. TRID.: « S. q. liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; a. s. » [20].

THES. 48. *Homo est — 1 intelligens, ac — 2 vere liber.*

463. **Prima pars.** *Homo est intelligens.* **Scriptura** ex intellectione desumit differentiam inter hominem et bestias [21], via causalitatis ex nostra cognitione divinam probat [22], saepissime loquitur de *mente* [23], atque vanos seu naturali facultate abutentes praedicat, et poenis dignos judicat eos, in quibus non subest *scientia* Dei [24]. **Patres** ex intellectione hominem definiunt dicentes cum ORIG. quod est *animal rationale* [25]. **Ratio** petitur ex natura nostrae cognitionis. Nam cognitio mere sensitiva *a)* non est indifferens ad omnia objecta sed coarctatur ad determinatam speciem formarum [26], *b)* est

---

luntatis determinationem; alii enim repetunt a Deo (HUSS, LUTH., CALV.), alii ab immutabili lege, nomine *fati* expressa (POLYTHEISTAE, PANTHEISTAE), alii a cursu mundi (SPINOZA, cui accedit LEIBNITZ systemate harmoniae praestabilitae), alii a principio intrinseco, h. e. a cognitione intellectus (HERBART, DROBISCH, VOLKMANN, LINDNER) Cf. TIL. PESCH *Psyc.* III n. 1026-7.

[18] Apud MAZZELLA n. 560 sqq. *NB.* His quadantenus accedunt AUGUSTINENSES libertatem reponentes in indifferentia judicii (*l. c.* n. 600 sqq.), et THOMISTAE determinationem voluntatis tribuentes praemotioni physicae (*l. c.* n. 629 sqq.).

[19] Spiritualitatem animae infra vindicabimus.

[20] CONC. TRID. sess. 6 cn. 5. Cf. PIUM V prop. 39. 66 *Baji;* INNOC. X prop. 3 *Jansen.*

[21] *Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Ps. **48.** 13.

[22] *Qui plantavit aurem, non audiet? ...Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam?* Ps. **93.** 9-10.

[23] Lev. **26.** 41; Job. **13.** 13; Matth. **22.** 37; Marc. **5** 15; Rom. **7.** 23; et alias saepissime.

[24] Sap. **13** 1 sqq. Supra n. 8.

[25] ORIG., ATHAN., GREG. Nyss. apud *Pesch* n. 116; CHRYS. *Ad pop. Antioch.* hom. 11 n. 2; CYRIL. Alex. *in Joan.* I c. 9; c. 15; AUG. *serm.* 43 (*Super Isai.* **7.** 9) c. 2; etc.

[26] Cum materia non sit proxime disposita ad omnes formas, etiam facultas

de singularibus tantum [27], et *c)* cum non possit perfecte in se ipsam redire, proprios actus non percipit [28] : atqui, ut notat S. THOM., nostra cognitio « *primo*... est omnium formarum corporalium sicut objectorum... *secundo* est universalium... *tertio* intelligit se » : [29] ergo non est sensitiva tantum, sed vere immaterialis seu intellectiva.

464. **Secunda pars.** *Homo etiam post Adae peccatum libertate activae indifferentiae gaudet.* ARGUM. 1. Nam **Scripturae** docent *a)* quod homo ita agit, ut possit non agere et vicissim, *b)* quod determinatio inter bonum et malum est ab ipso homine, *c)* qui inter diversa eligit *d)* secundum consilium *e)* suae voluntatis : atqui ex communi loquendi modo haec exhibent notionem verae libertatis : ergo. PRO. MAJOR. a) *Beatus vir... qui* POTUIT *transgredi, et non est transgressus : facere mala, et* NON FECIT [30]. b) *Ante hominem vita et mors... : quod* PLACUERIT EI, *dabitur illi* [31]. c) *Testes invoco... quod proposuerim vobis vitam et mortem...* ELIGE *ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum* [32]. d) *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu* CONSILII SUI [33]. e) SI VIS *ad vitam ingredi, serva mandata. — Sub te erit appetitus ejus* [34], *et tu* DOMINABERIS *illius. — Non habens necessitatem,* POTESTATEM *autem* HABENS *suae voluntatis* [35]. ARGUM. 2. ex innumeris *praeceptis, pro-*

---

cognoscitiva materialis non est apta ad percipienda omnia materialia, ut patet de coloribus quoad auditum, de sonis quoad gustum, etc. S. THOM. 1 p. q. 14 a. 1.

[27] Nam potentia sensitiva a materia non potest abstrahere, unde formas rerum percipere tantum valet in materia, quae est principium individuationis. Cf. S. THOM. 1 p. q. 86 a. 1 sqq.

[28] Profecto potentia sensitiva est extensa, et, habens partes extra partes, licet possit ad alia se convertere, et ita actus aliarum facultatum cognoscere, non tamen in se ipsam redire valet et suos actus percipere. Cf. SCHIFFINI *Metaph. Spec.* n. 205; TIL. PESCH *Psyc.* 264.

[29] S. THOM. *II Dist.* 19 q. 1 a. 1; 1 p. q. 75 a. 2; *Cg.* II c. 62; etc.

[30] Eccli. **31**. 10; Gen. **22**. 12; etc.

[31] Eccli. **15**. 18; Gen. **23**. 8; Jos. **24**. 15; 1 Par. **13**. 2; Esth. **1**. 19; etc.

[32] Deut. **30**. 19; Jud. **10**. 14; Ps. **83**. 11; etc.; Isai. **65**. 12; Luc. **10**. 42; etc.

[33] Eccli. **15**. 14. Ne dicas *Eccles.* agere de Adamo; revocat enim libertatem Adami ut probet hominem *nunc* posse malum vitare; quare addit : *apposuit* TIBI *aquam et ignem,* etc. Cf. **25**. 1; **32**. 4; Job. **21**. 16; Prov. **31**. 13; Act. **27**. 42; etc.

[34] Pron. *ejus* non ad Abel refertur sed ad *peccatum.* A LAPIDE.

[35] Matth. **19**. 17; Gen. **24**. 58; **43**. 4; Exod. **10**. 3; Jud. **14**. 3; Matth. **19**. 21; etc. — Gen. **4**. 7; Prov. **16**. 32 — 1 Corinth. **7**. 37; Eccle. **5**. 18; Joan. **19**. 10; etc.

hibitionibus, consiliis, etc.; siquidem, ut ait AUG., « sublata libertate, omnis humana vita subvertitur, frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur, nec ulla justitia bonis praemia et malis supplicia constituta sunt » [36]. — **Patres** non solum *a)* libertatis existentiam *testantur,* dicentes cum ATHAN. quod « anima libera est, et sui arbitrii; potest enim ut ad bona se inclinare, ita quoque adversari » [37]: sed libertatem *b) arguunt* e plurimis Scripturis [38]: *c)* eam constituunt *fundamentum moralitatis* [39]; « neque enim Deus necessitatem adducet, ut sis bonus » [40], « et peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summae iniquitatis est et insaniae » [41]: tandem *d)* libertatem habent radicem *legum,* quibus homines reguntur, *praemii* quo boni donantur, et *poenae* qua mali mulctantur [42]. — **Ex ratione.** ARGUM. 1 *ex natura voluntatis.* Nam sicut intellectus, adhaerens primis principiis, non amplectitur omnes conclusiones particulares quae contingenter se habent ad illa; ita voluntas, quae necessitate naturae adhaeret summo bono, non determinatur ad bona particularia, quae ex sese vel ex modo quo apprehenduntur ad illud se habent contingenter. « Sunt, inquit S. THOM., quaedam particularia bona, quae non habent necessariam connexionem ad beatitudinem, quia sine his potest aliquis esse beatus; et hujusmodi bonis voluntas non de necessitate inhaeret. Sunt autem quaedam habentia necessariam connexionem ad beatitudinem, quibus scil. homo Deo inhaeret, in quo solo vera beatitudo consistit: sed tamen, antequam per certitudinem divinae visionis necessitas hujusmodi

---

[36] AUG. *De Civ. Dei* V c. 9.

[37] ATHAN. *Cont. gent.* n. 4; ATHEN. *Apol.;* BASIL. *In Isai.* **1**. 19; CLEM. Alex. *Strom.* I.

[38] IREN. *Adv. Haer.* IV c. 37; CYPR. ep. 55 *ad Cornel.;* AMBR. *in Ps.* **40**; HIER. *C. Pelag.* III n. 12; AUG. *De Grat. et Lib. arb.* c. 2; *De act. cum Felice* II c. 4; etc.

[39] « Si quis, inquit IGNAT. M., pietati studeat, Dei homo est; si vero impie agat quis, diaboli est, non id factus a natura sed a sua ipsius voluntate » (Epist. *ad Magnes.*). Et HIER. *in ps.* **140**: « O infelicissimum humanum genus! qui peccata excusamus dicentes: victus sum a natura: cum in *potestate nostra* sit et *peccare,* et, Domino adjuvante, *non peccare* ».

[40] GREG. Naz. *Carm. de Chr. Pat.* n. 338.

[41] AUG. *De duab. anim.* c. 12 n. 17.

[42] IREN. *Adv. Haer.* IV c. 37; CHRYS. *In Gen.* hom. 22 n. 1; HIER. *C. Jov.* II n. 3; AUG. *De Civ. Dei* V c. 9; *C. Faust.* II c. 5; *De Grat. et Lib. arb.* c. 2; etc. Cf. BELLARM. *De Grat. et Lib. arb.* V c. 24-5; C. MAZZELLA *De Gratia* n. 98.

connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhaeret, nec his quae Dei sunt... Patet ergo quod voluntas non ex necessitate vult quaecumque vult » [43]. ARGUM. 2 *ex notione moralitatis*. Nam moralitas actuum desumitur ex conformitate vel difformitate cum lege quae sit norma agentis : atqui nulla datur norma seu regula agendi, ubi actio ad unum est determinata : ego sine libertate nec lex, nec moralitas dari vel concipi possunt, secundum illud S. THOMAE : « ibi incipit genus morum, ubi primo dominium voluntatis invenitur » [44]. ARGUM. 3 *ex experientia*. Nam conscientia testatur nos physica necessitate non teneri, sed pro lubito agere in ordine physico et morali.

465. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Cognitio intellectiva non pendet a sensu, neque defatigat corpus : atqui constat amentia laborare eos qui cerebro infirmantur, pluribus cognitionibus illos privari qui aliquo sensu carent, et nimio studio capitis dolore nos torqueri : ergo [45]. **Resp.** Anima humana non est forma assistens sed informans ; unde ejus operationes spirituales, licet non exerceantur organis corporeis, intime connectuntur operationibus sensuum externorum et maxime phantasiae quae, si impediantur vel perturbentur, et illae indirecte impediuntur vel perturbantur. Difficultas peccat sophismate *non causa pro causa;* confundit scil. operationem intellectivam cum sensitiva comitante, a qua illa non minus distinguitur quam corpus ab umbra, quae illud sequitur et repraesentat.

466. **Objic. 2.** Si cognitio rei spiritualis manifestaret spiritualitatem intellectus, cognitio rei materialis probaret ejus materialitatem : atqui intellectus noster cognoscit materialia : ergo. **Resp.** Perfectio potentiae non mensuratur objecto infimo sed nobiliori, spiritus autem praestat corpori. Nonne Deus purissimus spiritus materiam in propria specie et natura cognoscit? Ceterum noster intellectus non percipit directe materiam, sed *naturas rerum materialium* quae proprie immateriales sunt, utpote a materia abstractae : corpora vero cognoscit tantum per conversionem ad phantasmata [46].

467. **Objic. 3.** Dicit Scriptura : *Cor regis in manu Domini quocumque voluerit, inclinabit illud* [47] : et iterum : *Non est hominis via ejus · nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos* [48] : indifferentia ergo voluntatis est passiva. **Resp.** Quin Deus physice determinet

---

[43] S. THOM. 1 p. q. 82 a. 2.
[44] S. THOM. *II Dist.* 24 q. 3 a. 2.
[45] MATERIALISTAE passim.
[46] S. THOM. 1 p. q. 84 a. 1 ; 86 a. 1.
[47] Prov. **21**. 1. Apud A LAPIDE in h. l. *tertio*.
[48] Jerem. **10**. 23.

nostram voluntatem, scientia futuribilium et inexhaustis divitiis gratiae suae valet a nostro libero arbitrio obtinere quaecumque vult [49]. Porro in libro Proverbiorum SALOMON loquitur de *providentia* qua Deus vitam et operationem potentium servat et dirigit ut doceat nos in Deo potius quam in homine spem reponere [50]. JEREMIAS vero affirmat quod « non est penes virum... ut semper prospere agat... Sine Dei ope et voluntate homo nihil potest *ad exitum perducere felicem,* etsi quam maxime prudentia sua et viribus utatur » [51].

468. **Objic. 4.** « Cum libero homo peccaret arbitrio, inquit AUG., victore peccato, amissum est liberum arbitrium » [52] : ergo post Adae peccatum non datur vera libertas. **Resp.** Originali peccato liberum arbitrium effreni concupiscentia imminutum est, sed non ablatum. « Quis nostrum, ait idem AUG., dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed *illa quae in Paradiso fuit,* habendi *plenam cum immortalitate justitiam;* propter quod natura humana *divina indiget gratia* » [53].

469. **Objic. 5.** Si voluntas se determinaret ad actum, actus liber non esset a Deo : atqui hoc repugnat rationi primi motoris : ergo. **Resp.** Libertas non importat quod actus liber sit *a sola creatura,* vel quod ipsa propria virtute *in actum exeat,* sed quod, divina motione in actum constituta, ab ipsa sit *specificatio* seu determinatio actus. Deus, ait S. THOM., « omnia movet secundum eorum conditionem; ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate; ex causis contingentibus sequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est *activum* principium *non determinatum* ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinet, sed remanet motus ejus contingens et non necessarius, nisi in his ad quae naturaliter movetur » [54].

ART. 3 - DE ORIGINE ET NATURA ANIMAE HUMANAE.

470. **De tempore infusionis animae nostrae.** Animam intellectivam creari a Deo, cum corpori infunditur, est certum; sed an creetur in primo conceptionis instanti, non item. Ex quibusdam motibus foeti immaturi affirmant communissime moderni physiologi, sed respondetur illos non vitae intellectivae sed vegetativae et sensitivae esse

---

[49] Supra 197 et 204.

[50] AUG., BASIL., GREG. Naz. apud *A Lapide* in h. l.

[51] KNAB. in *h. l.* p. 158-9.

[52] AUG. *Ench.* c. 30.

[53] AUG. *Ad Bonif.* I c. 2.

[54] S. THOM. 1-2 q. 10 a. 4. De his amplius dicetur in tract. *de Gratia.*

signa [1]. Cum in natura non dentur saltus, et forma perfectior imperfectioribus praeparetur, cum S. THOMA opinamus « quod anima praexistit in embryone, a principio quidem *nutritiva,* postmodum autem *sensitiva* et tandem *intellectiva* » [2]. Quod non est intelligendum quasi anima subsequens praecedenti *accedat,* nam materia pluribus formis simul actuari nequit; vel quasi nova perfectione in aliam *convertatur,* formae enim non permutantur sed efficiuntur; verum eo sensu quod una alterae *succedat.* « Cum enim generatio unius sit corruptio alterius, necesse est dicere quod tam in homine, quam in animalibus aliis, quando perfectior forma advenit, fit corruptio prioris; ita tamen quod sequens forma habet quidquid habebat prima et adhuc amplius: et sic per multas generationes et corruptiones pervenitur ad ultimam formam substantialem » [3].

471. **Quae spiritualitas et immortalitas animae humanae.** SPIRITUALITAS dicit independentiam a materia et tanto est perfectior, quo remotior a potentia [4]. Hinc anima nostra spiritualitate est inferior Deo, quia constat essentia et existentia; est inferior angelo, quia ordinatur ad materiam; est tamen spiritualis, quia in *fieri, esse* et *operari* non pendet a materia. Non pendet a materia *in fieri,* quia non educitur de potentia materiae sed creatur; non pendet *in esse,* quia corrupto corpore permanet; non pendet *in operari,* quia habet operationes aliquas (scil. intelligere et velle), quae nullo organo corporeo exercentur. Sicut igitur natans ab aquis capite emergit; sic « anima intellectiva excedit materiae conditionem corporalis, et non est totaliter comprehensa a materia aut ei immersa, sicut aliae formae materiales » [5]. IMMORTALITAS strictissime sumpta dicit *immutabilitatem,* et est proprietas Dei *qui solus habet immortalitatem* [6]; late sumpta significat substantialem *incorruptionem,* competit omni enti spirituali, et vindicatur animae nostrae.

472. **Errores — Veritas.** *Spiritualitatem* animae non solum negaverunt EPICUREI, SADDUCAEI et MATERIALISTAE [7], sed aliqui PATRES qui substantiam pure spiritualem ignorabant, vel Dei pro-

---

[1] MATTIUSSI *Le Speranze* etc. c. 3 n. 8.

[2] S. THOM. 1 p. q. 118 a. 2 ad 2.

[3] S. THOM. 1 p. q. 118 a. 2 ad 2. Cf. MATTIUSSI *L'Evoluzione* etc. c. 7.

[4] Supra n. 73.

[5] S. THOM. *Cg.* II c. 68; 1 p. q. 86 a. 1 ad 4.

[6] Tim. **4.** 16.

[7] De *Sadducaeis* cf. Act. **23.** 8; HERGENR. I p. 71; de *Epicureis* et *Materialistis* TIL. PESCH *Psyc.* 1188; SCHIFFINI *Metaph. Spec.* I n. 208-10.

priam aestimabant [8]. *Immortalitatem* cum MATERIALISTIS negavit pro non baptizatis DODWEL Calvinista [9]: esse nobis *ignotam* dixerunt POSITIVISTAE et MODERNISTAE [10]: non posse *naturaliter demonstrari* SCOTISTAE [11]. *Creationem* animae negaverunt EMANATISTAE [12], TRADUCIANISTAE [13] et REALISTAE [14]. *Immediatam infusionem* animae in corpus impugnarunt PRAEEXISTENTIANISTAE [15], somniantes animas a Deo initio mundi esse conditas, et in peccatorum poenam in corpora immitti. **Veritas.** *Spiritualitas* animae continetur in CONC. LAT. IV, quo docemur hominem *spiritu* et *corpore* constare [16]; animae *immortalitas* definita est in CONC. LAT. V [17]; *traducianismus* haereticus judicatur a S. THOMA [18]; *tran-*

---

[8] Supra n. 435.

[9] Apud TEPE II n. 728.

[10] De *Positivistis* cf. H. MAZZELLA I n. 628; e *Modernistis* RENZI in *Coenobium* 1 Nov. 1906 docet immortalitatem esse notionem *aprioristicam*.

[11] Apud SCHIFFINI *Metaph Spec.* I n. 238.

[12] EMANATISMUS est Pantheismi forma, qua anima dicitur particula Dei: eum docuerunt PYTHAGORAS, STOICI et MANICHAEI.

[13] Ante haeresim Pelagianam *Traducianismum* docuerunt APOLL. et TERTUL.; post Pelagianos, qui creationem animae invocabant contra dogma de peccato originali, nonnulli Patres occidentales, inter quos enumerantur a *Palm.* p. 256-9 AUG., FULG., EUCHER., CASSIOD., GREG. M., ISIDOR. hisp., eidem adhaeserunt. His addendi sunt KLEE et GÜNTHER (apud *C. Mazzella* n. 553-4) reputantes parentes instrumentum Dei pro effectione animae; ROSMINI (*Decret. Post. Obit.* pr. 20-1) et TRANSFORMISTAE (supra 393) dicentes nos a parentibus mutuari animam sensitivam, quae apparitione *Entis*, vel divina virtute, transit in intellectivam.

[14] REALISMUS similitudinem cum identitate confundens, unam agnoscit animam, quae ope parentum pluribus donatur corporibus: docuerunt e recentioribus GÜNTHERIANI apud *Schiffini* Metaph. Spec. n. 245.

[15] *Praeexistentiam* animarum primitus docuerunt PYTHAGORAS et PLATO (apud *Hergenr.* I p. 52,56), secuti autem sunt PHILO, ORIGENES (l. c. 77, 223), MANICHAEI, PRISCILLIANISTAE (apud *Pesch* n. 149), et dein LEIBNITZ, WOLF, SCHELLING (apud *Til. Pesch* Psyc. n. 316).

[16] « Credimus... unum universorum principium... qui de nihilo condidit creaturam... humanam, quasi communem ex *spiritu* et corpore constitutam ». CONC. LAT. IV *c. Firmiter.* Cf. Cp. 3 act. 11 quo definivit « Verbum assumpsisse carnem et *animam rationalem atque incorpoream* »; CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 1.

[17] « Sacro approbante concilio, damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse ». LEO X in *Conc. V* a. 1513.

[18] S. THOM. 1 p. q. 118 a. 2. Traducianismus sub forma *generationismi*, seu derivationis ab anima patris, proscriptus est a BENED. XII in decret. pro receptione Armenorum; sub forma *creationis per parentes* damnatus est in Froschammer a PIO IX brevi *Gravissimas* a. 1862.

sformismus damnatus est in Rosminio DECR. POST OBITUM [19]: *praeexistentianismum* reprobavit CONC. OECUM. V [20]; *creationismum* docuit LEO IX in profess. fidei proposita *Petro episc. anthiocheno* [21].

THES. 49. *Anima humana, quae est — 1 spiritualis et — 2 immortalis, — 3 a Deo creatur, — 4 cum corporibus infunditur.*

473. **Prima pars.** *Anima humana est spiritualis.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. *ex operationibus.* Nam passim in Scripturis commemorantur *cognitiones, volitiones, peccata* et *virtutes* hominis: atqui haec sunt operationes spirituales, quae a spirituali tantum substantia procedere possunt: ergo. ARGUM. 2 *ex nomine.* Nam anima saepissime dicitur *spiritus* [22]; atqui spiritus sensu proprio exprimit substantiam immaterialem [23]: ergo. — **Patres** contra apollinaristas, qui blasphemabant Christum assumpsisse animam sed non mentem, docent unam esse in homine animam, eamque *spiritualem* [24], *simplicem, immaterialem, incorpoream* [25], *intellectivam, peccandi capacem* [26], *mentem* [27]: tam vero manifestam habebant hanc spiritualitatem, ut constituerent fundamentum immortalitatis ejus: « si

---

[19] « Non repugnat ut anima humana generatione multiplicetur, ita ut concipiatur eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo ad perfectum, nempe ad gradum intellectivum, procedere ». Prop. 20 damn. DECR. *Post. obit.*

[20] « S. q. fabulosam animarum praeexistentiam... asseruerit, a. s. ». CONC. OECUM. V. *C. Orig.* cn. 1. Cf. etiam CONC. BRACAR. I cn. 6, et LAT. V ubi dicitur quod anima « pro corporibus, quibus infunditur, multitudine, singulariter multiplicabilis et *multiplicata* et *multiplicanda* sit »; si enim *multiplicandae* sunt animae, non praeexistunt.

[21] « Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo *creatam*... credo et profiteor ». LEO IX epist. 5 *ad Petr.* Cf. LEON. M. epist. 15 dogm. *ad Turrib.* ubi docet Deum esse *animarum creatorem et corporum.*

[22] Tob. **10.** 9; Job. **9.** 18; **10.** 12; **15.** 13; **17.** 1; Ps. **30.** 6; **74.** 4; **77.** 39; **142.** 4 etc.; Eccli. **7.** 19; Sap. **5.** 3; Ezech. **37.** 5; 6; 8; etc.; Dan. **2.** 1; Matth. **27.** 50; Luc. **1.** 47; **8.** 55; Joan. **11.** 33; Act. **7.** 59; 1 Corinth. **2.** 11; **5** 5; **14.** 14; 2 Corinth. **2.** 13; Gal. **5.** 17; 1 Thess. **5.** 23 et alias saepissime.

[23] Aliquando *spiritus* maxime ab Apostolo dicitur de anima ornata gratia (CORNELY in *1 Corinth.* p. 70), sed quisque videt gratiam supponere substantiam spiritualem.

[24] ATHAN. *De incarnat. c. Apol.* n. 20; EUSEB. *in Luc.* **12.** 24; GENNAD. Mass. *De Eccl. Dogm.* c. 15.

[25] HILAR. *in Ps.* **129.** n. 6; GREG. Nyss. *De resurr.*; CONST. APOST. VI c. 11; DAMASC. *De fide orth.* II c. 12.

[26] CLEM. Alex. *Strom.* V; ATHAN. *De Incarn.* 1 n. 19; GREG. Nyss. *De hom. opif.* c. 15; *Pseud.* GREG. Nyss. *Qui sit ad imaginem et simil.*; AUG. *De haer.* n. 55.

[27] THEOD. *Haer. fab.* V c. 9; EPIPH. *Adv. haer.* 77 n. 23; GREG. Naz. *or.* 35.

(enim) carnalis est anima, cur non una cum corpore moritur et perit? » [28]. — **Ratio** petitur *ex operationibus*. Nam « intellectuale principium, quod dicitur *mens* vel *intellectus*, habet operationem *per se*, cui non communicat corpus. Nihil autem potest *per se* [29] *operari*, nisi quod *per se subsistit*. Non enim est operari nisi entis in actu. Unde eo modo aliquid operatur quo est; propter quod non dicimus quod calor calefacit, sed calidum. Relinquitur igitur animam humanam, quae dicitur intellectus vel mens, esse aliquid incorporeum et subsistens » [30].

474. **Secunda pars.** *Anima humana est immortalis.* Nam **Scripturae** *a)* vitam praesentem appellant *peregrinationem* [31], in qua corpus aggravat animam [32] et quasi in carcere detinet [33] : unde mors *non* est nobis *finis* vitae [34], sed *dormitio* [35] qua justi requiescunt a laboribus suis [36], *iter* [37] quo *pergunt ad patres* [38], ut cum eis constituant aeternum Christi regnum [39], a prophetis praedictum [40]. Hinc *b)* distinguunt finem corporis a fine animae, quippe *revertitur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redit ad Deum, qui dedit illum* [41], quique eum judicabit [42], *reddens unicuique secundum opera ejus* [43]; *ibunt* enim peccatores *in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam* [44]. — **Patres** non solum *a)* loquuntur de aeterno praemio justorum [45] et de inextinguibili igne, quo peccatores cruciabuntur [46]; sed *b)* docent animam mori

---

[28] ATHAN. *De Incar. c. Apoll.* II.

[29] Scil. independenter ab alio comprincipio, puta a corpore.

[30] S. THOM. 1 p. q. 75 a. 2. Paucis : *operatio* sequitur *esse* : atqui aliqua *operatio* animae est independens a corpore : ergo *esse* seu subsistere animae est independens a corpore.

[31] Gen. **47**. 9; 1 Paral. **29**. 15; 2 Corinth. **5**. 6; 8; Hebr. **11**. 3; **13**. 14; 1 Petr. **2**. 11.

[32] Sap. **9**. 15.

[33] Philip. **1**. 11; 23-24.

[34] Sap. **1**. 3 sqq.

[35] Gen. **47**. 30; 2 Reg. **7**. 12; 3 Reg. **11**. 21; Job. **3**. 13; **7**. 21; **14**. 12 etc.; Ps. **3**. 6; Matth. **9**. 24; Joan. **11**. 11; 1 Corinth. **7**. 39; **11**. 30; **15**. 6; 18; 20; 1 Thess. **4**. 13; 2 Petr. **3**. 4; etc.

[36] Apoc. **14**. 13.

[37] Sap. **3**. 3.

[38] Gen. **15**. 15; **25**. 8; 17; **35**. 29; **49**. 32; Deut. **32**. 50; I Mach. **2**. 69; Act. **13**. 36.

[39] Eph. **2**. 5-6.

[40] 2 Reg. **7**. 13; Ps. **88**. 38; Isai. **9**. 7; Dan. **7**. 14; 27; etc.

[41] Eccle. **12**. 7.

[42] Eccle. **11**. 9; Joël. **3**. 2; **25**. 32; Joan. **5**. 22; Hebr. **9**. 27. etc.

[43] Matth. **16**. 26; Rom. **2**. 6; Apoc. **22**. 12.

[44] Matth. **25**. 46.

[45] CLEM. ROM. *1 Corinth.* n. 50; ATHEN. *De ress. mort.* n. 12.

[46] IGNAT. M. *ad Ephes.* n. 16.

tantum mystice privatione gratiae [47], immortalitatemque convenire ei non ex gratia tantum sed naturaliter [48], eaque distingui a corporibus [49]. *c)* Porro rationis argumenta Patres deducunt *ex ejus natura* « flatus est enim vitae » [50] : *ex spiritualitate* siquidem, « quod dissolubile est, plures habet partes... ; quamobrem anima, cum sit simplex, neque ex differentibus constans partibus, non est composita, neque dissolubilis, ideoque corruptionis expers et immortalis » [51] : *ex desiderio* immortalitatis et beatitudinis quod, cum sit naturale, frustrari non debet [52] : *ex similitudine cum Deo,* ad cujus imaginem homo factus, morali incorruptione hujus vitae meretur physicam incorruptionem futurae [53] : *ex mystica unione ad Christum,* si enim anima Christi ad limbum descendit usque ad resurrectionem corporis, etiam discipulorum animae « abibunt in invisibilem locum, definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur » [54]. — **Rationes** desumuntur ex spiritualitate, ex naturali desiderio, ex moralitate operum, et ex communi sententia. *Ex spiritualitate,* nam corruptio *per se* contingit separatione partium compositi, *per accidens* corruptione compositi, cujus partes separatim subsistere nequeunt : atqui anima humana partibus caret, et in *esse* non dependet a composito : ergo neque per se neque per accidens potest corrumpi. *Ex naturali desiderio,* cum enim homo cognoscat bonum abstractum, illimitatum et absolutum, naturaliter appetit *semper esse* et vult bonum ab omni temporis limitatione liberum : atqui desiderium naturale procedit a natura, cujus est manifestatio : ergo anima humana suapte natura est incorruptibilis

---

[47] BASIL. hom. *in mart. Julit.;* AMBR. *in Luc.* **4**. n. 63; AUG. in *Ps.* **7** n. 3.

[48] IREN. *Adv. Haer.* V c. 4; TERTUL. *De test. an.* c. 4-5; LACT. *De div. inst.* VII c. 9. GREG. Nyss. *De anima* n. 6; AMBR. *De bono mort.* c. 9.

[49] ATHEN. *De resur.* c. 15; IREN. *Adv. haer.* V. c. 3; CONST. APOST. VI c. 11; *Ps.* ATHAN. *De inc. c. Apol.* II; *in Matth.* **10**. 28.

[50] Scil. principium essentialiter vivens. IREN. *Adv. haer.* V c. 7; AMBR. *De bono mort.* c. 9; AUG. *De immort. animae* c. 9.

[51] MAXIM. M. apud *Petav.* De angel. I c. 5 n. 7; DAM. *De Fide* II c. 12; CONST. AP. VI. 11 ubi immortalitas conjungitur spiritualitati quasi ejus consectarium.

[52] AUG. *C. Jul.* IV n. 19.

[53] ATHEN. *De resurr. mort.* n. 12.

[54] IREN. *Adv. haer.* V c. 31. Ne concludas tamen beatificam visionem differri ad diem judicii; ut enim maneamus in exemplo, Christus triduo mortis erat in Paradiso.

et immortalis [55]. *Ex moralitate actionum,* nam anima humana, libertate praedita, est capax meriti et demeriti, ac consequenter praemii et poenae : atqui in vita praesenti proportionata praemia non recipit [56], nec recipere potest [57] : ergo cum corpore perire non debet; si autem solutione corporis non corrumpitur, immortalis est, siquidem nulla forma *per se* subjacet corruptioni. *Ex communi consensu.* Etenim non solum monumenta christiana [58], sed etiam ethnica docent quod « terra tenet corpus, nomen lapis, atque animam aër » [59], unde SENECA scribebat : « Quum de animarum aeternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos, aut colentium » [60].

475. **Tertia pars.** *Anima humana non est a parentibus per traducem, sed a Deo creatur.* **Ex Scripturis.** Animam Adami esse creatam manifestum est; Deus enim *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus homo in animam viventem* [61] : etiam nostram creari, HIER. [62] deducit ex his testimoniis : *Spiritus redit ad Deus, qui dedit illum . Qui (Deus) fingit singillatim corda eorum. — Flatum omnem ego feci* [63]; sed post AUG. [64] haec testi-

---

[55] Communius argumentum inde sumitur quod naturale desiderium est *ab auctore naturae,* a quo nihil est frustra : quod proposuimus est magis metaphysicum et ex ipsa natura animae derivatur.

[56] *Omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa aeque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas, et sacrificia contemnenti : sicut bonus, sic et peccator : ut perjurius, ita et ille qui verum dejerat.* Eccle. **9.** 2.

[57] Nam bonum et malum agitur etiam in extremo vitae, cum tempus praemii et poenae in hoc mundo non manet. Accedit quod praemium et poena a legislatore posita, utpote sanctiones, etiam in magnis tentationibus vim habere debent retinendi a violatione legis; non sunt autem talia praemia et poenae hujus vitae.

[58] P. SYST. *Not. Arch.* II p. 1 c. 3 a. 7; p. 2 c. 1 a 1.

[59] Apud P. SYXT. *l. c.* Addi potest cultus defunctorum qui in ipso tempore praehistorico testimonium habet. C. GAFFURI in *Scuola Gen.* 1910.

[60] SENEC. *Epist.* 117. « Omnes, qui ubique sunt, consentiunt esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vita cesserint, (ergo) nobis quoque idem existimandum est ». CIC. apud *Til. Pesch* Psyc. n. 1156.

[61] Gen. **2.** 7. *NB.* Hebr. dicitur *in nares,* quia naribus respiramus, et respiratio est signum vitae.Job. **27.** 3; Isai. **2.** 22.

[62] HIER. in *Eccle.* **12.** 7; *Adv. Joan. Hieros.* n. 22. Consentit A LAPIDE in *Eccle.*

[63] Eccl. **12.** 7; Ps. **32.** 15; Isai. **57.** 16. Cf. Zach. **12.** 1; 2 Mach. **22.** 3; Hebr. **12.** 9.

[64] AUG. *De orig. animae* I c. 14 et sqq.

monia non reputantur convincentia, quia, ut ait BELLARM., « probant quidem animarum omnium conditorem esse Deum, tamen non indicant *modum* quo a Deo sint conditae; utrum per creationem ex nihilo, an per propagationem ex anima primi hominis » [65]. — **Ex Patribus.** Etsi plures, exorta haeresi pelagiana, quae ex creatione animae negabat peccatum originale, in dubium eam voverint [66]; major tamen pars sine ambiguitate docet *a)* animam origine contradistingui a corpore [67], quia « ex nullo homine generantur animae » [68], sed a Deo creantur [69]. *b)* Hoc autem probant ex pluribus *Scripturae testimoniis* [70], ex *analogia* ad creationem animae Adami [71] et Evae [72], ex *spiritualitate et immortalitate* [73]; *c)* tam certam vero habent, ut ex ea illustrent mysterium Incarnationis [74], et oppositam sententiam dicant *ridendam* [75], *erroremque* [76] *contrarium doctrinae Ecclesiae* [77]. — **Ratio** petitur *ex spiritualitate.* Cum (enim) *fieri* sit via ad *esse,* hoc modo competit alicui *fieri,* sicut ei competit *esse*... Anima autem rationalis est forma subsistens... unde ipsi proprie competit *esse* et *fieri* [78]. Et quia non

---

[65] BELLAR. *De amis. grat.* etc. IV c. 11.

[66] AUG. *De animae orig.* IV c. 2; *Retract.* II c. 56; GREG. M. *epist.* 52 *ad Secund.;* FULG. *De praed. et grat.* III c. 18; CASSIOD. *De anim.* III c. 7; ISIDOR. *hisp. De Off. eccles.* II c. 23.

[67] IREN. *Adv. haer.* II c. 33; HILAR. *De Trin.* X n. 20; GREG. Naz. *Carm.* I sect. 2 v. 393. sqq.; CAESAR. *Dialog.* II inter. 102.

[68] AMBR. *De Noë et arca* c. 4 n. 9; HILAR. *l. c.* n. 22; GREG. Naz. *l. c.;* PRUD. *Apol. adv. Ebion.* v. 915 sqq.

[69] CONST. AP. V c. 7; CLEM. Alex. *Strom.* IV. 26; VI. 16; APOLL. *cont. Ruf.* III n. 28; HIER. *epist.* 131 n. 8; *C. Joan. hieros.* n. 22; THEOD. *De cur. graec. aff.* serm. 4 et 5; *Haeret. fab.* V c. 9; LEO M. Epist. 15 Dogmat. *Ad Turr.;* GENNAD. *De Eccl. Dogmat.* c. 14; LEO IX Epist. 5 *ad Petr. episc.*

[70] HIER. *l. c.;* CYRIL. Alex. *epist. 1* ex Zach. **12.** 1; RUF. Syr. *Lib. Fidei* n. 28; LACT. *De opif. Dei* c. 19; THEOD. *Haer. fab.* V c. 9.

[71] *Pseud.* HIER. *epist.* 37 n. 9. Migne 30 c. 261.

[72] AMBR. *De Parad.* c. 20.

[73] « Ex re tenui et incomprehensibili (scil. spirituali), inquit LACT. *De Opif. Dei* c. 19, nihil potest decidere ...nec de mortalibus potest quidquam nisi mortale generari ». Cf. GREG. Naz. *Car.* I sec. 2 v. 392 sqq.

[74] Sicut mater producens corpus generat hominem, ita B. V., cooperando efformationi corporis Christi, genuit Deum. HIL. *De Trin.* X n. 20; CYRIL. Alex. *epist.* 1; *c. Nest.* I c. 4.

[75] HIER. *in Eccl.* **12.** 7.

[76] PRUD. *Apol. c. Ebion.* v. 915.

[77] THEOD. *Haer. fab.* V c. 9.

[78] Accidentia et formae dependentes a materia non dicuntur *fieri* et *esse,* quia operatio, qua producuntur, terminatur directe ad compositum, ex quo partes habent sufficientem rationem existendi.

potest fieri ex materia praejacente, neque corporali, quia sic esset naturae corporeae; neque spirituali, quia sic substantiae spirituales invicem transmutarentur; necesse est dicere quod non fiat nisi per creationem » [79].

476. **Quarta pars.** *Anima creatur cum infunditur.* **Ex Scripturis.** Nam in Gen. creatio Adami effertur ut productio entis novi [80], nobilissimi [81], gratia exornati [82], quod, imago et similitudo Dei [83], erat bonum in se [84] et in sua progenie [85]; post Adae vero peccatum de Esau et Jacob legimus quod ante nativitatem *nihil boni aut mali egerant* [86]: atqui haec pugnant cum systemate praeexistentianismi, ponentis animas, peccatorum causa, in corpora detrudi: ergo. Accedit dogma originalis peccati supponere omnes homines fuisse in virtute Adae: atqui hoc intelligitur, si consequenter ad dispositionem materiae, inductam per parentes, animae creantur a Deo [87]; sed nullo modo explicatur si, praeexistentes, independenter a parentum voluntate corporibus infunduntur: ergo. — **Patres** aperte profitentur « quod anima ante corpus non extitit » [88], contrariam vero sententiam damnant quasi *absurdam et praeposteram cogitationem* [89], *stultam opinionem* [90], *vanam fabulam* [91], *delirium* [92], doctrinam quae *catholica non est* [93], sed est *adversus Ecclesiae dogmata* [94] et *Originis haeresis* [95]. *b)* Porro assertum probant *ex testimonio conscientiae* quae nil refert de vita anteacta, unde dicendum foret quod « animae... in morem grilium torpentes, consopitaeque dormierint » [96]: *ex unitate naturae,* quia « cum unus et idem homo sit, qui corpore et anima constat: unum esse communeque tribuendum ei dicimus existendi principium, ne parte hac seipso prior, altera junior sit et posterior » [97]: *ex honestate desiderii prolis* et *complacentia Dei de creatione hominis* [98], si enim animae in

---

[79] S. THOM. 1 p. q. 90 a. 2.
[80] Gen. **1**. 26.
[81] Gen. **1**. 28.
[82] Eccle. **7**. 8; Eph. **4**. 23.
[83] Gen. **1**. 26-27.
[84] Gen. **1**. 31.
[85] Gen. **1**. 28.
[86] Rom. **9**. 11. Cf. Job. **38**. 7 apud S. THOM. *in Rom.* **9**. lec. 2.
[87] Dicemus agentes de peccato originali.
[88] THEOD. *Haeret fab.* V c. 9; TERTUL. *De anima* c. 9; 15; 25; DAMASC. *De fide orth.* II c. 12.
[89] GREG. Naz. *or.* 37 n. 15.
[90] HIER. *epist.* 126 *ad Marcel.* n. 1.
[91] CYRIL. Alex. *in Joan.* 1 c. 9.
[92] DAMASC. *De fide orth.* II c. 12.
[93] AUG. *De animae orig.* III c. 7.
[94] CYRIL. Alex. *in Joan.* I. 9.
[95] HIER. *Apol.* I n. 22.
[96] HIER. *c. Ruf.* II c. 2.
[97] GREG. Nyss. *De opif. hom.* c. 28.
[98] Prov. **8**. 30.

corpora propter peccata obtruderentur, desiderium prolis esset desiderium de peccato et punitione angelorum, et similiter gaudium de nativitate hominis esset gaudium de re mala [99] : *ex poena mortis* et *gratia resurrectionis,* quia si anima ob peccata fuisset conjuncta corpori, mors non esset poena sed potius praemium, quo de carcere educeretur, et resurrectio foret redditus ad supplicium [100]. — **Ratio.** « Si enim animae naturale est corpori uniri, esse sine corpore est sibi contra naturam, et sine corpore existens non habet suae naturae perfectionem. Non fuit autem conveniens ut Deus ab imperfectis suum opus inchoaret, et ab iis quae sunt praeter naturam ». Quod autem uniri corpori sit naturale animae, constat ex potentiis vegetativis et sensitivis quae solo corpore possunt exerceri, et quia, si non esset ei naturale, foret voluntarium vel violentum : atqui non est voluntarium, quia nulla natura desiderat quod non est sibi naturale, non est violentem, quia violentia supponit culpam, de qua non datur testimonium [101] : ergo. Accedit quod spiritus ejusdem speciei multiplicantur per ordinem ad materiam signatam ; si ergo animae fuissent creatae ante corpora essent diversae speciei, quod obstat unitati humani generis [102].

477. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** *(Contra 1 partem).* Spiritus potest movere corpus, sed operationes vegetativas et sensitivas exercere nequit : atqui anima nostra cum corpore exercet operationes vegetativas et sensitivas : ergo. **Resp.** Forma informans, utut spiritualis mutuatur proprietates formae substantialis quae, cum materia *unum esse* constituens, cum eadem fit *unum principium quo* operationum compositi. Difficultas, si quae est, in eo invenitur quod spiritus possit uniri corpori uti forma substantialis ; hoc autem non praesupponimus, sed demonstramus *a priori* ex natura formae, quae exhibet notionem actus non repugnantem spiritui, et *a posteriori* ex unitate hominis, quam experientia docet ; contra factum autem non valet ratio.

478. **Objic. 2.** *(Contra 2 partem).* Legimus : *Quis novit si spiritus filiorum Adae ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum ?* [103] Ergo immortalitas vel non est, vel non potest probari. **Resp.** ECCLE. immortalitatem animae agnoscere constat ex **12.** 7 ; qui vero sit sensus objecti testimonii dubitatur. HIER. explicat de difficultate agnoscendi differentiam inter animam brutorum et hominum, siquidem

---

[99] CYRIL Alex. *in Joan.* I c. 9.
[100] CYRIL. Alex. *l. c.* in fine.
[101] S. THOM. 1 p. q. 118 a. 3.
[102] S. THOM. *II Dist.* 17 q. 2 a. 2.
[103] Eccle. **3.** 21.

« pronomen *quis* in Scripturis sanctis non pro re impossibili, sed pro re difficili ponitur » [104] : PALMIERI exponit de visione sensitiva, quae negatur [105] : GIETMANN interpretatur de difficultate sciendi an anima salvetur vel damnetur [106] : CORNELY accuratiore versione textus ait Sapientem improbare eos qui *non considerant* differentiam inter animam bestiae quae perit, et hominis quae permanet [107].

479. **Objic. 3.** PATRES immortalitatem dicunt *propriam* Dei, et cum tribuunt animae, loquuntur de immortalitate *gratuita:* ergo anima non est naturaliter immortalis. **Resp.** Patres aliquando loquuntur de immortalitate *perfecta,* cui opponitur quaevis mutatio, et sic « anima dicitur mori, non quia in corpus vel in alteram aliquam substantiam mutatur et vertitur... sed secundum id, quod destitit esse, quod erat » [108] : aliquando loquuntur de immortalitate *essentiali,* quae competit soli Deo, quia « quidquid habet principium, finem etiam habebit, *si ei libuerit,* qui ei, quod initium accepit, ut esset tribuit » [109] : aliquando loquuntur de immortalitate *beata,* et sic profecto est ex gratia quod anima vivat vita immortali [110].

480. **Objic. 4.** Nihil est frustra : atqui anima a corpore separata, phantasmatum expers, non potest intelligere : ergo. **Resp.** Anima separata potest intelligere habitibus scientiae hic acquisitis et speciebus infusis quas, utpote respondentes novae conditioni, recipit a Deo [111]. Porro testimonia Scripturae, quae affirmare videntur inoperositatem alterius vitae [112], non sunt intelligenda sensu absoluto, sed respectivo, prout in altera vita non est tempus merendi [113].

481. **Objic. 5.** *(Contra 3 partem). Cunctae animae..., quae egressae sunt de femore illius* (Jacob)... *sexaginta sex* [114] : ergo animae traduce propagantur. **Resp.** Est *synecdochis* qua totus homo parte designatur, sicut cum dicitur *caro* [115].

---

[104] HIER. com. *in h. l.*

[105] PALMIERI *De Deo Creante* p. 288.

[106] GIETMANN com. in *h. l.* p. 172 sqq.

[107] CORNELY *Intr. in Sacr. Script.* Dis. 5 § 15 n. 5.

[108] AUG. *De Trin.* II c. 9 n. 15; Serm. *De Div.* 75; *c. Max.* c. 12; PROSP. *Epig.* 3; GREG. M. *Moral.* XXV c. 5.

[109] EPIPH. *Haer.* 76; JUSTIN. M.(?) *Quaest. ad orth.* q. 61; AMBR. *De fide* III c. 2; HIER. in ep. *ad Tit.* sub initio; AUG. *De nat. boni* c. 39; DAMASC. *De fide orth.* II c. 3.

[110] JUST. M. *Apol.* I n. 21; IREN. *Adv. haer.* II c. 34 n. 2; AUG. *Enar. in Ps.* **146**. n. 11.

[111] S. THOM. 1 p. q. 75 a. 6 ad 3; q. 89 a. 1 et sqq.; 1-2 q. 5 a. 1 ad 2; q. 67 a. 2; etc.

[112] Eccle. **9**. 5; 10; Ps. **6**. 6; 17; **11**. 9; **12**. 14.

[113] HIER. *in Eccl.* **9**. 10 apud CORNELY *Introd.* etc. *l. c.*

[114] Gen. **46**. 26.

[115] Joan. **1**. 14.

482. **Objic. 6.** Dicit HIER. quod *Tertul., Apoll.* et maxima pars *Occidentalium* autumant animas esse *ex traduce* [116]: ergo Traditionis consensus pro creatione animarum non est. **Resp.** Traditio sufficienter probatur testimonio *Ecclesiae orientalis* [117], quae creationem animae concorditer testatur; HIER. vero hyperbolice loquitur de *Ecclesia occidentali,* siquidem cum ipso HIER. animae creationem affirmant LACT., HILAR. et AMBR. [118]; qui vero pro opposita sententia afferuntur, potius quam negare, dubitant ex difficultate componendi creationem animae cum dogmate peccati originalis. Non itaque aberat Traditio, sed primis temporibus veritas nondum erat clare et instanter proposita.

483. **Objic. 7.** Si Deus crearet animam, esset causa peccati originalis, quo anima in primo instanti conceptionis maculatur: atqui hoc est absurdum: ergo. **Resp.** Haec difficultas, quae magna apparuit AUG., facile solvitur si consideratur peccatum originale non *produci* generatione, sed eam *consequi.* Neque Deus qui creat animam, neque parentes qui generant filium, sunt causa peccati originalis, sed Adam, in quo omnes peccaverunt [119]: a parentibus et a Deo est *natura;* quod autem haec privetur gratia, est *per inobedientiam* Adami, *qua peccatores constituti sunt multi* [120].

484. **Objic. 8.** Homo non generat tantum corpus, sed hominem: ergo etiam animam. **Resp.** Operatio non specificatur ex eo quod de novo fit, sed ex termino qui efficitur; quia ergo terminus generationis est homo, merito homo generare hominem dicitur. Ceterum si homo *effective* non attingit animam quae creatur, eam attingit *dispositive* inducendo in materiam talem dispositionem quae convenit *soli* animae rationali; quare, humano foetu opportune disposito, non posset Deus sine miraculo animae creationem differre [121].

485. **Objic. 9.** *(Contra 4 partem).* Creatio completa est die sexto, etenim Deus *requievit die septimo ab universo opere quod patrarat* [122]: ergo animae amplius non creantur, sed praeexistunt. **Resp.** « Deus dicitur cessasse die septimo, non quidem ab omni opere, cum dicatur *Pater meus usque modo operatur* [123], sed a *novis* rerum generibus et speciebus condendis, quae in operibus primis non aliquo modo praeextiterint. Sic enim animae, quae nunc creantur, praeextiterunt secundum similitudinem speciei in primis operibus, in quibus anima Adae creata fuit » [124].

---

[116] HIER. epist. 126 ad *Marcell.*
[117] Vol. 1 n. 599.
[118] Supra n. 475.
[119] Rom. **5.** 12.
[120] Rom. **5.** 19.
[121] PESCH n. 147.
[122] Gen. **2.** 2.
[123] Joan. **5.** 17.
[124] S. THOM. 1 p. q. 118 a. 3 ad 1.

ART. 4 - DE HUMANO COMPOSITO.

486. **Quid materia prima et forma substantialis.** MATERIA PRIMA dicitur ab ARIST. forma negativa: *neque quid, neque quale, neque quantum, neque aliud eorum quibus ens determinatur* [1]; forma vero positiva: *primum subjectum omnis entis naturalis, ex quo aliquid fit non per accidens, et in quod ultimum, quod interit, abit* [2]: utramque notionem conjungens TIL. PESCH materiam definit: *Entitas realis, substantialis, quae neque est substantia completa, neque accidens, sed est subjectum, ex quo res corporeae fiunt* [3]. FORMA SUBSTANTIALIS est nobilior pars corporis, ad quam materia ordinatur tamquam subjectum, accidentia vero tamquam complementum [4]; ab ARIST. comparatur *figurae* [5], et ex ARIST. et S. THOM. [6] definitur: *Substantia incompleta materiae informativa et constitutiva corporis naturalis per modum actus* [7]. Ex his patet materiam et formam non esse *entia completa,* sed tantum *principia entis,* quorum neutrum per se [8] potest extra corpus existere; ita vero ad invicem cohaerent, ut materia sit *potentia,* forma *actus;* illa sit subjectum ac proinde radix quantitatis, haec origo et fons activitatum quae ex specifica natura entis emanant. Corpora in linea substantiae constitui his duobus principiis essentialibus, demonstratur in philosophia ex mutationibus substantialibus; substantia enim simplex nequit corrumpi vel generari; corpora vero corrumpuntur, ita tamen ut aliquid (scil. materia) maneat sitque subjectum novi entis, quod generatur.

487. **Anima intellectiva est unica forma corporis humani.** Forma substantialis viventis dicitur *anima,* et quia homo vivit triplici vita *vegetativa, sensitiva* et *intellectiva,* saltem ratione in eo distinguendae sunt tres animae: sed distinguunturne etiam *re?* Si agitur de *fieri* hominis, probabilius humanum foetus successive informatur anima *vegetativa, sensitiva* et *intellectiva* [9], sed in *facto esse* anima intellectiva tribuit corpori etiam vitam vegetativam et sensitivam. « Inveniuntur enim rerum species et formae differre ab invicem secundum perfectius et minus perfectum; sicut in rerum ordine animata perfectiora sunt inanimatis, et animalia plantis et ho-

---

[1] ARIST. *Metaph.* VI c. 3, 1029.
[2] ARIST. *Phys.* I c. 9, 193.
[3] TIL. PESCH *Inst. Physic.* n. 214.
[4] S. THOM. 1 p. q. 77 a. 6.
[5] ARIST. *Metaph.* VI c. 3.
[6] ARIST. *Phys.* III c. 2. 202; S. THOM. 1 p. q. 76 a. 4; 77 a. 6.
[7] TIL. PESCH *Inst. Phys.* n. 193; SCHIFFINI *Disp. Metaph.* I n. 21.
[8] Anima nostra extra corpus subsistit, non qua *forma substantialis,* sed qua *spiritualis,* quo modo ratione *sui* subsistit.
[9] Supra n. 470.

mines animalibus brutis; et in singulis horum generum sunt gradus diversi. Et ideo ARIST. [10] assimilat species rerum numeris qui differunt specie secundum additionem vel subtractionem unitatis, et [11] comparat diversas animas speciebus figurarum, quarum una continet aliam, sicut pentagonum continet tetragonum, et excedit. Sic igitur anima intellectiva continet in sua virtute quidquid habet anima sensitiva brutorum et nutritiva plantarum. Sicut ergo superficies, quae habet figuram pentagonam non per aliam figuram est tetragona, et per aliam pentagona, quia superfluet figura tetragona, ex quo in pentagona continetur; ita nec per aliam animam Socrates est homo, et per aliam animal, sed per unam et eamdem » [12].

488. **Atomismus omni caret probabilitate.** Atomistae putant corpora non constare partibus continuis, sed pene infinitis corpusculis invisibilibus invicem separatis, imo valde dissitis, ex quorum motu et dispositione constituuntur phaenomena, quae communiter proprietates corporum audiunt [13]. Porro atomistarum systema in utroque fundamentali principio falsum apparet: qua enim parte negat corpora continuis partibus componi *contradicit experientiae,* siquidem corpora (maxime viventia) perfectis instrumentis examinata, cum meatibus semper aliquarum partium contactum ostenderunt: *contradicit conscientiae,* quia haec testatur sensationem esse unam simul et extensam, quod non esset si partes corporis forent separatae; *contradicit naturae operationis,* quippe inductione et ratione constat non dari actionem in distans, unde si partes nostri corporis essent separatae, motus unius alterae communicari nequiret, dum scimus manus et pedes per nervos a cerebro

---

[10] ARIST. *Metaph.* VIII tex. 10.

[11] ARIST. *De Anima* II tex. 30 et 31.

[12] S. THOM. 1 p. q. 76 a. 3. *NB.* SCOTUS non posuit in homine plures animas, sed aestimavit in omni viventi animam supervenire corpori jam in suo esse constituto alia forma substantiali, quam vocavit *corporeitatis.* Sed hoc nequit admitti, nam « forma substantialis dat esse simpliciter; et ideo per eius adventum dicitur aliquid simpliciter generari; et per ejus recessum simpliciter corrumpi... Si igitur praeter animam intellectivam praeexisteret quaecumque alia forma substiantialis in materia, per quam subjectum animae esset ens actu; sequeretur quod anima non daret esse simpliciter et per consequens quod non esset forma substantialis, et quod per adventum animae non esset generatio simpliciter, sed solum secundum quid: quae sunt manifeste falsa ». S. THOM. *l. c.* a. 4.

[13] *Atomismi* pater fuit DEMOCRITUS, quem ex antiquis secuti sunt EPICURUS et LUCRETIUS dein vero DESCARTES et GASSENDI, ac tandem FEUERBACH, BÜCHNER, WIENER, HAECKEL: his quoad substantiam doctrinae plures e catholicis saeculi elapsi adhaeserunt, ut SECCHI, TONGIORGI, PALMIERI.

moveri : *contradicit unitati animae*, quia una forma unam tantum potest actuare materiam. Qua vero parte atomismus docet corpora esse acervum particularum ejusdem naturae, *contradicit principio operationis*, cum enim operatio sequatur esse, ubi operationes sunt diversae, diversae quoque substantiae sint oportet. Nec refert corpora, quae composita dicuntur, resolvi in simplicia ; hoc enim probat tantum simplicia remanere in composito *virtualiter*, prout materia corporis compositi ex sua origine retinet dispositionem ut, cum compositum resolvitur, primitiva simplicia generentur [14].

489. **De nexu operationum materialium et spiritualium in homine.** Ex unitate animae quae cum corpore sentit, et sine corpore intelligit et vult, sequitur mirabilis illa harmonia et contemperatio virium sensitivarum et spiritualium, quae totius ordinis intellectualis et moralis est fundamentum [15]. Profecto non inaniter animae datur corpus, nec frustra corpus informatur anima. *Corpus* adjuvat intellectum in acquisitione specierum [16] et in quavis actuali cognitione [17], ejusque influxus ad voluntatem usque pervenit [18] : sed e converso, « quia in omnibus potentiis ordinatis, illa potentia, quae respicit finem universalem, movet potentias quae respiciunt fines particulares ;... *voluntas* per modum agentis movet omnes animae potentias ad suos actus, praeter vires naturales vegetativas, quae nostro arbitrio non subduntur » [19]. Non tamen omnes potentiae, quae voluntatis imperio reguntur, pari ratione ab ea dependent. « Anima (enim), inquit S. THOM., dominatur corpori *dispotico principatu*, quia corporis membra in nullo resistere possunt imperio animae ; sed statim ad appetitum animae moventur manus et pedes, et quodlibet membrum quod natum est moveri voluntario motu. Intellectus autem seu ratio dicitur principari irascibili et concupiscibili *politico principatu ;* quia appetitus sensibilis habet aliquid proprium, unde potest reniti imperio rationis. Natus est enim moveri appetitus sensitivus non solum ab aestimativa in aliis animalibus,

---

[14] Haec quaestio proprie philosophica est ; videbis igitur TIL. PESCH *Phil. Nat.* n. 250 sqq. ; SCHIF. *Metaph.* I n. 9 sqq.

[15] Tanta est animae relatio ad corpus, ut hoc quasi animae speculum habeatur ; *ex visu* (enim) *cognoscitur vir... amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.* Eccl. **19**. 27. Cf. S. THOM.. *De Verit.* q. 26 a. 3 ; ad 13.

[16] S. THOM. 1 p. q. 76 a. 5 ; 84 a. 6 ; q. 85 a. 1.

[17] S. THOM. 1. p. q. 84 a. 7 ; q. 86 a. 1.

[18] S. THOM. 1 p. q. 82 a. 4.

[19] S. THOM. 1 p. q. 82 a. 4 ; q. 81 a. 3.

et cogitativa in homine, quam dirigit universalis ratio, sed etiam ab imaginativa et sensu. Unde experimur irascibilem vel concupiscibilem rationi repugnare, per hoc quod sentimus vel imaginamur aliquod delectabile, quod ratio vetat; vel triste quod ratio praecipit » [20].

490. **Supradicti nexus utilia corollaria.** Ex modo dictis de intima relatione operationum sensuum ad intellectum et voluntatem tria corollaria summae utilitatis sequuntur. Primum est necessitas *studii* et *repetitionis* ad discendum; licet enim species intellectivae semel acquisitae maneant; in actum tamen non veniunt si phantasmata, quo sunt inducta in memoriam sensitivam non redeant: porro permanentia phantasmatum obtinetur attenta consideratione et frequenti repetitione, quibus veluti sculpuntur in cerebro; facilitas reditus juvatur eorumdem coordinatione. « Sic ergo ad bene memorandum vel reminiscendum... quatuor documenta utilia addiscere possumus. Quorum primum est ut (quisque) studeat, quae vult retinere in aliquem ordinem deducere. Secundo ut profunde et intente eis mentem apponat. Tertio ut frequenter meditetur secundum ordinem. Quarto ut incipiat reminisci a principio » [21]. Alterum corollarium majoris momenti est necessitas *educationis moralis et religiosae;* hac enim dispositiones physicae ad vitium, quae forte generatione sunt contractae, virtutum exercitio destruuntur vel modificantur [22], bonae vero acquiruntur et firmantur. Tertium est necessitas *vigilantiae* [23] et *poenitentiae* [24] quas Christus et Apostoli saepe commendarunt; illa enim subtrahitur passionibus esca, hac firmatur imperium voluntatis supra sensus; unde sicut disciplina servus eruditur et filius ad obediendum inducitur [25], ita abstinentia et castigationibus in servitutem corpus redigitur [26]. Frustra conqueritur de tentationum vehementia et de propria infirmitate qui, licentiam potentiis omnibus praebens, est vera causa cur objecta in malum inducentia commoveant sensus et perturbent rationem, quique desidia et abnegationis horrore sinit carnem suam spiritui principari. Utique, fidelis Deus non patitur nos tentari supra id quod possumus [27], sed vigilantia et poenitentia sunt praecipua media quae cum divina gratia humanam reddunt tentationem alioquin supra humanam. Qui a solo Deo victoriam expectat,

---

[20] S. THOM. 1 p. q. 81 a. 3 ad 2.

[21] S. THOM. in Arist. *De mem. et rem.* lect. 5.

[22] Cf. quae de effectibus educationis filiorum *degeneratorum,* experientia duce, disserit B. LONGO in *Calend. del Sant. di Pompei* 1898 et sqq.

[23] Matth. **24**. 41; 1 Corinth. **16**. 13; 1 Petr. **5**. 8.

[24] Matth. **16**. 24; Luc. **13**. 3; 1 Corinth. **9**. 27; Gal. **5**. 24; Colos. **3**. 5.

[25] Prov. **13**. 24; **23**. 13; **29**. 15 sqq.; Eccli. **30**. 1; **33**. 25 sqq.

[26] 1 Corinth. **9**. 27.

[27] 1 Corinth. **10**. 13.

toto ccelo errat : non destruet naturae Auctor, ordinem naturae ; « qui fecit te sine te, non te justificat sine te : fecit nescientem, justificat volentem » [28].

491. **De origine sermonis.** Aliud corollarium huius doctrinae est origo sermonis seu complexus verborum quibus mens conceptas ideas ad alios deducit. « Illud, inquit AUG., quod in nobis est rationale... quia naturali quodam vinculo in eorum societate adstringebatur, cum quibus illi erat ratio ipsa communis... vidit esse imponenda rebus *vocabula* i. e. significantes quosdam sonos, ut, quoniam sentire animos suos non poterant, ad eos sibi copulandos *sensu quasi interprete* uteretur. Sed audiri absentium verba non poterant ; ergo illa ratio peperit *litteras,* notatis omnibus oris et linguae sonis atque discretis » [29]. Non itaque cum TRADITIONALISTIS sermonis originem ex divina revelatione deducemus, sed cum PATRIBUS [30], faventibus ARIST. et S. THOMA [31], ex intima natura hominis. Sicut nempe bruta animalia naturaliter manifestant quibusdam signis materialibus sensibiles perceptiones appetitus, timoris, gaudii, doloris, etc. quibus afficiuntur ; ita homines sonis articulatis, proprio intellectu propriaque voluntate electis, patefaciunt suos conceptus [32].

492. **De phrenologia et atavismo.** Phrenologi dicuntur qui facultatum sensitivarum et intellectivarum naturam et vim ex cerebri partibus calvae finitimis repetunt ; et quidem ita ut singulis scientiis specialem partem seu globulum assignent et ex cerebri pondere ingenii aciem et moralium actuum honestatem metiri praesumant [33]. Hos errare constat ex praedictis de spiritualitate animae, necnon experientia quae docet cerebrum hominis minoris esse ponderis quam quorumdam animalium et sapientes aliquando a rudibus vel dementibus cerebro superari [34] : quia tamen una eademque anima est quae sentit, intelligit et vult, et consequenter potentiae sensitivae spiritualibus quodammodo conjunguntur, concedendum est bonam dispositionem corporis juvare intellectualem cognitionem et exercitium virtutum, non secus ac tela et

---

[28] AUG. *De verb. Apost.* serm. 15 (alias *De Script.* 169) n. 13.

[29] AUG. *De ordine* II c. 12 n. 35.

[30] BASIL., GREG. Nyss., AUG. apud *Pesch* n. 214.

[31] ARIST. *De Interpr.* I c. 4 ; S. THOM. *com. in Arist.* l. c. lect, 2 et 6 ; 1-2 q. 7 a. 1 ; *De Pot.* q. 10 a. 1.

[32] Cf. TIL. PESCH *Inst. Psych.* n. 1144-9 ; C. PESCH *De Deo Creante* n. 214-6 ubi explicat quomodo Adam, acceptis a Deo organis aptis ad sonos articulatos, prima verba efformaverit.

[33] *Phrenologiam* proposuit F. J. GALL *suevus* (a. 1792) adjutus ab amico suo SPURZHEIM, quos secuti sunt NOEL, SEILER, HIRSCHFELD, STRUVE, SCHEVE, WITTLICH apud *Til. Pesch* Inst. Psych. n. 672 ; FERRIÈRE, BÜCKNER, MOLESCHOTT apud *Calderoni* II Positiv., Evoluz., Mater. p. 105 sqq.

[34] V. LIVERANI *Esame critico di E. Ferrière* apud *Calderoni* p. 121-2.

penicillum prosunt pictori qui sine illis nec pingere posset; unde « qui sunt melioris tactus, sunt melioris intellectus, cujus signum est quod [35] *molles carne bene aptos mente videmus* » [36]. — Ex principiis phrenologiae sequitur ATAVISMUS, quo operationes filiorum imputantur physicis dispositionibus a parentibus haereditatis quas temporum et locorum usus domesticorumque mores [37] compleverunt vel firmarunt [38]. Atavistas decipi, constat ex praedictis de nostra libertate; fateri tamen oportet quod « complexio corporis est aliqualiter [39] causa passionum animae per modum disponentis » [40]; unde ea quae corporeas dispositiones inducunt, sunt etiam causae disponentes ad vitium et virtutem: atqui dispositiones bonae et malae inducuntur quidem personali operatione, prout « ex multiplicatis actibus generatur quaedam qualitas in potentia passiva et mota, quae nominatur *habitus* » [41], sed pendent etiam a circumstantiis physicis [42] ac moralibus [43] in quibus homo adolescit, et generatione in filios transeunt [44]: ergo atavismo revera inducuntur *dispositiones* aliquae ad vitium vel virtutem. « Si natura sit fortis, inquit S. THOM., etiam aliqua *accidentia individualia* propagantur in filios, pertinentia ad dispositionem naturae, sicut *velocitas corporis, bonitas ingenii et alia hujusmodi* » [45].

493. **De hypnotismo et telepathia.** HYPNOTISMUS est suggestio, seu dominium voluntatis alterius, quae ordinarie inducitur somno lethargico et habet pro effectu visionem occultorum, futurorum praedictionem et indeliberatam ac ineluctabilem executionem mandatorum hypnotizantis *(medii)*: TELEPATHIA est praesentio vel visio eventuum absentium maxime infaustorum. Jamvero facta hypnotismi et telepathiae hetero-

---

[35] ARIST. *De Anima* II tex. 94.

[36] S. THOM. 1 p. q. 76 a. 5; q. 84. a. 7; q. 85 a. 7. Hujusmodi nexum inter cerebrum et intellectum saepe tangit S. THOM., et ex eodem deducit defectum usus rationis in dormientibus, phreneticis et infantibus, qui ex *nimia humiditate cerebri* etiam in statu justitiae originalis non habuissent perfectum usum rationis. 1 p. q. 101 a. 2. Hinc commune adagium : *mens sana in corpore sano.*

[37] Vulgo *l'ambiente.*

[38] BÜCHNER *Forza e materia* c. 20; MOLESCHOTT, A. SANSON, HUXLEY apud *Calderoni* l. c. p. 137 sqq.

[39] Aliquando phantasia ita perturbatur, ut cesset libertas, sed agitur de exceptione, quae ordinarium libertatis usum non infirmat.

[40] S. THOM. *Cg.* II c. 65; 1-2 q. 50 a. 3; 51 a. 1; 77 a. 1; a. 2; *De Malo* q. 3 a 9.

[41] S. THOM. 1-2 q. 51 a. 2.

[42] V. g. *labore, cibo, potu, loco,* etc.

[43] V. g. *scientia, educatione, exemplis* et *occasionibus* bonis vel malis, etc.

[44] Supra n. 408.

[45] S. THOM. 1-2 q. 81 a. 2; *Cg.* II c. 65. Ex atavismo bene intellecto non sequitur negatio mortalitatis actuum humanorum, sed imminutio tantum culpae in degeneratis et necessitas educationis civilis et religiosae, de qua diximus n. 490.

doxi [46] dicunt phaenomena physica vel psychica atque explicant casuali factorum convenientia, vel molecularum cerebri compositione et divisione, vel commercio animarum, vel influxu magnetismi cujusdam animalis seu psychici nobis ignoti, vel vibrationibus cerebri quae, undis quibusdam invisibilibus pervenientes ad cerebrum synchronum, quod scil. sympathia erga alterum afficitur [47], non secus ac telegrahum Marconi, inducunt inespectatas cognitiones [48]. Verum, nisi agatur de simplicioribus factis [49], praedictae explicationes probari nequeunt [50]. Ut enim taceamus de *compositione et divisione* cerebri, quae innititur materialismo saepius improbato [51], et de *casuali convenientia* eventuum, quae factorum multitudine et determinatione [52] evertitur, dicendum est directum *animarum commercium* contradicere experientiae [53] et unioni animae cum corpore, quam sequitur ineluctabilis necessitas agendi per sensus [54]; ceteras vero explicationes non sufficere, apparet ex *improportione* causae [55], ex *di-*

---

[46] *Hypnotismus,* Mesmerismi filius, auctorem habuit FARIA Lusitanum (1814) et ad theoriae dignitatem perductus est a I. BRAID (1843). Ipsum professi sunt WEINHOLD, LIEBEAULT, BERNHEIM, CHARCHOT, RICHER, MOLL, HEINDENHAIN, MORSELLI, (apud *Til. Pesch* Psych. II n. 699 sqq.; *Tanquerey* De Ang. n. 108); eique inter catholicos plus aequo, ut videtur, adhaeserunt TIL. PESCH *Psyc.* II n. 712-3; E. KLÜPPEL *Inst. th. dog.* I § 77 nota 4; STOPPANI in *Corriere della Sera* 30 dic. 1906. A EYMIEU *Revue des Questions scientifiques* Jan. 1910. — *Telepathiam* quasi naturae phaenomenum proposuerunt FLAMMARION, M. MENARD, MAX SIMON, LIÉBEAULT, MACCARIO, quibus accesserunt scriptor REVUE NEO-SCOLASTIQUE 10 an. p. III et L'AMI DU CLERGÉ 7 Jan. 1904 (apud É. MÉRIC *L'imagination et les prodiges* I p. ch. 4-7).

[47] Inde explicant cur telepathia inter parentes et amicos, maxime vero inter matrem et filium locum habeat.

[48] Cf. TIL. PESCH *Phyc.* II n. 712-3; É. MÉRIC *l. c.* c. 6 et passim.

[49] SIMPLICIORA facta *hypnotismi* habentur somnus, fascinatio, et curatio infirmitatum nervorum, hallucinationum, etc.; *telepathiae* vero tristitia, confusa quaedam praesentio mali instantis, etc. MAJORA facta *hypnotismi* sunt visio occultorum *(chiaroveggenza),* locutio linguae ignotae, annuntiatio futurorum, determinatio voluntatis hypnotizati ex solo imperio hypnotizantis, et hoc etiam pro tempore futuro, etc.; *telepathiae* autem visio factorum, somnium de eventu futuro, mortuorum apparitio, etc.

[50] Non dicimus facta simpliciora *certo* esse explicanda ignota aliqua lege physica vel phychica, sed dicimus *non repugnare* hujusmodi explicationes: fatemur tamen facta telepathiae vix posse hoc modo intelligi.

[51] Supra n. 473.

[52] Cf. É. MÉRIC *l. c.* c. 4 n. 3.

[53] Profecto si animae possent invicem communicare, nulla esset necessitas sermonis. Attendas etiam non agi de naturae secreto in futuro reserando; si enim haec facultas adesset, sola reflexione detegeretur, nec peracutos psychologos tot saeculorum effugisset.

[54] Supra n. 489.

[55] Profecto *hypnotismus* inducitur quibusdam signis nullius momenti, ex-

stantia agentis [56], ex *contingentia* effectus [57], et ex manifesto *interventu entis liberi* [58]. Hinc aestimamus praecipua saltem phaenomena hypnotismi et telepathiae deberi operationi angeli boni vel mali [59]. *Posse* sic explicari non est dubium, quia angeli valent mediate et immediate excitare phantasiam ac concupiscentiam, et ita intellectum inducere in cognitionem ac voluntatem inclinare ad operationem [60] : *rationabiliter* vero angelorum interventum agnosci, patet ex eorum conditione, non sunt enim angeli « alieni ab ordine creaturae corporalis, quasi aliud universum constituentes » [61] ; sed, vere pars nostri mundi, corporalia regunt [62], et sive boni [63] sive mali [64], ad media pertinent, quibus divina providentia, *ludens in orbem terrarum* [65], permissive vel efficienter rerum eventus gubernat [66].

494. **Errores — Veritas.** *Animarum multitudinem* in homine antiquitus docuerunt PLATO, PYTHAGORAS, DEMOCRITUS, EPICURUS et PHILO ; saec. 3 MANICHAEI distinguentes inter animam *bonam* et

---

ercetur imperio hypnotizantis qui occulta et futura ignorat, et linguas barbaras non callet. In *telepathia* vero, qui videtur, auditur vel quomodocumque praesentitur, cognitionem determinare non potest quia nondum est (in praevisione), vel mortuus est, vel in agonia constitutus de sui manifestatione non cogitat, vel certe aliter apparet quam velit.

[56] Hypnotismo et telepathia plurima innotescunt facta quae in remotissimis regionibus accidunt quin ex parte objecti cogniti, vel ex parte cognoscentis specialis dispositio vel intensior actus requiratur : in telegrapho Marconi e contra, aucta distantia, vis undarum augenda est.

[57] Effectus physici et phychici sunt *necessarii,* effectus e contra telepathici in iisdem imo et in melioribus conditionibus non contingunt. Quoties amicorum et parentum auxilium, in periculis constituti, magno animi affectu frustra invocamus !

[58] Hoc manifestum est in hypnotismo, in quo omnia a sola voluntate *medii* pendent : in telepathia vero interventus entis rationalis agnoscitur locutione personarum quae apparent et prodigiis, quae comitantur, ut cum magno impetu fenestra domus est aperta et clausa, quin vas aquae ante fenestram positum effusum fuerit (É. MÉRIC *l. c.* ch. 6 n. 9).

[59] Ex interventu angeli boni, et maxime angeli custodis, explicari possunt plura facta telepathiae.

[60] Dicemus agentes de tentatione daemonum.

[61] S. THOM. *De Pot.* q. 3 a. 18 ; 1 p. q. 61 a. 3.

[62] S. THOM. 1 p. q. 110 a. 1.

[63] S. THOM. 1 p. q. 113 a. 6.

[64] S. THOM. 1 p. q. 64 a. 4.

[65] Prov. **8**. 31.

[66] Qui e catholicis facta hypnotismi explicant ignotis legibus phychicis, usum tamen hypnotismi, excepta gravi causa, reprobant quia « ex natura sua est turbatio ordinis psychici a natura instituti, et ex prudentium medicorum judicio semper cum gravi sanitatis nocumento conjuncta est ». TIL. PESCH *l. c.* n. 714.

malam, saec. 4 APOLLINARIS denegans Christo animam *intellectivam,* saec. 14 OCCAM.[67] docens hominem mutuari animam *materialem* a parentibus licet *incorpoream* a Deo accipiat. *Trichotomiam* Apollinaris restaurarunt, saec. 19 GÜNTHER et ACATOLICI quidam ex Apostolo[68], praepostere intellecto, distinguentes inter *animam* principium vitae vegetativae et sensitivae, et *spiritum* seu animam rationalem[69]. *Substantialem compositionem* materiae et formae non agnoverunt qui vel singulis negarunt animam propriam, vel eam fecerunt formam assistentem, aut supervenientem: *primo* modo cum PANTHEISTIS[70] erravit AVERRHOËS, tribuens singulis hominibus animam sensitivam mortalem sed non intellectivam; *altero* decepti sunt CARTESIANI animam facientes motricem corporis, MALEBRANCHE inducens occasionalismum[71], et LEIBNITZ ac WOLFF proponentes systema harmoniae praestabilitae[72]; *tertio* aberrant ATOMISTAE qui, doctrinam CONC. VIEN. aptantes proprio systemati, dicunt cum STORCHENAU, TONGIORI et PALMIERI animam suas vires commiscere corpori ejusque motus determinare[73]. **Veritas.** Hominem duobus tantum constare elementis, corpore scil. et anima intellectiva, definitum est in CONC. OECUM. VIII anathematizante eos qui ponebant *duas animas*[74]: animam vero uniri materiae ut formam substantialem docuit CONC. VIEN.: « Doctrinam omnem seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod *substantia animae* rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit *forma*... reprobamus: definientes quod quisquis deinceps asserere... praesumpserit quod anima rationalis seu intel-

---

[67] Eum secuti sunt P. VENETUS, F. MAIRONUS, A. MIRANDOLANUS et quadantenus BACO DE VERUL., P. GASSENDI et BUFFON.

[68] 1 Corint. **2.** 13; 1 Thess. **5.** 23; Hebr. **4.** 12.

[69] PALMIERI *th.* 26 p. 223 et 769; TIL. PESCH *Inst. Psych.* n. 276-7; C. PESCH *De Deo Creante* n. 113.

[70] Supra n. 6 nota.

[71] Negant creaturis vim agendi, relativas autem corporis et animae operationes explicant simultaneo influxu divinae virtutis. Cf. TIL. PESCH *Phil. Nat.* n. 50 sqq.

[72] Dicunt Deum corporibus copulasse animas quas praescientia vidit elicituras operationes eis proportionatas et synchronas. Cf. ZIGLIARA II. 14 n. 6.

[73] Apud ZIGLIARA *Sum. Philos.* II 14 n. 2 sqq.; TIL. PESCH *Inst. Phys. Nat.* n. 159-60.

[74] CONC. OECUM. VIII cn. 11. Non agi de *duobus animabus intellectivis,* ut quidam dixerunt ad enervandam vim definitionis, sed de una anima *sensitiva* et altera *intellectiva,* constat ex historia et ex erroribus PHOTII, qui praecipue in canone impetitus est.

lectiva non sit *forma* corporis humani *per se* et *essentialiter*, tamquam haereticus sit habendus » [75].

THES. 50. *Homo — 1 constat duplici tantum elemento, scil. corpore et anima intellectiva, quae — 2 corporis est vere et per se forma substantialis.*

495. **Prima pars.** *Homo constat duplici tantum elemento scil. corpore et anima intellectiva.* Nam **Scripturae** *a) duplex* tantum hominis elementum recensent sive creationem enarrent [76], sive ex partibus describant [77], sive mortem [78] et resurrectionem [79] ejus exprimant. Hinc *b)* operationes spirituales non praedicant tantum de *spiritu*, sed etiam de *anima* [80], quae spiritui identificari implicite saltem docent cum promiscue alterutra voce efferunt principium vitae [81], vel eas permutant in parallelismo poëtico [82]. — **Patres** *a)* cum ATHEN. docent quod « hominis natura ex *anima immortali* constat et *corpore...*; unum ex *utroque* est animal quod patitur quaecumque anima patitur et corpus » [83]: *b)* contra Apollinarem negant pluralitatem animarum, siquidem « vera et perfecta anima reapse *unica quaedam* est *intelligens* nulla ex materia constans, sed per sensus naturae illi crassae (corpori) mixta » [84]: unde *c)* cum AUG. hominem definiunt *animal rationale* [85]. — **Ratio** petitur ex

---

[75] CONC. VIEN. app. a Clem. V; PIUS IX *ad Arch. Colon.* 15 Jun. 1857; *ad Episc. Wratisl.* 30 Apr. 1860.

[76] *Inspiravit in faciem ejus* (limi de terra) *spiraculum vitae* (animam), *et factus est homo in animam viventem.* Gen. **2**. 7.

[77] *Nolite timere eos, qui occidunt* corpus, animam *autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et* animam *et* corpus *perdere in gehennam.* Matth. **10**. 28; Job. **10**. 12; Act. **20**. 10.

[78] *Emisit spiritum.* Matth. **27**. 50; Eccle. **12**. 7, etc.

[79] *Ingressus est in ea spiritus, et vixerunt.* Ezech. **37**. 10.

[80] Gen. **23**. 8; 1 Reg. **20**. 4; Ps. **85**. 4; **103**. 1; **138**. 14; Prov. **19**. 2.

[81] Thren. **2**. 12 coll. Bar. **2**. 17; Matth. **27**. 50 coll. Luc. **12**. 20; Luc. **8**. 55 coll. **20**. 10.

[82] Anima *mea desideravit te in nocte: sed et* spiritu *meo de praecordiis meis de mane vigilabo ad te.* Isai. **26**. 9; Luc. **1**. 46-7.

[83] ATHEN. *De resurr.* c. 15; CLEM. Alex. *Strom.* V; TERTUL. *De Poenit.* c. 3; IREN. *Adv. Haer.* V c. 8; METHOD. *De resur.;* Ps. ATHAN. *De Incarn. c. Apol.* I n. 19; II n. 1; AUG. *De Civ. Dei* XIII c. 24 n. 2.

[84] Scil. ipsa anima intellectiva est unica corporis forma. GREG. Nyss. *De opif. hom.* c. 14; EPIPH. *Ad Haer.* 77 n. 23; CYRIL. Alex. *Dial. Quod unus est Christus;* LEO M. *epist. ad Flav.;* GENNAD. Massil. *De Eccl. Dogm.* c. 15; DAMASC. *De fide orth.* XII c. 12; etc.

[85] Supra n. 463.

natura substantiae quae mediis sufficientibus ad propriam operationem provideri debuit; cum igitur anima rationalis in praesenti conditione sine sensatione intelligere nequeat [86], dicendum est suam operationem exordiri sensatione; sensatio autem est actus corporis seu melius compositi ex anima et corpore.

496. **Secunda pars.** *Anima intellectiva est forma substantialis corporis humani.* **Scriptura** et **Patres** aperte non loquuntur de officio animae in humano composito; sufficienter tamen hanc doctrinam innuunt cum nobis exhibent animam *vivificare* corpus eique ita *commisceri*, ut faciat *unum* in natura, sicut Deus et homo in Christo sunt unum in persona [87]; siquidem vera unio substantialis ex duobus entibus completis non resultat, ut probatur in philosophia. Suadetur etiam ex CONC. VIEN. et epistolis PII IX contra Günther; in his enim anima dicitur *forma* quae sua *substantia, immediate, per se* et *essentialiter* unitur corpori; haec enim tempore CONC. VIEN. sensu proprio exprimebant formam substantialem [88].

497. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** *(Contra 1 partem).* APOSTOLUS distinguit animam a spiritu cum opponit hominem *animalem* homini *spiritali* [89], cum enumerat *animam* cum *spiritu* [90], et cum ea conjungit part. *et.* quae multitudinem supponit: ergo. **Resp.** Uti probavimus in thesi, Scriptura « duas tantum partes constitutivas (hominis) cognovit, sed variis nominibus eas designat, sive solam earum

---

[86] Hoc patet *experientia;* qui enim aliquo sensu carent cognitionibus intellectualibus respondentibus privantur, et cum infirmatur caput, impeditur mentis consideratio.

[87] Testimonia dedimus in prima parte.

[88] An in CONC. VIENNENSI fuerit definita doctrina scholastica de materia et forma substantiali dubitatur. ZIGLIARA *De mente Conc. Vien.* et C. MAZZELLA n. 608 sqq. affirmant; PALMIERI p. 769 sqq., PESCH n. 127; TANQUEREY *De Hom.* n. 125 negant. Ni fallimur quaestio huc redit: Voluitne CONC. definire *modum* unionis animae ad corpus, vel solam *immediatam* eorum unionem? Si primum, CONC. et PIUS IX ab usitato nomine *formae substantialis* et *materiae primae* non abstinuissent, diuturnis enim quaestionibus finem imposuissent: ergo alterum tantum intellexerunt, atque dicentes animam esse *per se, vere, immediate* et *essentialiter* (h. e. sua substantia) formam corporis, voluerunt tantum excludere animas intermedias, quae a *Petro de Oliva* et a *Günther* obtrudebantur. Quia tamen quaestio agitata praesupponebat veram *substantialem unionem animae ad corpus,* hanc quoque aestimo indirecte definitam; unde, etsi damnatam non habeam sententiam SCOTI, reprobatum teneo *atomismum* et doctrinam de forma *assistente* et *motrice.*

[89] 1 Corinth. **2.** 14-5; **15.** 44.

[90] 1 Thes. **5.** 23; Hebr. **4.** 12; 2 Mach. **8.** 22.

naturam (*corpus* σῶμα vel *caro* σάρξ; *anima* ψυχή vel *mens* νοῦς vel *spiritus* πνεῦμα), sive earum relationem ad peccatum et ad gratiam consideret » [91]. Apostolus cum opponit animam spiritui, non distinguit duas partes naturae, sed ordinem naturalem a supernaturali, homo quippe *animalis* est qui solam rationem sequitur, *spiritalis* qui divina gratia informatur et a Spiritu S. regitur; cum vero connumerat *animam spiritui* vel distinguit *inadaequate* inter potentias naturales et potentias ornatas gratia [92], vel distinguit *ratione* inter formalitatem principii vitae sensitivae et formalitatem principii vitae intellectivae [93].

498. **Objic. 2.** Etiam PATRES [94] in homine agnoscunt triplex elementum, scil. *corpus, animam* et *mentem* seu *spiritum:* ergo. **Resp.** Simili difficultati eadem responsio: scil. « cum Patres *spiritum* in homine tamquam tertium elementum ejus distinguunt... vel *vim rationalem* propriam hominis vel *donum* intelligunt supernaturalis *sanctificationis,* quorum alterutrum ex contextu testimoniorum dignoscitur [95] ».

499. **Objic. 3.** *(Contra 2 partem)* Si anima esset forma substantialis corporis ea intrinsece constitueretur corpus: atqui hoc repugnat suae spiritualitati: ergo [96]. **Resp.** Spiritus opponitur corpori ratione *existentiae* prout subsistit independenter a corpore, et ratione *essentiae* prout ex materia et forma non coalescit: atqui neutrum repugnat formae spirituali; non primum, quia anima intellectiva non educitur de potentia materiae sed creatur, unde in *fieri, esse* et *operari* a corpore est independens [97]; non alterum, quia nulla forma constat duplici elemento, sed est principium simplex a materia contradistinctum: ergo.

500. **Objic. 4.** PATRES loquuntur de elementis ex quorum *mixtione* resultat corpus humanum [98], et dicunt ex *mixtione* seu *congregatione* vel *adunatione* [99] animae et corporis hominem constitui: atqui in systemate scholastico elementa non commiscentur sed destruuntur; materia vero et forma non coadunantur sed in *unum esse* confluunt: ergo [100]. **Resp.** In unione substantiali elementa commisceri dicuntur, quia ex illis resultat compositum, non quia formaliter remanent incorrupta. Et similiter anima corpori coadunari et commisceri dicitur quia eidem intime conjungitur, quod in systemate scholastico melius comprobatur quam in atomistico.

---

[91] CORNELY *in 1 Corinth.* p. 69.
[92] CHRYS. et S. THOM. in *h. l.*
[93] Cf. PADOVANI *in 1 Thes.* pag. 65; *Ad Hebr.* p. 175.
[94] GREG. Nyss. *De opif. hom.* c. 8; ORIG. *in Rom.* 1. 4; EPHREM *Adv. Scrut.* serm. 18.
[95] PALMIERI p. 240.
[96] PALMIERI *Inst. Phil.* Vol. 2 pag. 381-3; *De Deo Creante* p. 243-4.
[97] Supra n. 471.
[98] DAMASC. *De fide orth.* III c. 16.
[99] GREG. Nyss. or. in *Quid sit ad imag. et simil.* — TERTUL. *De Poenit.* c. 3 — IREN. *Adv. Haer.* V c. 8.
[100] PALMIERI p. 242.

TRACTATUS VII.

DE DEO ELEVANTE

NATURAM

501. **Prologus.** « Solus verus Deus... omnipotenti sua virtute... ad manifestandam perfectionem suam... liberrimo consilio... utramque de nihilo condidit creaturam... angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam » [1]. Haec, quae Conc. Vatic. docet de omnium origine et fine, sufficientem expositionem habuerunt in tractatu *De Deo Creante,* cui nihil esset addendum, si divinum opus intra naturae limites contineretur. Sed ille, qui *dives est in misericordia* [2], rationalibus creaturis largitus est gratiam quae « non solum omnia sidera et omnes coelos, verum etiam omnes angelos supergreditur » [3]. De supernaturali hoc statu agentibus occurrunt quaestiones de elevationis conceptu et de subjecto in quo invenitur, easque solvemus dicentes — 1 *de naturae elevatione in genere,* — 2 *de elevatione angelorum,* necnon — 3 *de elevatione et lapsu humanae naturae.*

CAPUT I.

De naturae elevatione in genere.

502. **Capitis divisio.** De his, quae supernaturalem ordinem integrant, agitur in tractatu de *Gratia,* in praesenti dixisse sufficiat — 1 *de generica ratione ordinis supernaturalis,* et — 2 *de ejus possibilitate.*

Art. 1 - De supernaturalis ordinis notione.

503. **Quid natura et naturale.** Natura est terminus primus et *per se* generationis, qui re non distinguitur ab essentia seu quidditate rei [1]; naturale vero dicitur quod quomodocumque, h. e. *constitutive, consecutive* vel *exigitive,* ad naturam pertinet [2]. Porro ad naturam pertinent *constitutive* partes metaphysicae vel physicae, ut sunt in homine essentia et existentia, animalitas et rationalitas, materia et forma : pertinent *consecutive* ea quae a natura emanant, ut sunt facultates operativae animae [3] et corporis [4] : pertinent *exigitive* ea quae naturae sunt necessaria ut possit *conservari* et *agere*. Haec necessitas latissime patet, siquidem aliquid potest requiri a natura ut *sit* [5] vel ut *bene* sit [6], potest ei convenire ratione *sui* [7] vel in ordine *ad alia* [8], et potest eidem competere in *genere* [9] vel vel in *specie* tantum [10]; unde naturalia reputantur omnia creata vel creabilia, quae cum natura habent convenientiam aliquam seu proportionem [11].

504. **Quid supernaturale.** Supernaturale contra naturale dividitur, exprimitque ea omnia et sola quae naturae non conveniunt *constitutive,* neque *consecutive,* neque *exigitive,* sine quibus proinde natura potest *esse, operari* et *consequi suum finem,* etiam attento influxu aliarum causarum : atqui, recepta voce, bonum, ad quod nullum est jus seu exigentia, dicitur gratuitum seu indebitum : ergo supernaturale est *donum indebitum naturae*. Quod ut recte intelligas, distingue inter debitum *antecedens,* seu *absolutum* et debitum *consequens* seu *secundum quid:* primo modo solus Deus est ens

---

[1] Conc. Vat. *Dei Filius* cp. 1.

[2] Eph. 2. 4.

[3] Aug. *Ad Bonif.* II c. 6 n. 12.

[1] Supra n. 256.

[2] Aliquando dicitur *naturale* quod trahitur origine vel non contradicit naturae, sed illud melius vocatur *originale,* hoc *consentaneum.*

[3] Intellectus et voluntas.

[4] Potentiae vegetativae, sensitivae et activitates corporis.

[5] V. g. cibus et potus ut homo vivat.

[6] V. g. vinum, obsonium, palatium, etc., ut homo honeste vivat.

[7] V. g. conservatio vitae.

[8] V. g. generatio et corruptio.

[9] V. g. in praesenti dispositione organorum aër pro vita.

[10] V. g. *aliquis* cibus, aliquis potus : scil. *haec* animalia, vegetalia, mineralia quibus vescimur, induimur etc., *vel alia* quibus pariter in his vel aliis circumstantiis, vesci, vestiri, etc. possemus.

[11] S. Thom. *Cg.* II c. 29; Palmieri *De Deo Creante* p. 285.

necessarium, nec quidquam debetur creaturis, quae liberrimo Dei consilio sunt effectae [12]; altero aliquid esse potest debitum etiam creaturis ex operatione vel ex conditione naturae [13], prout Deus suae perfectioni debet ut creaturae habeant necessaria ad finem in quem ordinavit.

505. **Quibus donis ordo supernaturalis integretur.** Cum supra naturam non sit nisi Deus, perfecta ratio doni supernaturalis seu indebiti importat quamdam «deificationem (seu) ad Deum, quantum fieri potest, assimilationem et unionem » [14]. Haec unio *a)* ABSOLVITUR *gratia sanctificante* qua anima [15] supra naturalem perfectionem elevatur ut fiat filia Dei [16], *virtutibus infusis* quibus potentiae sic nobilitantur ut, juxta statum [17], fiant proportionatum principium operum salutarium [18], et *donis Spiritus S.* quibus homo fit prompte mobilis ad superandas sub influxu gratiae difficultates quae occurrunt in prosecutione aeternae felicitatis [19]: *b)* PRAEPARATUR multitudine *gratiarum actualium* quibus homo remo-

[12] Hinc bona ipsa temporalia aliquo vero sensu dicuntur gratiae, secundum illud AUG.: « Quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus, nec ita essemus aliquid ut cadaver quod non vivit, aut arbor quae non sentit, aut pecus quae non intelligit, sed homines qui et essemus, et viveremus, et intelligeremus... quia non praecedentibus aliquorum bonorum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata sunt ». *Epis.* 177 n. 7; HIER. *Dial. c. Pelag.* II n. 7; etc.

[13] « Potest intelligi duplex debitum: unum quidem ex merito proveniens..., aliud secundum conditionem naturae... Neutro autem modo dicitur debitum propter hoc quod Deus *creaturae obligetur;* sed potius in quantum creatura debet *subjici Deo,* ut in eo divina ordinatio impleatur; quae quidem est ut talis natura tales conditiones vel proprietates habeat, et quod talia operans talia consequatur: dona igitur naturalia carent primo debito, non autem carent secundo debito. Sed *dona supernaturalia utroque debito carent* ». S. THOM. 1-2 q. 111 a 1 ad 2. Cf. 1 p. q. 21 a. 1 ad 3.

[14] DIONYS. *De Eccl. Hier.* c. 3.

[15] Habitus gratiae dicitur *entitativus,* quia immediate afficit substantiam eamque perficit, siquidem « non ordinatur ad actum, sed ad quoddam esse spirituale, quod in anima facit ». S. THOM. *De Verit.* q. 27 a. 2 ad 7.

[16] *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit; ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* 2 Petr. **1.** 4. *Dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* 1 Joan. **3.** 1.

[17] Gratia in hac vita radicat habitum *fidei* et *spei,* in futura *lumen gloriae.* Quoad virtutes *morales* vide S. THOM. 3 p. q. 7 a. 2 ad 3, cum agit de eorum praesentia in Christo.

[18] Cave tamen ne reputes habitus virtutum *sufficere* ad opera salutaria: sicut potentiae naturales debent divino influxu in actum deduci, ita potentiae elevatae virtutibus, debent moveri gratiis actualibus, ut dicemus in tr. *de Gratia.*

[19] Addi potest *jus ad gratias sufficientes* pro tempore opportuno et *inhabitatio Spiritus S.* de quibus dicetur in tr. de *Gratia.*

vetur a peccatis, et inducitur in cognitionem et amorem Dei, ut, fide ex auditu suscepta, spe in Deum moveatur et caritate justificetur [20]: *c)* CORONATUR beatifica visione qua gloria filiorum Dei manifestatur transformatione animae [21] et glorificatione corporis [22].

506. **Supernaturalis divisio.** Supernaturale aliud est *per essentiam,* aliud *per participationem,* quod in *absolutum* et *secundum quid* dividitur. Supernaturale PER ESSENTIAM est Deus, qui necessario existit et in infinitum excedit *omnes gentes* quae, *quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei* [23]; supernaturale per PARTICIPATIONEM constituitur quibusdam accidentibus [24] seu qualitatibus inhaerentibus creaturis rationalibus [25] quas elevant ad aliquid suscipiendum vel agendum [26] supra naturae capacitatem. Supernaturale ABSOLUTUM *seu quoad substantiam* est donum indebitum cuilibet naturae creatae vel creabili, cui proinde notio supernaturalitatis perfecte convenit: supernaturale SECUNDUM QUID seu *quoad modum* vel etiam *praeternaturale* habetur, cum ratio indebiti non provenit ex excellentia doni, sed vel ex *subjecto* in quo recipitur, ut immortalitas corporis quae naturalis est spiritibus, vel ex *modo* quo efficitur, ut sanitas miraculo acquisita quae entitative non differt a naturali [27].

507. **Quid potentia obedientialis.** Cum actus et potentia sint relativa, notio boni supernaturalis revocat notionem potentiae in qua suscipitur: haec potentia dicitur *obedientialis,* nomen habens a virtute obedientiae qua inferior subditur superiori. « In qualibet creatura, inquit S. THOM., consideratur duplex *potentia passiva:* una quidem per comparationem ad agens naturale; alia vero per comparationem ad

---

[20] Cf. CONC. TRID. Sess. 6 cp. 6.

[21] *Cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* 1 Joan. **3**. 2.

[22] Dicemus in tr. de *Novissimis.*

[23] Isai. **40**. 17.

[24] RIPALDA (apud *C. Mazzella* n. 706) docuit possibilitatem substantiae supernaturalis; sed hoc repugnare videtur, siquidem terminus creationis est *natura,* et supernaturale communi Patrum et theologorum sententia est indebitum cuilibet creaturae creatae et *creabili.*

[25] Cum non intelligatur finis elevationis creaturae irrationalis, earum constitutio in ordine supernaturali repugnare videtur. Cf. S. THOM. 3 p. q. 4 a 1.

[26] *Suscipiendum* vel *agendum,* quia non solum dantur *habitus* supernaturales sed etiam supernaturales *operationes.*

[27] ZIGLIARA (*Proped.* I c. 1 n. 2) *praeternaturale* dicit quod fit *a viribus naturae* praeter vel contra naturae perfectionem, quo modo praeternaturalia dici possunt *monstra* et *anima separata*; sed, ut verum fatear, quae fiunt viribus naturae, naturalia sunt.

agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale : et haec consuevit vocari *potentia obedientiae* in creatura » [28]. QUOAD NATURAM hujus potentiae tene imprimis quod non dicit proportionem entitativam cum respondenti actu, esset enim potentia naturalis; potentia obedientialis exhibet solam *non repugnantiam* suscipiendi influxum divinae virtutis : tene secundo quod ejus notio non absolvitur conceptu mere negativo, denotat enim substantiam creatam ejusque potentias imo specialem earum aptitudinem seu capacitatem ad suscipiendum supernaturalem influxum irrationalibus creaturis repugnantem; unde S. THOM. affirmat quod « rationalis anima *naturaliter* est capax gratiae » [29] : tene tandem quod si potentia obedientialis est primario *passiva,* in quantum dicit capacitatem recipiendi influxum superioris virtutis, secundario est quoque *activa,* quia influxus divinus non est tantum ad producendum habitum, sed etiam ad movendas potentias activas ad actus supernaturales [30].

508. **Errores — Veritas.** *Existentiam* supernaturalium bonorum negarunt PELAGIANI, eorum *gratuitatem* impugnarunt REFORMATORES, BAJUS et JANSENISTAE [31], *cognoscibilitatem* impetiti sunt RATIONALISTAE et MODERNISTAE [32]. **Veritas.** *Existentia* ordinis supernaturalis est vindicata in CON. MILEV. et ARAUS. quibus est definita necessitas gratiae ad bene agendum [33] : *gratuitas* donorum supernaturalium definita est in CONC. TRID. et in decr. PII V, INN. X et PII VI latis contra Bajum, Jansenium et syn. Pistor. quibus statuta est substantialis incorruptio nostrae naturae, cui in statu quoque innocentiae erant indebita dona concessa Adamo et nobis restituta per Christum [34] : *improportio* tandem humanae mentis *ad supernaturales cognitiones* definita est in CONC. VATIC. statuente fidem non teneri « propter intrinsecam rerum veritatem *naturali*

---

[28] S. THOM. 3 p. q. 11 a. 1.

[29] S. THOM. 1-2 q. 113 a. 10; 1 p. q. 48 a. 4. Cf. AUG. *De Praedest. Sanct.* c. 5; SUAREZ *in 1 p.* tom. 3 disp. 43 sect. 4 n. 16.

[30] Sic v. g. intellectus *recipit* lumen gloriae, quo adjuto, *actuali* divino influxu *videt* Deum. Cf. C. MAZZELLA l. c. n. 837.

[31] JANSENIUS. *De statu nat. purae* l. c. 20 distinguebat inter meritum *operum* et *conditionem* naturae : illud removebat a ratione gratiae, hoc affirmabat.

[32] Testimonia dabimus infra.

[33] CONC. MILEV. cn. 3-5; ARAUS. cn. 1-8.

[34] CONC. TRID. sess. 5 cn. 4; sess. 6 cn. 1-3; PIUS V cond. pr. 21, 23, 24, 26 *Baji;* INN. X pr. 2, 4 *Jans.; Pius* VI cond. *Syn. Pist.*

rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis », eosque damnante qui dixerint « sola *interna cujusque experientia* aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere » [35].

THES. 51. *Supernaturale est — 1 donum omnino indebitum naturae, — 2 quod proinde naturae viribus cognosci nequit.*

509. **Prima pars.** *Supernaturale est donum naturae improportionatum seu indebitum.* Nam bona ordinis supernaturalis in **Scripturis** proprio nomine vocantur *gratiae* [36], cujus effectus sunt : *nova creatura* [37], divina *filiatio* [38] seu *adoptio* [39], *haereditas Dei* [40], *consortium divinae naturae* [41], *assimilatio* et quasi transformatio in Deum [42], necnon *visio intuitiva Dei* [43] : atqui *nova* creatura ordinem praecedentis naturae excedit, *gratia* est donum indebitum [44], *filiatio adoptiva* opponitur naturali, *haereditas* jure naturae filiis adoptivis non convenit, *consortium* et *assimilatio* cum natura superiori debita esse nequit, *visio immediata* Dei creaturis non competit : ergo supernaturale est donum indebitum, seu supra omnem exigentiam naturae [45]. — **Patres** bona supernaturalia *a)* cum Scriptura vocant *gratiam* [46], *assimilationem cum Deo* [47], *deificationem* [48], *filiationem adoptivam*, quae « *non ex debito*, sed ex indulgentia tantummodo praestatur » [49], cum *ipsis angelis* sit *indebita* [50]. *b)* Hinc bona super-

---

[35] CONC. VATIC. *Dei Filius* cp. 3; § 3 cn. 3.

[36] Sap. **4**. 15; Luc. **1**. 28; **2**. 40; Joan. **1**. 17; Act. **4**. 33; **10**. 45; Rom. **1**. 7; **5**. 15; 1 Corinth. **1**. 3 etc.

[37] 2 Corinth. **5**. 17; Gal. **6**. 15; Ephes. **2**. 10.

[38] Matth. **5**. 45; Luc. **6**. 35; Joan. **1**. 12; Rom. **8**. 16; 1 Joan. **3**. 1; etc.

[39] Rom. **9**. 4; **8**. 15; 23; Gal. **4**. 5; Ephes. **1**. 3.

[40] Rom. **8**. 17; cf. Gal. **4**. 7; Tit. **3**. 7; 1 Petr. **3**. 22; Jac. 25.

[41] 2 Petr. **1**. 4.

[42] 1 Joan. **3**. 2.

[43] Matth. **5**. 8; 1 Corinth. **13**. 12; Hebr. **12**. 14; 1 Joan. **3**. 2.

[44] « Quid est gratia? gratis data. Quid est gratis data? donata non reddita ». AUG. in *Joan.* tr. 3 n. 9.

[45] Nil refert quod testimonia directe agant de gratia sanctificante et de ejus complemento seu corona in coelo; dona quae respiciunt praeparationem justificationis, exercitium bonorum operum, glorificationem corporis, etc., sunt *media* vel *corollaria* gratiae sanctificantis; media autem *proportionantur* fini et principio, quorum naturam induunt.

[46] BASIL. *in Ps.* **33**; *De Spirit. S.*; AUG. *epist.* 178 *ad Innoc.*; etc.

[47] BASIL. *De Spiritu S.* c. 9.

[48] DIONYS. *De Eccl. Hier.* c. 1 et 3; ATHAN. *De Incarn. Verbi;* CYRIL. in *Joan.* I c. 14; *Dial. de Trin.* III; AUG. *in Ps.* **81** n. 6; DAMASC. *De fide orth.* II c. 12.

[49] CONC. FRANCOFORD.

[50] BASIL. *De Spirit. S.* c. 16; *Adv. Eunom.* III; AMBR. *De Spirit. S.* I c. 7.

naturalia opponunt naturalibus, dicentes quod « perfectio hominis *non ex natura* sed ex gratia provenit » [51], quippe « creatura, cum serva sit, nutu solum et voluntate Patris ad supernaturalia vocatur » [52]. *c)* Eadem bona vocant *adscititia* seu supervenientia naturae [53] quae, sicut a natura non fluunt, ita naturaliter consequi nequeunt [54], sed influxu Spiritus S. acquiruntur [55] et, salva natura, amittuntur [56]. — **Ratio** existentiam ordinis supernaturalis *directe* probare nequit, quia supernaturale aciem mentis creatae aufugit; *indirecte* tamen demonstrare potest quaedam facta et mysteria naturae vim superare [57], atque ex etymologia, juxta praedicta, ostendere quod supernaturale ideam exhibet rei indebitae.

510. **Secunda pars.** *Supernaturale viribus naturae non potest cognosci.* Nam **Scriptura** *a)* opponit veritates ordinis supernaturalis cognitionibus quae habentur ex *carne et sanguine* [58], fidem vocat *argumentum non apparentium* [59], et docet quod *oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quae preparavit Deus diligentibus se* [60]. Hinc *b)* Apostolus veritates fidei non demonstrabat *persuasibilibus humanae sapientiae verbis,* sed ostensione spiritus et virtutis; *animalis* quippe *homo* (qui scil. solis naturae principiis ratiocinatur) [61] *non percepit ea, quae sunt spiritus; Dei* enim *sapientia,* est *in mysterio abscondita,* et illis tantum potest innotescere, quibus *revelavit Deus per Spiritum suum* [62]. — **Patres** docent quod « *nunquam concipietur* natura deifica » [63], siquidem « superat omnem cogitationem et intellectum » [64]. « Quod ei

---

[51] HIER. *Dial. adv. Pelag.;* ATHAN. *C. Arian.* or. 2; IREN. *Adv. haer.* IV c. 20; CYRIL. Hier. *Catech.* 3 n. 14; CYRIL. Alex. in *Joan.* 1 c. 8; GREG. Naz. *Or.* 36; AUG. *C. Maxim.* II c. 15 n. 2.

[52] CYRIL. Alex. in *Joan.* I c. 13; *Thes.* a. 5 et 13.

[53] GREG. Naz. *Or.* 7; *Or.* 36; CYRIL. Alex. in *Joan.* 1 c. 8.

[54] CLEM. Alex. *Strom.* II; PROSP. *Adv. Collet.* c. 25; FULG. *De Incarn. et grat.* c. 24.

[55] BASIL. *De Spir. S.* c. 9 et 16; CYRIL. Hier. *Catech.* 7; ATHAN. *C. Arian.* or. 2 n. 59; AMBR. *De Spir. S.* I c. 7.

[56] « Nihil, inquit CYRIL. Alex. (*Adv. Anthropom.* c. 3), amisimus eorum quae substantialiter nobis insunt...; eos (autem) qui non amplius virtuose ac veluti in sanctitate vivebant, dicimus hanc adeo venerandam et eximiam pulchritudinem amisisse ». Cf. DIONYS. *De Div. Nom.* c. 4.

[57] Cf. Vol. 1 n. 110, 171-7.

[58] Matth. **16**. 17.

[59] Hebr **11**. 1.

[60] 1 Corinth. **2**. 9.

[61] CORNELY in *I Corinth.* p. 71.

[62] 1 Corinth. **2**. 4-14. Cf. etiam Joan. **1**. 18 coll. 1 Joan. **5**. 9.

[63] CYRIL. Alex. *Dial. 3 de Trin.*

[64] GREG. Nyss. *Or.* 3.

promissum est, inquit AUG., homo caecus corde non percipit, *nec ei potest ostendi in praesenti,* quid ipse, cui promittitur, sit futurus » [65], « quia non est terrena cogitatio » [66]. Et CHRYS. : « *Quae angeli non noverunt, ea* nos haec docuit... Nisi Spiritus, qui Dei arcana omnia novit, id nobis revelasset, *nullam sane habuissemus cognitionem* » [67]. Similiter GREG. M. : « Fides illarum rerum argumentum est, *quae apparere non possunt;* quae enim apparent, jam non habent fidem sed agnitionem » [68]. — **Ex ratione.** Nam supernaturalia non possunt a nobis cognoscit *immediate,* quia objectum immediatum cognitionis est ens proportionatum cognoscenti [69] : non possunt cognosci *mediate,* quia supernaturalia nexu necessario naturalibus non vinciuntur.

ART. 2 - DE POSSIBILITATE UTRIUSQUE ORDINIS NATURALIS ET SUPERNATURALIS.

511. **Multiplex naturae status.** *Status,* in re nostra, est *certa conditio, seu certus modus se habendi totius humani generis in ordine ad ultimum finem, secundum divinae Providentiae legem* [1]; quintuplex autem agnoscitur, scil. naturae *purae,* naturae *integrae, justitiae originalis,* naturae *lapsae,* naturae *lapsae et reparatae.* Status *naturae purae* haberetur si Deus creasset hominem in solis naturalibus, nullis praeternaturalibus donis curans debilitatem consequentem nostram naturam : status *naturae integrae* superaddit naturalibus bonis dona praeternaturalia, puta immunitatem a fomite concupiscentiae et a morte, quibus naturales infirmitates ordinis physici et moralis curantur : status *justitiae originalis* est ille in quo Adam creatus est : status *naturae lapsae* adesset si Deus Adae peccatum reparare noluisset : status *naturae lapsae et reparatae* nostri est, qui Deum habuimus supernaturalis vitae auctorem, Adamum peremptorem et Christum reparatorem.

512. **Errores — Veritas.** *Possibilitatem ordinis supernaturalis* impetiti sunt MATERIALISTAE ad materiam, POSITIVISTAE ad sensibilia, RATIONALISTAE [2] ad naturalia coarctantes nostram co-

---

[65] AUG. *Serm.* 127. n. 1.
[66] AUG. *Serm.* 332 n. 3.
[67] CHRYS. in *1 Corinth.* hom. 7.
[68] GREG. M. in *Evang.* hom. 26 n. 8.
[69] Supra n. 28.

[1] C. MAZZELLA. *De Deo Creante* n. 653.

[2] Uti supra diximus, ad RATIONALISTAS revocantur MODERNISTAE qui, cognitionem omnem eruere volentes ex naturae necessitatibus, notionem ipsam ordinis supernaturalis corrumpunt.

gnitionem : *possibilitatem ordinis* naturalis negarunt REFORMATORES, BAJUS, JANSENIUS et QUESNELLUS [3] dicentes quod « Deus non potuisset hominem creare, qualis nunc nascitur » [4]. **Veritas.** *Possibilitatem ordinis supernaturalis* definivit CONC. VAT. : « S. q. d. hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse... a. s. » [5]; *possibilitas ordinis naturalis* constat ex condemnatione BAJI et QUESNELLI [6].

THES. 52. *Status — 1 supernaturalis, — 2 non minus quam naturalis, possibilis est.*

513. **Prima pars.** *Status supernaturalis est possibilis.* Profecto impossibilitas hujus status vel se haberet ex defectu *rei indebitae,* eo quod omnia saltem *exigitive* requirerentur a nostra natura, vel ex defectu *potentiae activae* qua supernaturale in actum reduceretur, vel ex defectu *potentiae passivae* in qua recipi oporteret : atqui supernaturale non repugnat ex defectu *rei indebitae,* quia nostra natura est finita ac proinde incapax visionis Dei quae ipsi manet indebita; non repugnat ex defectu *potentiae activae,* quia « quidquid potest habere rationem entis continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens » [7], supernaturale autem rationem entis habet; non repugnat ex defectu *potentiae passivae,* quia si in naturalibus validior potentia activa meliorem sortitur effectum in eadem potentia receptiva [8], a fortiori virtus infinita, cujusmodi est Deus, potest inducere in creaturam aliquid ad quod ipsa non habet naturalem potentiam : ergo.

514. **Secunda pars.** *Status naturae purae est possibilis.* ARG. 1. Nam si status naturae purae non esset possibilis, status supernaturalis esset exigitive debitus naturae, ac proinde naturalis, quod supra improbatum est. ARG. 2. Nam status naturae purae non opponitur potentiae *absolutae* Dei, quia contradictionem non in-

---

[3] In hunc errorem inclinant AUGUSTINENSES aestimantes ordinem purae naturae dedecere divinam *sapientiam* et *bonitatem.* Conf. C. MAZZELLA, n. 885 sqq.

[4] BAJUS prop. 55.

[5] CONC. VATIC. *Dei Filius* § 2 cn. 3.

[6] PIUS V cond. *Baji* pr. 21, 24, 55, 79; INNOC. XI cond. *Ques.* n. pr. 1, 2, 34, 35, 39 etc.; PIUS VI cond. *Syn. Pist.* pr. 16.

[7] S. THOM. 1 p. q. 25 a. 3.

[8] Sive in ordine *ad esse,* quemadmodum ex validiori artifice perfectior imago producitur in tabula vel in saxo; sive in ordine ad *operari,* ut suavior musica ab excultiori pulsante ex eadem cithara educitur.

volvit; non opponitur potentiae *ordinatae* seu sapientiae et bonitati ejus, quia summa difficultas, imo moralis impossibilitas, qua natura pura laboraret assequendi finem naturalem, auferri posset mediis naturalibus, et esset corollarium limitationis naturae quae tamen retineret aliqualem imaginem divinae essentiae [9].

515. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Intellectus humanus habet pro obiecto *omne verum*, voluntas autem *omne bonum*: ergo nihil est homini improportionatum seu supernaturale. **Resp.** Omnia pertinent ad objectum *adaequatum* intellectus et voluntatis humanae, sed non omnia spectant ad eorum objectum *proportionatum*: ideo est in homine *potentia obedientialis* ad ordinem supernaturalem, sed non *naturalis*, de qua sola procedit nostra quaestio.

516. **Objic. 2.** Quod est gratuitum non est necessarium: atqui consecutio finis supernaturalis est necessaria homini, ne sit infelix: ergo. **Resp.** Praesens necessitas finis supernaturalis non est antecedens, sed consequens hominis elevationem; unde non impedit gratuitatem donorum quibus obtinetur.

517. **Objic. 3.** Homo naturaliter desiderat videre Deum, in quo consistit finis supernaturalis: atqui non est sapientis conferre desiderium insatiabile: ergo, salva divina sapientia et bonitate, homo non potest non ordinari in finem supernaturalem; ac proinde status naturae purae repugnat divinis attributis. **Resp.** Argumentum, si quid probaret, non evinceret necessitatem ordinis supernaturalis, sed naturalitatem beatificae visionis; quare negandum est suppositum, si enim Deus non elevasset hominem ad finem supernaturalem, existentiam beatificae visionis homo ignoraret; ignoti autem nulla cupido.

CAPUT II.

De elevatione Angelorum.

518. **Capitis divisio.** Angelorum elevatio ad ordinem supernaturalem potest considerari in se ipsa et quoad nos. *Primo modo* ex fide scimus Deum destinasse angelos ad beatificam visionem, quam aliqui, coelesti dono cooperando, sunt consecuti; alii, abusu gratiae peccando, amiserunt et ignibus aeternis sunt addicti: *altero* novimus Deum angelos

---

[9] Cf. S. THOM. 1-2 q. 109 a. 4; SUAREZ in 1-2 Disp. 15 sect. 2 n. 11; FRANZ. *De Trad. et Script.* app. § 4 n. 2; C. MAZZELLA *De Deo Creante* n. 891 sqq.; *De Grat.* n. 402; PESCH n. 227.

bonos destinasse ad nostram custodiam, malis autem permisisse ut diversis tentationibus nos impugnarent. Hanc obviam materiae divisionem sequentes, caput distinguimus in tres articulos: 1 *De sanctis angelis et de daemonibus,* — 2 *de angelorum custodia,* et — 3 *de impugnatione daemonum.*

ART. 1 - DE SANCTIS ANGELIS ET DE DAEMONIBUS.

519. **Quae gratia data est angelis.** De NATURA gratiae dicendum est quod « non alia gratia stantem angelum potuit custodire, nisi illa quae lapsum hominem post ruinam potuit reparare »[1]: angeli itaque receperunt gratiam habitualem et actualem; *habitualem* quidem seu sanctificantem, quae eorum naturam elavabat ad consortium divinitatis et fundabat virtutes infusas et dona Sancti S.; *actualem* qua movebantur ad supernaturaliter agendum. De TEMPORE sanctificationis communius tenetur angelos in primo creationis instanti non obtinuisse beatificam visionem[2], sed recepisse gratiam Dei; siquidem non datur mutatio in fine ultimo, nec angeli sine gratia potuerunt ordinari in finem supernaturalem[3]. De MENSURA gratiae nil certi statui potest; « videtur (tamen) quod Deus angelos, quos altioris naturae fecit, ad majora gratiarum dona et ampliorem beatitudinem ordinaverit »[4]. De ORIGINE gratiae dicendum est angelos *gratuito* Dei beneficio in supernaturali statu esse constitutos; gratiam vero non fuisse eis collatam intuitu meritorum Christi, inde patet quod Verbum consequenter tantum ad Adae peccatum est incarnatum, et Christus humanitate factus est *mediator Dei et hominum*[5], *nusquam Angelos apprehendens, sed semen Abrahae*[6]. Qua autem ratione Christus dicatur caput angelorum[7], explicabimus in tract. *De Verbo Incarnato.*

520. **Quot et quando peccarunt angeli.** Non omnes angelos in accepta justitia perseverasse, demonstrabimus in thesi. QUOAD NUMERUM peccantium S. THOM. putat pauciores fuisse perseverantibus, « quia peccatum est contra naturalem inclinationem; ea vero quae contra naturam fiunt, in paucioribus accidunt. Natura

---

[1] FULG. *Ad Thrasim.* II c. 3.

[2] S. THOM. 1 p. q. 62 a. 1.

[3] BASIL. *in Ps.* **32**. 6; AUG. *De Civ. Dei* XII c. 9; GREG. M. *Moral.* V c. 38; XXVII. 39; S. THOM. 1 p. q. 62 a. 3; C. MAZZELLA n. 437.

[4] S. THOM. 1 p. q. 62 a. 6. Similia habent BASIL. *De Spir. S.* c. 16; DAMASC. *De fide orth.* II c. 3; CYRIL. Alex. in *Joan.* II c. 5; AMBR. Enar. in *Ps.* **34** n. 21.

[5] 1 Tim. **2**. 5.

[6] Hebr. **2**. 16.

[7] Colos. **2**. 10.

enim consequitur suum effectum, vel semper vel in pluribus » [8]. Fuerunt tamen multi, et licet nihil certi statui possit, siquidem quae de *tertia parte* angelorum SUAREZ arguit ex Apoc. [9] non constant [10], tamen ex Evangeliis de multitudine daemoniorum vel in uno corpore humano loquentibus [11], et ex Apoc. testante *praelium magnum* quod factum est in coelo, cum *Michaël et Angeli ejus praeliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli eius* [12], tenemus fuisse pene innumeros. Hoc « Patres scriptoresque ecclesiastici frequenter testantur cum malos daemones *exercitum* Satanae appellant, ut JUST.: aut *ingens agmen,* ut GREG. Naz.; cum iis *plenum esse aërem istum* dicunt, qui coelum et terram medium dividit, ut HIER.; ut eorumdem *densitate constipatus* sit aër, ut loquitur CASSIAN.; cumque *innumerabiles* eos esse affirmant, ut EUSEB. et DAMASC. » [13]. Haec porro daemonum multitudo, etsi non constituat veram hierarchiam [14], subjicitur tamen capiti quod vocatur *Lucifer* — *Belial* (nequitia) — *Belzebub* (nomen cujusdam idoli) — *Satan* (inimicus) — *Diabolus* — *Draco magnus, serpens antiquus* — *Princeps daemoniorum* — *Deus hujus saeculi* — *Princeps hujus mundi* [15]. QUOAD TEMPUS lapsus CYPR. putavit daemones dudum permansisse in caritate [16], « sed probabilior et Sanctorum dictis magis consonans est (opinio) quod statim post primum instans suae creationis diabolus peccaverit...; cum enim angeli per unum actum meritorium ad beatitudinem perveniant..., si diabolus in gratia creatus, in primo instanti meruit, statim post primum instans beatitudinem accepisset » [17].

521. **De malitia peccati angelorum.** Angelos peccasse MORTALITER patet ex poena qua sunt mulctati, et ex nominibus quibus in

---

[8] S. THOM. 1 p. q. 63 a. 9.

[9] Apoc. **12**. 4; SUAREZ in 3. p. tom. 2 Disp. 31 sect. 4.

[10] Cf. A LAPIDE in *Apoc.* l. c.

[11] Marc. **5**. 9; **16**. 7; Luc. **4**. 41.

[12] Apoc. **12**. 7.

[13] JUST. M. *Apol.* 1. 28; GREG. Naz. *carm.* 6; HIER. in *Ephes.* **6**. 12; CASSIAN. *Coll.* 4 c. 12; EUSEB. *De praep. Evang.* VII; DAMASC. *De fide orth.* II c. 4 apud *Palmieri* p. 444.

[14] Supra n. 423 not.

[15] Isai. **14**. 12 — 2 Corinth. **6**. 15 — Matth. **12**. 24 — Job. **1**. 6 — Matth. **25**. 41 — Apoc. **12**. 8 — Matth. **9**. 34 — 2 Corinth. **4**. 4 — Joan. **12**. 31.

[16] CYPR. *De Zelo et Livore.* Quidam cum ORIGENE putarunt angelos peccasse *post adeptam beatificam visionem;* sed hoc repugnat quia impeccabilitas necessario consequitur beatificam visionem. Cf. S. THOM. 1 p. q. 62 a. 8.

[17] S. THOM. 1 p. q. 63 a. 6.

Scriptura designantur [18]; angelorum autem peccatum nostris fuit *gravius* et *irremissibile*. Fuit GRAVIUS, quia gravitas culpae maxime petitur ex clariori notitia reitatis actus et ex majori libertate; angeli vero clariorem habebant notitiam Dei et gravitatis culpae, quia in scientia fuerunt perfecti ab initio [19], et majori libertate gaudebant, quia concupiscentiae illecebris non alliciebantur, nec a superiori natura ad malum provocabantur [20]. Fuit IRREMISSIBILE quia Deus « de angelis hoc disposuit et implevit, ut, si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, numquam eam divino munere repararet » [21]: licet enim poenitentiae gratiam eis quoque largiri potuisset [22]; tamen *angelis peccantibus non pepercit* [23], quia nullam excusationem habuerunt in naturae infirmitate vel gravitate tentationum [24], et quia in propria electione sunt naturaliter immobiles. « Differt, inquit S. THOM. apprehensio angeli ab apprehensione hominis in hoc quod angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut et nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus; homo vero per rationem apprehendit mobiliter, discurrendo de uno in aliud, habens viam procedendi ad utrumque oppositorum. Unde et voluntas hominis adhaeret alicui *mobiliter*, quasi potens etiam ab eo discedere et contrario adhaerere; voluntas autem angeli adhaeret fixe et *immobiliter*... Sic igitur et boni angeli semel adhaerentes justitiae sunt in illa confirmati; mali vero peccantes sunt in peccato obstinati » [25].

522. **Quale fuit angelorum peccatum.** Non quaeritur de peccatis commissis post reprobationem, « quia dum homines ad omnia peccata inducunt, omnium peccatorum reatum incurrunt » [26]; sed de illo primo quo a sanctitate exciderunt. Porro hoc peccatum non fuit *luxuriae* vel *gulae* vel hujusmodi, quia « spiritualem naturam affici non contingit ad ea quae sunt propria corpori... nihil enim afficitur nisi ad id quod suae naturae potest esse quodammodo conveniens » [27]: non fuit *mendacii* [28], quia « Patres et Theologi communiter docent mendacium (diaboli) fuisse effectum superbiae et invidiae » [29]: non fuit *invidiae* [30], quia « invidia sequitur superbiam, non praecedit: non

---

[18] Vide infra in thesi.

[19] Supra n. 436.

[20] AUG. in *Joan.* tr. 110 n. 7; *Opus imp. c. Jul.* VI n. 22; THEOD. *Serm.* 3 *c. Graec.* sub fine; GREG. M. *Moral.* IV c. 3 n. 8; DAMASC. *C. Manich.* n. 33.

[21] FULG. *De fide ad Petr.* c. 3 n. 30.

[22] PALMIERI p. 454; PESCH n. 402.

[23] 2 Petr. **2**. 4.

[24] AUG. *Opus imper. c. Jul.* VI n. 22; GREG. M. *Moral.* IX c. 50; DAMASC. *C. Manich.* n. 33.

[25] S. THOM. 1 p. q. 64 a. 2, ubi refert DAMASC. *De fide orth.* II c. 4.

[26] S. THOM. 1 p. q. 63 a. 2.

[27] S. THOM. *l. c.*

[28] Gen. **3**. 4; Joan. **8**. 44.

[29] C. MAZZELLA n. 430.

[30] Sap. **2**. 24.

enim causa superbiendi est invidia, sed causa invidendi superbia » [31] : ergo fuit *superbiae* [32]. Et si quaeris de objecto hujus superbiae, quidam respondent daemones voluisse adorari ab hominibus et a Christo [33], vel saltem noluisse subjici Christo homini [34], ex quo repetunt implacabile daemoniorum odium in humanam naturam, quam per Christum sciunt supra angelicam exaltatam [35]; sed conformius ad locutionem Scripturae generatim tenetur diabolum voluisse *assimilari Deo* [36], non quidem appetendo ejus naturam, quod manifeste repugnat, et est contra inclinationem naturae creatae, sed « quia appetiit ut finem ultimum beatitudinis id ad quod virtute suae naturae poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quae est ex gratia Dei. Vel si appetiit ut ultimum finem illam Dei similitudinem, quae datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suae naturae, non ex divino auxilio secundum Dei dispositionem » [37].

523. **Errores** — **Veritas.** *Supernaturalem* esse sanctorum angelorum statum illi soli negant, qui cum BAJO ordinem supernaturalem non agnoscunt [38] : daemonum *existentiam* quasi Aegyptiorum, Chaldaeorum et Persarum fabulam, irrident KANT, VOLTAIRE philosophique CRITICI; eorumque *peccatum* impugnat ORIGINISTAE, LOTHARDUS et SPIRITISTAE, injuriae adscribentes quod fuerint de coelo expulsi, unde in pristinum gradum restituere, cultu eis praestito, contendunt [39]. **Veritas.** *Supernaturalitatem status* angelorum constat ex condemnatione Baji [40]; *daemonum* vero *culpa* definita est in CONC. LAT. IV : « Diabolus et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali » [41].

THES. 53. *Adsunt — 1 angeli boni qui in gratia Dei perseverando aeternam felicitatem sunt adepti, — 2 adsunt et mali seu daemones qui, a supernaturali ordine — 3 propria culpa lapsi, aeternis poenis juste sunt addicti.*

524. **Prima pars.** *Angeli boni in accepta justitia perseverando, aeternam gloriam sunt adepti.* Sanctitatem quorumdam angelorum testatur **Scriptura** *a)* eos vocando *sanctos, — bonos, —*

---

[31] AUG. *De Gen. ad Litt.* XI c. 14; S. THOM. *l. c.*

[32] Eccli. **10**. 15; Tob. **4**. 14; 1 Tim. **3**. 6.

[33] BONAV. *Brev.* c. 7.

[34] SUAREZ. *De ang.* 7 c. 10; A. LAPIDE in Isai. **14**. 15.

[35] FRANCO *L'ipnotismo* p. 248 ed. 3.

[36] Isai. **14**. 13-14; Ezech. **28**. 2.

[37] S. THOM. 1 p. q. 63 a. 3.

[38] « Nec angeli, nec primi adhuc hominis integri merita recte vocantur gratia ». BAJ. *pr.* 1.

[39] C. MAZZELLA n. 427.

[40] PIUS V cond. prop. 1-5. *Baji.*

[41] CONC. LAT. IV cp. *Firmiter.*

electos, — *filios Dei*, — et *conservos fidelium*, — angelos *coelorum*, — *lucis*, — *Domini*, — *Dei*, — et *Christi* [42]; siquidem in Scriptura *lux* est symbolum gratiae, *coelum* est sedes sanctorum, *filii Dei* sunt justi, et *fideles* vocantur qui in supernaturali ordine ad aeternam vitam tendunt. *b)* Idem affirmat Scriptura docens quod Angeli in *coelis* [43], nos praevenientes [44], *vident Deum* [45] eique *adsistunt* [46]; visio quippe Dei nulli creaturae naturaliter convenit [47], nobis autem repromittitur beatitudo vere supernaturalis, ut in tractatu de *Novissimis* probabimus. — **Patres** non solum *a)* loquuntur de angelis *bonis* et *sanctis* qui *Deum vident* [48], sed *b)* docent eos consummasse propriam sanctitatem gratia Spiritus S. [49], non alia ab ea qua nos de lapsu surgimus [50]: *c)* opponunt angelos bonos daemonibus quia, his « cadentibus per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et hujus permansionis debitam mercedem meruerunt » [51]: *d)* comparatione tandem instituta inter angelos et homines, mirantur quod Deus « praemiis angelorum etiam inferiorem creaturam humanae conditionis exaequet » [52]; ut socii eorum [53] unam cum ipsis integrent Ecclesiam, quae constat « non solum ex parte, quae peregrinatur in terris,... verum etiam ex illa, quae *in coelis* semper, *ex quo condita est*, cohaesit Deo » [54]. — **Ratio** non potest demonstrare factum elevationis vel permanentiam in sanctitate; *suadet* tamen, ne creaturae, *natura* hominibus praestantiores [55], *fine* eis cedant. Sicut autem ratio suadet elevationem angelorum ita probat necessitatem *cooperationis eorum*, « quaelibet (enim) res ad ultimum finem per suam operationem pertingit » [56].

---

[42] Dan. **8**. 13 — Marc. **8**. 38 — 2 Mach. **11**. 6; **15**. 23 — 1 Tim. **5**. 21; — Apoc. **19**. 10; **22**. 9. — Job. **38**. 7 — Matth. **24**. 36 — 2 Corinth. **11**. 14 — Matth. **1**. 20 — Ps. **90**. 11 — Matth. **24**. 3.

[43] Marc. **12**. 25; Hebr. **12**. 22.

[44] *In resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in coelo* Matth. **22**. 30.

[45] Matth. **18**. 10.

[46] Job **12**. 15; Dan. **7**. 10.

[47] Supra n. 28.

[48] Passim.

[49] BASIL. *De Spir. S.*; AUG. *De Civ. Dei* XII c. 9; DAM. *De fide orth.* II c. 3.

[50] FULG. *Ad Thras.* II c. 3.

[51] AUG. *De corr. et grat.* 11 n. 32; GELAS. *Decr. c. Pelag.*; GREG. M. *Moral.* V c. 38; In *Ezech.* hom. 7 n. 18; ISID. *Sent.* I c. 10.

[52] AMBR. *De Spir. S.* I c. 7; LEO M. *Serm. De Quadr.* 10 c. 2.

[53] AMBR. *in Apoc.* **19**. 10.

[54] AUG. *Enchir.* 56.

[55] Supra n. 428.

[56] S. THOM. 1 p. q. 62 a. 4.

525. **Secunda pars.** *Daemones creati sunt in gratia.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. *Diabolus in veritate non stetit, quia non est veritas in eo* [57]. Profecto *non stare* dicitur qui cecidit : ergo diabolus aliquando fuit in veritate : atqui in Scripturis *veritas* (ἡ ἀλήθεια), ut notum est, sumitur de supernaturali ordine : ergo. Nec obstat ἔστηκεν *(stetit)* intelligi de praesenti; ut enim taceamus Patres communiter explicasse de peccato, quo a statu justitiae cecidit [58], « ex lapsu solum consequitur quod (diabolus) in veritate non stat et quod veritas et veracitas in eo jam non existit » [59]. ARGUM. 2 sumitur ex Isaia et Ezech. qui Luciferum exhibent tamquam solem *mane orientem, signaculum similitudinis, plenum sapientia et perfectum decore, in deliciis paradisi, in monte sancto Dei* [60]; in Scripturis enim *lux* est signum ordinis supernaturalis [61], quem similiter exprimunt *similitudo* Dei [62], *mons sanctus* Dei [63], et *paradisus* [64]. Porro agi de diabolo et non de solis hominibus, patet ex excellentia status descripti, ex verbis superbiae quae in ore hominis vix hyperbolice resonare queunt, et ex nomine [65] quo post lapsum vocatur. Licet ergo verba *directe* efferantur de regibus Babylonis et Tyrii, *indirecte* tamen, sed principalius, cum communi Patrum et interpretum sententia [66], intelligenda sunt de angelo rebelli. —

[57] Joan. **8**. 44.

[58] ORIG. in *Joan.* tr. 24; AUG. *De Civ. Dei* XI c. 13-5; CHRYS. in *Joan.* hom. 53 n. 3; THEOD. *Haeres. fab.* V; LEO M. *epist.* 63 c. 2-3, *Serm. de Quadr.* 10.

[59] KNABEN. in *h. l.* p. 297.

[60] Isai. **14**. 12-5; Ezech. **28**. 12 sqq.

[61] Cf. Isai. **60**. 1; Joan. **1**. 4; **3**. 15 etc.; KNAB. in *Joan.* p. 71.

[62] Cf. Gen. **1**. 26; Colos. **3**. 9; Eph. **4**. 23 sqq.

[63] Cf. Ps. **14**. 1; **23**. 3 apud BELLARM. in *h. l.*

[64] Luc. **23**. 43 apud KNAB. p. 619.

[65] Si *Cherub* non esset nomen naturae sed solius dignitatis, hac amissa, amplius non imponeretur.

[66] TERTUL. *Adv. Marc.* 11. 10; ORIG. *De Princ.* I c. 5 n. 4; III c. 2 n. 1; AMBR. *De Parad.* c. 22; HIER. *in com.* h. l.; AUG. *De Civ. Dei* XI c. 15; *Gen. ad Litt.* XI 25 n. 3; CYRIL. Alex. in *Joan.* VI c. 6; GREG. M. *Moral.* XXXII c. 23; DAMASC. *De fide orth.* II c. 3; ISID. Hisp. *Sent.* I c. 10 n. 6; EST., MALD., A LAPIDE etc. apud KNABEN. *in Isai.* I p. 323 sqq. — Non omnes tamen pari modo explicant; alii quippe *litteraliter* interpretantur de solo angelo; alii *litteraliter* referunt ad angelum simul et ad reges Babylonis et Tyrii; alii litteraliter explicant de regibus Babylonis et Tyrii, de Lucifero vero *typice,* vel etiam sola *allusione,* quatenus propheta, « nisi scivisset aliunde unum ex angelis sublimioribus superbia peccasse, et ex summa quadam pulchritudine in summam miseriam esse deturbatum, non appellasset regem Tyrium *cherub,* non eum descripsisset in gloria et pulchritudine constitutum in *Eden,* in *horto Dei,* neque eum, qui e sede sua ejicitur et dignitate spoliatus in miseriam abjicitur, iterum vocasset *cherub* ».

Patres non solum inter bonos et malos distinguunt, sed *a)* docent quod Deus angelos « cum bona voluntate, i. e. cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit, simul eis et condens naturam et largiens gratiam » [67], quam singulis juxta mensuram naturalis perfectionis tribuit [68]. *b)* Imo expresse affirmant quod Lucifer « inter angelorum corda charitatis igne succensa, clarum gloria conditionis extitit » [69], ita ut angeli boni non sint qui gratiam *receperunt*, sed qui, aliis cadentibus, *permanserunt* [70]. — **Ratio** congruit, sicut enim Deus omnium hominum creator, omnibus hominibus finem supernaturalem proposuit [71]; ita creator omnium angelorum, omnes angelos supernaturali gratia ditare decuit.

526. **Tertia pars.** *A statu justitiae propria culpa lapsi, angeli mali aeternis addicti sunt poenis.* Nam in **Scripturis** legimus quod *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* [72] : atqui peccatum in Scripturis importat liberam violationem divinae legis, et infernus est locus aeternae damnationis, secundum illud : *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* [73] : ergo. Ceterum Scripturae saepe loquuntur de *peccato* angelorum [74], quod describunt in persona regis Babylonis et Tyrii [75], daemonesque vocant angelos *malos*, spiritus *nequam* et *immundos* [76], qui *pugnaverunt contra Deum* [77]; unde, *ejecti de coelo* [78] et vinculis *ligati* [79], missi sunt *in ignem aeternum* [80]. — **Patres** *a)* dicunt daemones « non ab initio malos esse conditos... sed vitio voluntatis a melioribus ad pejora praecipites corruisse » [81] : *b)* distinguunt angelos bonos a malis, quia non secus ac homines « libertate donati... contigit, ut aliqui liberi, et in iis, quae a Deo acceperunt fideles permanserint; alii vero conditione suae naturae abusi fuerint » [82] : *c)*

---

[67] AUG. *De Civ. Dei.* XII c. 9.
[68] Supra n. 519.
[69] GREG. M. *Moral.* XXXII c. 23; THEOD. Serm. 3 *C. Graec.*
[70] ATHEN. *Leg. pro chr.* c. 24; AUG. *De corr. et grat.* XI. 32; GREG. M. in *Ezech.* hom. 7 n. 18; ISID. Hisp. *Sentent.* I c. 10.
[71] Rom. **3**. 29; 1 Tim. **2**. 5.
[72] 2 Petr. **2**. 4.
[73] Matth. **25**. 41.
[74] Cf. supra n. 520, 525.
[75] Isai. **14**. 12-5; Ezech. **28**. 12 sqq.
[76] Ps. **77**. 49; Prov. **17**. 11; Luc. **6**. 18; **11**. 24; 26; Act. **5**. 16; **8**. 7; Eph. **6**. 12.
[77] Apoc. **12**. 7 sqq.
[78] Luc. **10**. 18; Apoc. **12**. 9.
[79] Jud. 6.
[80] Matth. **25**. 41.
[81] THEOD. *C. Graec.* serm. 3; AUG. *De Nupt. et Concup.*
[82] ATHEN. *Leg. pro christ.* n. 24; AUG.; GREG.; ISID. *l. c.*

de natura autem, de gravitate et de irremissibilitate peccati angelorum saepe disserunt [83], addentes cum DAMASC. quod non omnes veluti separatim peccaverunt, sed eorum principe rebellante, « una cum eo avulsa est, eique *comitem* se adjunxit, simulque corruit innumerabilis subiectorum sibi angelorum multitudo » [84] — **Ex ratione.** Nam ex infestatione daemonum constat existentia malorum angelorum : atqui repugnat Deum fecisse substantias naturaliter malas : ergo daemones propria culpa a statu bonitatis ceciderunt.

527. **SOLVITUR DIFFICULTAS. Objic.** Docet S. Petrus daemones *in judicium reservari* [85] : atqui ante judicium non infligitur poena : ergo daemones nondum sunt poenis addicti. **Resp.** Licet aliqui PATRES videantur concedere daemones poenam ignis *post universale judicium passuros* [86], communis tamen et certa sententia tenet jam nunc eos torqueri igne aeterno : in die judicii eorum condemnatio confirmabitur ab electis et accidentaliter augebitur, detracta libertate pervagandi in mundo [87].

ART. 2 - DE ANGELORUM CUSTODIA.

528. **Quae angelorum custodia.** Custodia angeli symbolice proposita Jacob cum in sommo vidit angelos Dei ascendentes et descendentes per scalam cacumine coelum tangentem [1], « est quaedam executio divinae providentiae circa homines facta » [2], « totumque officium angelorum, quantum ad nos, est ut nos a malo *defendant* et in bono *conservent* » [3]. Angeli itaque custodes *a)* avertunt damna exteriora, et ab iis, in quae inciderimus, liberant [4] : *b)* suggerunt sanctas cogitationes et ad bonum excitant, unde et adhibentur a Deo in revelatione mysteriorum [5] : *c)* arcent daemones [6] : *d)* orationes nostras deferunt Deo et pro nobis orant [7] :

---

[83] Supra n. 521.
[84] DAMASC. *De fide orth.* II c. 4.
[85] 2 Petr. **2**. 4.
[86] JUST. M. *C. Tryph.*; IREN. *Adv. haer.* V c. 33; HIL. in *Matth.* **8**; EUSEB. *H. E.* IV c. 17.
[87] A LAPIDE in 2 Petr. **2**. 4.
[1] Gen. **28**. 12.
[2] S. THOM. 1 p. q. 113 a. 6.
[3] PETRUS Cell. *De myst. exp. taber.* I.
[4] Cf. Gen. **48**. 16; 4 Reg. **6**. 17 sqq.; **19**. 35; Tob. **6**. 4 sqq.; Judith **13**. 20 etc.; 2 Mach. **3**. 25-6; Joan. **5**. 4; Act. **5**. 19-20; **12**. 7 sqq. etc.
[5] Gen. **18**. 2 sqq. Jud. **13**. 3 sqq.; Dan. **9**. 21 sqq.; Luc. **1**. 11 sqq.; 26 sqq.; Act. **8**. 26; **10**. 3-6, etc.
[6] Tob. **8**. 2; Apoc. **20**. 1-3.
[7] Tob. **12**. 12; Job. **5**. 1; Apoc. **5**. 8; **8**. 3.

ac tandem *e)* bonos poenis medicinalibus retrahunt a malo [8], peccatores autem puniunt [9].

529. **Quinam angeli deputentur ad custodiam.** S. THOMAS post DIONYS. et GREG. M. aestimavit solos angelos inferiorum ordinum mitti ad homines, alios vero *assistere* Deo vel *mitti mediate,* prouti sunt instrumentum Dei in illuminatione eorum qui mittuntur [10]. Sed KNAB. notat « distinctionem... inter angelos assistentes et ministrantes non consistere; nam *alicui assistere* [11], idem est ex ditione hebraica quod *ministrare;* insuper explicite dicit Angelus Raphaël se esse unum ex septem qui *adstamus ante Dominum;* porro [12] unus de Seraphim mittitur ad Isaiam, quare dici nequit angelos assistentes non mitti. Insuper huic opinioni omnino contrariatur Hebr. **1.** 14 » [13], quo Apostolus docet *omnes* angelos esse *missos propter eos qui haereditatem capient salutis,* et « ad vim probationis prorsus necessarium est omnes omnino angelos nullo excepto intelligere; Christi enim super omnes angelos eminentiam S. Paulus affirmat et probat » [14]. « Potest tamen admitti mitigata sententia SUAREZII supremos angelos non mitti communiter ad custodiendos homines, sed extraordinarie tantum » [15].

530. **De subjecto custodiae angelorum.** Angeli sunt deputati ad custodiam *individuorum* et *communitatum, creaturisque irrationalibus* praesunt. *a)* Quoad custodiam INDIVIDUORUM *factum* demonstrabimus in thesi, *modum* supra exposuimus [16], de *tempore* dici potest quod durat a nativitate ad mortem. Custodia *non incipit ante nativitatem,* quia « puer, quamdiu est in materno utero... est quodammodo adhuc aliquid ejus; sicut et fructus pendens in arbore est aliquid arboris. Et ideo probabiliter dici potest quod angelus, qui est in custodia matris, custodiat prolem in utero existentem » [17]. *Non differtur ad baptismum,* quia « ea quae providentur homini a Deo *inquantum habet naturam rationalem,* ex tunc ei exhibentur, ex quo nascendo talem naturam accipit; et tale beneficium est custodia angelorum » [18]. *Durat tota vita mortali,*

---

[8] SUAREZ *De Angel.* VI c. 19 n. 7.

[9] Ps. **34**. 5; Ezech. **9**. 2; Sap. **18**. 5; 2 Machab. **3**. 24; 2 Reg. **24**. 16; Apoc. **7-10**.

[10] DIONYS. *De coel. hier.* c. 8; GREG. M. *In Evang.* hom. 34; *Moral.* XVII c. 13; S. THOM. 1 p. q. 112 a. 2 et 4. Cf. C. MAZZELLA 448-9.

[11] *Coram aliquo stare.* Dan. **7**. 10.

[12] Isai. **6**. 6.

[13] KNAB. apud HAGEN *Lex. Bibl.* col. 260.

[14] KNAB. in *Isai.* I p. 136, rem confirmat ex BASIL., CHRYS., HIERON., CYRIL.; in *Dan.* p. 195 citat GREG. M. Cf. etiam PADOV. in *Hebr.* p. 120; A LAPID., ESTIUS in *Hebr.* **1**. 14.

[15] PESCH n. 406.

[16] Supra n. 528.

[17] S. THOM. 1 p. q. 113 a. 5 ad 3.

[18] S. THOM. *l. c.* in corp.

quia custodia angelorum integrat providentiam Dei circa homines; « manifestum est autem quod nec homo; nec res aliqua totaliter divinae providentiae subtrahitur...; (unde) dicendum est, quod angelus custos numquam dimittit hominem; sed ad aliquid interdum dimittit, prout scil. non impedit quin subdatur alicui tribulationi vel etiam quin cadat in peccatum, secundum ordinem divinorum judiciorum » [19]. *Cessat in morte,* quia custodia datur in auxilium nostrae infirmitatis, ut scil. liberemur a malo et promoveamur in bonum: atqui morte cessat tempus meriti et demeriti, nec manet in sanctis timor malorum vel in damnatis spes bonorum: ergo « quando (homo) ad terminum viae pervenerit, jam non habebit angelum custodem; sed habebit in regno angelum conregnantem, in inferno daemonem punientem » [20]. *b)* Esse angelos deputatos ad custodiam COMMUNITATUM constat ex Scripturis. Nam in *V. T.* populo Dei praesto erat angelus quo introduceretur in terram promissam [21], liberaretur ab hostibus [22], et in ipsa captivitate adjuvaretur [23]; in *N. T.* angeli intersunt piis fidelium coetibus [24], curant peccatorum conversionem [25], christianorumque agmen defendunt a malis [26] et a daemoniis [27]. Merito ergo docet BASIL. quod ex angelis « alii quidem praefecti sunt *gentibus,* alii vero cuique fideli adjuncti comites sunt » [28]. An *singulis* personis publicis, Ecclesiis particularibus, religiosis communitatibus, etc. deputentur distincti angeli, non est certum [29]; pro certo e contra habetur MICHAËL, sicut olim adfuit synagogae, ita nunc universae Ecclesiae praeesse [30]. *c)* « Angelos etiam CREATURIS IRRATIONALIBUS praesidere PATRES [31] et SCHOLASTICI [32]

---

[19] S. THOM. *l. c.* a. 6.

[20] S. THOM. *l. c.* a. 4. *NB.* Quamvis *custodia* angelorum hac vita finiatur, nil impedit ut cum SUAREZ (*De Ang.* VI c. 19 n. 9) teneamus angelos electorum animas comitari usque ad coelum (Cf. Luc. **16**. 22); atque ideo in Purgatorio eas adjuvare quaemadmodum catacumbarum monumenta suadent. Cf. Append.; P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 1 c. 3 a. 6.

[21] Exod. **14**. 19; **23**. 20; **32**. 34; **33**. 2; Num. **20**. 16; Jud. **2**. 1.

[22] Jud. **6**. 11; **13**. 3; 4 Reg. **19**. 35; 2 Par. **32**. 21.

[23] Dan. **10**. 12 sqq.; Zach. **1**. 12.

[24] 1 Corinth. **11**. 10.

[25] Luc. **15**. 10.

[26] Apoc. **7**. 2 sqq.

[27] Apoc. **20**. 1 sqq.

[28] BASIL. *C. Eunom.* III n. 1; ORIG. *in Luc.* hom. 12; CLEM. Alex. *Strom.* VII; DIONYS. *De coelest. hier.* c. 9; GREG. Naz. *Or.* 32; HIER. in *Dan.* 7; AMBR. in *Luc.* 2; THEOD. *in Gen.* q. 3; GREG. M. *Moral.* XVII c. 8; DAMASC. *De fide orth.* II c. 3.

[29] C. MAZZELLA n. 447.

[30] S. THOM. *IV Dist.* 43 a. 2 q. 3 ad 2; A LAPIDE in *Exod.* **23**. 20; KNAB. apud HAGEN *Lex. Bibl.* c. 261.

[31] JUST. M. *Apol.* II n. 5; HERMAS *Past.* Vis. 4 c. 2; ATHEN. *Leg. pro Christ.*; ORIG. in *Num.* hom. 14; METHOD. *Bibl. Phot.* c. 234; AUG. *Quaest. 83* q. 79; THEOD. in *Gen.* 1 q. 4; DAMASC. *De fide orth.* II c. 3.

[32] S. THOM. 1 p. q. 110 a. 1.

communiter censent. Et angelos quidem *posse uti* rebus inferioribus ex voluntate Dei, sive ad homines protegendos sive ad eos puniendos, non est cur in dubium vocetur. Sed ad naturales rerum actiones *nullum requiritur ministerium* angelorum, cum omnia in ordine physico fiant secundum leges innatas et necessario agentes » [33].

531. **Errores — Veritas.** Angelorum *custodiam* non minus quam impugnationem daemonum geniis gentium et fabulis mythisque Chaldaicis adscripserunt KANT et generatim RATIONALISTAE [34]: *universalitatem* hujus custodiae non agnoverunt antiqui PRAEDESTINATIANI ad solos praedestinatos vel fideles coarctantes angelos custodes [35], et CALVINUS qui, nulla facta distinctione, simpliciter negavit singulis hominibus dari angelos tutelares [36]. **Veritas.** « Quod generatim angeli hominum tutelae praeficiantur, ex unanimi theologorum sententia, *ad fidem* pertinet... Quod singulis hominibus singuli assignentur custodes angeli, non habet eumdem certitudinis gradum. Attamen si agatur de fidelibus electis, res tam certa est... ut *sine temeritate* negari non possit: si sermo sit de infidelibus aut non praedestinatis... *communiter* a DD. probatur » [37].

THES. 54. *Datur angelorum — 1 custodia, quae — 2 ad solos fideles vel praedestinatos nequit coarctari.*

532. **Prima pars.** *Angeli deputantur ad hominis custodiam.* Nam **Scriptura** hujus custodiae plura facta refert [38], et docet quod Deus *angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* [39]; quare APOSTOLUS Christum opponit angelis, quia ille, utpote Filius, sedet a dextris Dei, hi vero, uti ministri, deputantur ad custodiam electorum. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis?* [40] — **Patres** *a)* vocant angelos *paedagogos puerorum, praeceptores hominum, pastores populi* [41], et *b)* cum ORIG. affirmant « esse angelos Dei quasdam virtutes bonas, qui ei ministrant ad salutem hominum consummandam » [42]. *c)* Hujus custodiae rationes

---

[33] PESCH n. 405.
[34] Apud *C. Mazzella* n. 447.
[35] Cf. ORIG. in *Joan.* tr. 5.
[36] CALV. in *Ps.* **90.**
[37] C. MAZZELLA n. 447.
[38] Supra n. 530.
[39] Ps. **90.** 11.
[40] Hebr. **1.** 14.
[41] BASIL. *De Spir. S.* c. 13 n. 13; ATHAN. *De com. ess.* n. 52; AMBR. in *Luc.* II n. 50; HIER. in *Isai.* **14.** 18; etc.
[42] ORIG. *De Princ.* praef. n. 10; *C. Cels.* VII; in *Num.* hom. 20; BASIL. *in Ps.* **33.** 8; AMBR. in *Ps.* **118** serm. 1 n. 9; CHRYS. in *Hebr.* hom. 3.

HIL. et CYRIL. deducunt ex *infirmitate* nostra et impugnatione daemonum; cum enim « infirmitas nostra, nisi datis ad custodiam angelis tot tantisque spiritualium, coelestium nequitiis (non) obsisteret » [43]; Deus « virtutes sanctas... nobis... opitulari jussit..., non secus ac rex aliquis suis satellitibus mandat barbarorum incursionibus resistere » [44]. AUG. idem evincit ex *unitate Ecclesiae,* sicut enim angelorum et sanctorum societas « una erit consortio aeternitatis, (ita convenit ut) nunc una sit vinculo caritatis » [45]. *d)* Tam vero manifesta fuit Patribus angelorum custodia, ut inde nostra officia concluderent, angelis siquidem debemus « *reverentiam* pro praesentia, *devotionem* pro benevolentia, *fiduciam* pro custodia » [46]. — **Ratio** a Patribus indicata sic explicatur a CAT. ROM.: « Ut parentes, si infesta et periculosa via filiis, iter faciendum sit, custodes adhibent et periculorum adjutores; sic coelestis Parens in hoc itinere, quo ad coelestem patriam contendimus, singulos nobis proposuit angelos, quorum ope ac diligentia tecti, furtim paratos ab hostibus laqueos vitaremus, et factos in nos horribiles impetus repelleremus, iisque ducibus rectum iter teneremus » [47].

533. **Secunda pars.** *Angelorum custodia ad electos vel fideles non est coarctanda.* **Ex Scripturis.** Nam Christus ait: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis... quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei* [48]: illi ergo habent angelos custodes qui scandalum pati non debent: atqui scandalum ab omnibus est removendum: ergo. Et CONFIRMATUR, siquidem, ut notat MALD. [49], Christus non probat, neque simpliciter testatur angelicam custodiam puerorum, qui aderant, sed, uti rem notam, adducit in argumentum; atqui nemo poterat cognoscere custodiam *eorum* puerorum nisi ex generaliori principio de universalitate ejusdem custodiae: ergo Christus hanc confirmavit. Ceterum si quis de determinatis illis parvulis, qui Christo aderant, testimonium intelligat, thesim non infirmat; improbabile enim est omnes illos parvulos

---

[43] HIL. in *Ps.* **134** n. 17; SOPHRON. Hier. *Encom. SS. Angel.*

[44] CYRIL. Alex. *C. Jul.* IV.

[45] AUG. *Enchir.* c. 56; S. THOM. *De Potent.* q. 6 a. 7.

[46] BERNARD. in *Ps.* **90**. Vide hujus dicti pulcherrimam expositionem apud JANSSENS VI p. 1003 sqq.

[47] CATECH. ROM. p. IV c. 9 n. 4.

[48] Matth. **18**. 10.

[49] MALD. apud *Knab.* in Matth. p. 116. Etiam HIERON. *in Isai.* XVIII c. 66; CHRYS. *in Matth.* hom. 59 n. 4; CASS. *Collat.* VIII; ISID. Hisp. *Sent.* I c. 10 n. 21, testimonium explicant de omnibus parvulis.

fuisse electos vel ingressuros Ecclesiam. — **Patres,** etsi speciali modo loquantur de custodia *fidelium* [50] aliquando tamen docent custodiam *omnium hominum* [51]; siquidem, ut ait HIER., « unaquaeque anima habet *ab ortu nativitatis* in custodiam sui angelum delegatum » [52]. — **Ratio** sumitur *ex fine* custodiae angelorum, quae ordinatur ad adjuvandam nostram infirmitatem, ad daemonum incursus frustrandos, ad nos promovendos in aeternam gloriam: atqui omnes sumus natura infirmi, omnes daemonum tentationibus premimur, omnes in aeternam gloriam ordinamur: ergo [53].

534. **SOLVITUR DIFFICULTAS.** Dicit Apostolus quod angeli sunt missi in ministerium propter illos *qui haereditatem capient salutis* [54]: ergo eorum custodia ad electos coartatur. **Resp.** Textus originalis potest verti *qui debent capere;* omnes vero homines sunt destinati ad salutem aeternam [55]: quod si lectio Vulgatae praeferatur, sensu tantum *affirmativo* vel etiam *finali* est explicanda, quo modo omnia ordinantur in salutem electorum [56].

ART. 3 - DE IMPUGNATIONE DAEMONUM.

535. **Quae daemonis impugnatio.** Sicut angelus bonus multipliciter nos juvat in prosecutione ultimi finis, ita malus, juxta pervicaciam suae voluntatis, nostrae saluti insidiatur « tentando quantum ad animam et vexando quantum ad corpus » [1]. « Quid pravius, sic AUG. daemonem describit, quid malignius, quid adversario nostro nequius? qui posuit in *coelo* bellum, in *paradiso* fraudem, odium *inter primos fratres,* et *in omni opere* nostro zizania seminavit? Nam in *comestione* posuit gulam, in *generatione* luxuriam, in *exercitatione* ignaviam, in *conversatione* invidiam: in *gubernatione* avaritiam, in *correctione* iram, in *praesulatu* sive dominatione superbiam. In *corde* posuit cogitationes malas, in *ore* posuit locutiones falsas, in *membris* operationes iniquas: in *vigilando* movet ad prava opera, in *dormiendo* ad somnia turpia. *Laetos* movet ad dissolutionem, *tristes* ad desperationem. Sed, ut bre-

---

[50] ORIG. in *Num.* hom. 20 n. 3; BASIL. in *Ps.* **48**; CHRYS. in *Matth.* hom. 59 n. 4.

[51] EUSEB. *Praep. Evang.* XIII; BERNARD. *De Consid.* V c. 4 n. 8.

[52] HIER. in *Matth.* **18**. 10; THEOPH. *in Matth.* **18**. Imo TERTUL. *De Anima* c. 37 et ANSEL. *Eluc.* II c. 28 angelum custodem tribuunt unicuique a *conceptionis* momento.

[53] S. THOM. 1 p. q. 113 a. 2 et 3.

[54] Hebr. **1**. 14.

[55] PALMIERI p. 468-9.

[56] Supra n. 367.

[1] S. THOM. 3 p. q. 49 a. 2 ad 2.

vius loquar, omnia mala mundi sua sunt pravitate commixta »[2]. Has autem insidias sine induciis molitur, quippe « *neque habet liberum arbitrium ad benefaciendum,* sed ad maximam malevolentiam poena sui sceleris obduratum »; unde si « quos... sinit habere nonnulla velut opera bona », facit « ut non credatur in Deum, neque ad Mediatorem... credendo veniatur »[3]: tanta invidia tantoque furore diabolus humanum genus insectatur, ut « si posset aliquid, nullus nostrum remaneret »[4].

536. **De tentatione diabolica.** QUOAD EXTENSIONEM diabolicae suggestionis dicendum est quod, si « omnia nostra peccata rimantur diligentia invidiae » diaboli[5], qui ad omnia peccatorum genera incitat[6], qui « instigavit primum hominem ad peccandum, ex cujus peccato consecuta est in toto genere humano quaedam pronitas ad omnia peccata »[7], qui aestum passionum incipientium fovet[8], quippe ut *leo* semper *circuit quaerens quem devoret*[9], et assidue « omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus et ibi causas quaerit nocendi, ubicumque viderit studiosius occupari »[10]; tamen non omnes tentationes proveniunt ex directo impulsu diaboli, sed « multi etiam absque diabolo pereunt »[11]. Revera *sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia,* et *unusquique tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus*[12]; « non omnes (ergo) cogitationes nostrae malae a diabolo excitantur, sed aliquoties emergunt ex motu liberi arbitrii »[13] quod inordinatos sensibiles appetitus corruptae naturae non semper refrenat, ut deberet, sed aliquando fovet[14]. QUOAD GRAVITATEM tentationum « dicendum quod diabolus propria virtute, nisi refrenetur a Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum

---

[2] AUG. *Serm. commun. Serm.* 4 apud *A Lapid.* in Apoc. **12.** 4.

[3] AUG. *ad Vital.* ep. 217 n. 10; Enar *in Ps.* **64.** 13; *C. Gaud. donat.* I c. 21. Cf. S. THOM. 1 p. q. 64 a. 2 ad 5; BONAV. *Diaetae* tit. 1 c. 1.

[4] AUG. Enar. in *Ps.* **96.** n. 12.

[5] AUG. *Serm.* 170 (alias *De temp.* 19); DIONYS. *De div. nom.* c. 4; DAMASC. *De fide orth.* II c. 4.

[6] S. THOM. 1 p. q. 63 a. 2; q. 114 a. 3 ad 3.

[7] S. THOM. 1 p. q. 114 a. 3.

[8] ISID. *Sent.* III c. 5 apud *S. Thom.* 1 p. q. 114 a. 4 in fine.

[9] 1 Petr. **5.** 8.

[10] LEO M. *De Nativ.* serm. 7; CYPR. *De Zelo et Livore.*

[11] CHRYS. in *Act.* hom. 54.

[12] Gen. **8.** 21; Jac. **1.** 14; Eccli. **18.** 30; Dan. **13.** 56; Gal. **5.** 17; Jac. **4.** 1.

[13] GENN. *De Eccl. dogm.* c. 82; ORIG. *De Princ.* III c. 2; GREG. Naz. in *Tetrast.* n. 33; PRUDENT. in *Hamart.* n. 533.

[14] S. THOM. 1 p. q. 114 a. 3; 1-2 q. 80 a. 4; 3 p. q. 8 a. 7 ad 2.

aliquem actum qui de suo genere peccatum est,... sed tunc, ratione ligata, quidquid homo agat non imputatur ei ad peccatum »[15]. Salvo autem libero arbitrio diabolus posset tam vehementer tentare hominem, ut non maneret ei moralis potentia resistendi; sed *fidelis Deus non patietur nos tentari supra id quod possumus* sua gratia adjuti[16]. Quod attinet AD MODUM, daemones non possunt directe animam ejusque potentias movere[17], sed in errorem inducunt intellectum per phantasmata quae excitant externis obiectis veris vel apparentibus, et etiam « inducendo formas in organo phantasiae per aliquam commotionem spirituum et humorum » corporis[18] : inclinant vero *voluntatem* falsis apprehensionibus intellectus[19], necnon excitando passiones appetitus sensitivi[20], siquidem « secundum quod homo est in passione aliqua, videtur ipsi aliquid conveniens, quod non videtur ei extra passionem existenti; sicut irato videtur bonum, quod non videtur quieto »[21]. Cum itaque tota tentatio diabolica fiat mediantibus sensibus et non directa inclinatione voluntatis, AUG. dicebat quod diabolus « alligatus est tamquam annexus canis catenis... : latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem : non enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet a nobis consensum, sed petit »[22].

537. **De infestatione physica.** Sicut daemones in ordine morali pugnant contra homines tentationibus; ita in physico infestatione *extrinseca* et *intrinseca*. QUOAD INFESTATIONEM EXTRINSECAM revoca quae sunt dicta de cognitione et virtute motiva angelorum[23], et intelliges quomodo, permittente Deo, daemones valeant homines ditare vel depauperare, ab infirmitatibus sanare[24] vel morbis ipsaque morte plectere[25], aëris vaporumque commotione tempestates excitare vel sedare, ad nutum *medii* tabulas circumducere, sonos ferarum vocesque humanas edere, generationes animalium fovere, multiformiter apparere, mortuorum resurrectionem fingere[26], alia-

---

[15] S. THOM. 80 a. 3.

[16] 1 Corinth. **10**. 13.

[17] Supra n. 440.

[18] S. THOM. *De Pot.* q. 6 a. 3 ad 13.

[19] S. THOM. 1-2 q. 9 a. 6 ad 2; q. 75 a. 3; 80 a. 1.

[20] S. THOM. 1 p. q. 111 a. 3 et 4; 1-2 q. 80 a. 1 et 2; *De Malo* q. 3 a. 4.

[21] S. THOM. 1-2 q. 9 a. 2.

[22] AUG. *serm.* 37 apud *Mazzella* n. 464; *De act. cum Fel. Manich.* II c. 6.

[23] Supra n. 437 et 441.

[24] Cum daemon in malo sit obstinatus, nullum verum bonum afferre potest, unde ab una infirmitate non liberat nisi in pejorem inducens.

[25] S. THOM. 1 p. q. 114 a .3.

[26] S. THOM. 1 p. q. 89 a. 8 ad 2; 117 a. 4 ad 2.

que mira facere [27], « plerumque similia miraculis quae fiunt per servos Dei » [28]. INFESTATIO INTRINSECA dicitur *obsessio,* et est « actio daemonis qui corpus hominis intrat et in illo agit, turbando sensus et membra, hominem torquendo variis modis, quandoque etiam insolitas vires ei praebendo » [29]. Cum obsessio est imperfecta, et respicit tantum exteriores potentias, dicitur *circumsessio;* cum est perfecta, ita ut diabolus vere hominem inhabitet et de corporalibus potentiis ejus disponat vocatur *possessio:* cum est *temporanea* nomina suscipit *magnetismi, hypnotismi, spiritismi,* etc. [30].

538. **Diabolicae infestationis physicae signa et occasiones.** Daemonis interventus non aestimatur magnitudine seu excellentia effectus, sed praecipue ex modo quo fit, cum scil., pravo fine, solo imperio ponitur opus externum, vel obtinetur effectus rationalis independenter a virtute agentis. SIGNA itaque obsessionis sunt: « *ignota lingua* loqui pluribus verbis vel loquentem intelligere; *distantia* et *occulta* patefacere; *vires* supra aetatis seu conditionis naturam ostendere, et id genus alia » [31]: quare C. S. OFFIC. damnat eos, qui « *somnambulismi* et *clarae visionis,* uti vocant, *praestigiis* mulierculae, gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se *invisibilia* quaeque *conspicere* effutiunt ac de ipsa religione sermones instruere, *animas mortuorum evocare,* responsa accipere, *ignota* ac *longinqua* detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere praesumunt » [32]. OCCASIONES *obsessionis proprie dictae* ordinarie sunt peccata et maxime diabolicum commercium, in cujus poenam Deus permittit habitualem possessionem; *obsessionis* vero *impropriae* et *temporaneae* sunt *invocatio explicita* et *implicita,* necnon *circumstantiae* quaedam *physicae.* Daemones saepe respondere *explicitae invocationi,* qua eorum auxilium imploratur ad opera suprahumana exercenda, explicatione non indiget; cognoscunt enim quae homines loquuntur [33], et humani cultus, cujus invocatio est actus, sunt cupidi [34] ex superbia et quia est peccatum [35] aliorum quoque occasio: scil. diabolus homines exaudiens «intendit assuefacere ad hoc quod ei credatur; et sic intendit perducere in aliquid quod sit saluti humanae nocivum » [36]. *Invocatio implicita* habetur cum causis ineptis expetuntur magni effectus, nam « si naturaliter non videantur

---

[27] S. THOM. 1 p. q. 114 a. 4 ad 2; q. 117 a. 3 ad 2 in fine.

[28] AUG. *Quaest. 83* q. 79. Cf. Vol. I n. 98-100.

[29] C. MAZZELLA n. 469.

[30] Simpliciora hypnotismi faenomena posse viribus physicis et psychicis explicari diximus n. 493.

[31] RIT. ROM. *De exorc. obs.*

[32] C. S. OFF. *Encycl.* 30 Jul. 1856.

[33] Supra 437.

[34] S. THOM. 1 p. q. 115 a. 5 ad 3.

[35] S. THOM. 2-2 q. 90 a. 2.

[36] S. THOM. 2-2 q. 95 a. 4.

posse tales effectus causare, consequens est, quod nec adhibeantur ad hos effectus tamquam causae, sed solum quasi signa : et sic pertinent ad pacta significationum cum daemonibus inita. Unde AUG. [37] dicit : " Illiciuntur daemones per creaturas..., non ut animalia *cibis*, sed ut spiritus *signis* quae cujusque delectationi congruunt, per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum ,, » [38], « in quantum scil. haec eis exhibentur in signum divini honoris » [39]. Etiam *circumstantiae physicae* infestationi daemonum occasionem praebere possunt ; *primo* quidem quia daemones creaturis utuntur ut « creaturas Dei infament, in hoc scil. quod credantur daemonibus servire, et per hoc homines in errorem mittant » [40] ; *secundo* « quia, cum non possint operari nisi mediantibus naturalibus virtutibus,... in suis operibus considerant corporum aptitudines ad effectos intentos » [41].

539. **Ejusdem physicae infestationis causae.** Vera et propria causa est malitia diaboli qui ex superbia, odio et indivia homines insectatur [42] ; non tamen facit independenter a Deo, quippe « praevaricatores angeli cum principe suo diabolo... (sunt) procuratores vel actores divinae providentiae » [43]. Porro dupliciter impugnatio diabolica est a Deo : primo quidem *permissive* in quantum non impedit, sed ordinat ad aliquod bonum [44], sicut Christus « permisit daemones, quos ejiciebat, hominibus aliquod nocumentum inferre vel in corpore vel in rebus, propter animae humanae salutem, ad hominem scil. instructionem » [45] ; secundo *positive* in quantum ad exercitium virtutis [46], vel ad peccata punienda [47], Deus utitur daemonibus, « ne totaliter post peccatum ab utilitate naturalis ordinis exciderent » [48] ; quo in casu diabolus *mittitur a Deo* bono

---

[37] AUG. *De Civ. Dei* XXI c. 6.

[38] S. THOM. 2-2 q. 96 a. 2.

[39] S. THOM. 1 p. q. 115 a. 5 ad 3 ; AUG. *De Civ. Dei* X c. 19.

[40] S. THOM. *De Potent.* q. 6 a. 10 ad 7 ; ORIG. in *Matth.* **17** ; HIER. in *Matth.* **4** ; CHRYS. in *Matth.* hom. 58 ; THEOPH. in *Matth.* **17**.

[41] S. THOM. 1 p. q. 115 a. 5 ad 1. Inde explicatur cur in eodem hypnotismi ordine simpliciora facta tribuantur causae physicae, majora interventui daemonum ; diabolus scil. praesupponit quasdam dispositiones naturales quibus exteriora agentia validius applicat.

[42] S. THOM. 1 p. q. 114 a. 1 c. et ad 1.

[43] AUG. in *Gal.* **4**. n. 32.

[44] S. THOM. 1 p. q. 114 a. 1 supra n. 188, 191, 203.

[45] S. THOM. 3 p. q. 44 a. 1, ubi ex CHRYS. explicat licentiam datam diabolis ut intrarent in porcos, et ex BEDA terribiles tentationes quibus recenter conversi a diabolo vexantur.

[46] 1 Corinth. **5**. 5 ; 2 Corinth. **12**. 7 ; 1 Tim. **1**. 20 ; S. THOM. l. c. ; q. 114 a. 1 ; AUG. *Enarr. in Ps.* **130**. n. 7, ubi doctrinam illustrat exemplis Job, Christi et Pauli, qui tam magna a diabolo sustinuerunt.

[47] Ps. **77**. 49 ; Tob. **3**. 8 ; S. THOM. q. 114 a. 1 c. et ad 2.

[48] S. THOM. 1 p. q. 64 a. 4.

motivo probationis vel justitiae, ipse autem mandatum *exequitur* mala intentione nocendi.

540. **Errores — Veritas.** Praetermissis iis qui distinctionem ipsam inter angelos bonos et malos non agnoscunt [49], *infestationem moralem* seu tentationem negant REFORMATORES quidam cum STAUDLIN, JUNGE, AMMON repugnare autumantes quod daemones alliciant animas [50]: *infestationem physicam temporaneam* impugnant MATERIALISTAE et POSITIVISTAE qui cum MESMER, PUYSÉGUR, BRAID omnia phaenomena *magiae, hypnotismi, magnetismi, spiritualismi, telepathiae,* etc. commentitia habent vel ex quorumdam fluidorum operatione et animarum conjunctione explicare conantur [51]: *infestationem permanentem* respuerunt saec. 17 ORCHARDUS, B. BEKKER; saec. 18 SEMLER, VOLTAIRE quibus adhaesit JAHN [52]. **Veritas.** *Tentationum existentia* continetur in praxi fidelium qui cum Ecclesia Deum deprecantur, ut a daemonum tentationibus liberemur, et proponitur a CONC. TRID. cum docet « adversarium nostrum (scil. diabolum) occasiones per omnem vitam quaerere ut devorare animas nostras quoquo modo possit » [53]: *infestatio temporanea* constat ex saepius repetita condemnatione diabolici commercii [54]: *infestatio permanens* deducitur ex ORDINE exorcistatus et ex RIT. ROM. [55].

THES. 55. *Datur diabolica impugnatio — 1 tum moralis per tentationes, — 2 tum physica per infestationem transeuntem et — 3 permanentem.*

541. **Prima pars.** *Daemones ad animarum perditionem homines tentant.* Nam **Scriptura** *a)* tribuit tentationibus daemonum plura hominum peccata, v. g. protoparentum, David, Judae, Ananiae et Saphirae [56]: *b)* tentationes diabolicas proponit sub parabola inimici qui supra granum seminat zizania, aufert semen quod est

---

[49] Supra n. 523.

[50] Apud C. MAZZELLA n. 458.

[51] Apud TANQUEREY *De Ang.* n. 106. Etiam ex nostris, ut vidimus n. 493 not. 46, quidam facta spiritica et hypnotica sine diaboli interventu explicare conati sunt.

[52] Apud *C. Mazzella* n. 471.

[53] CONC. TRID. Sess. XIV *De Extr. Unct.*

[54] INNOC. VIII Const. *Sum. desider.* a. 1484; XYST. V *Coeli et terrae Creat.* a. 1585; GREG. XV *Omnip. Dei* a. 1693; C. S. OFF. 23 Jun. 1840 et 30 Jul. 1856.

[55] RIT. ROM. *De exor. obsess.*

[56] Gen. **3.** 1 sqq.; Apoc. **12.** 9 — 1 Paral. **21.** 1 sqq. — Luc. **22.** 3; Joan. **12.** 2; 27 — Act. **5.** 3.

verbum Dei, et cribrat fideles sicut triticum [57] : *c)* gravitatem earumdem tentationum manifestat dicens quod *non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiae in coelestibus* [58], contra diabolum qui *tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret* [59], et *transfigurat se in angelum lucis* [60] : *d)* media tandem, quo *resistamus* diabolo [61] exhibet in vigilantia, sobrietate, oratione, fuga occasionum [62]. — **Patres** non solum *a)* cum TATIANO *dicunt* « quod daemones pro sua malitia homines aggrediuntur... ut ad viam, quae in coelum ducit, non perveniant » [63]; sed universalitatem subjecti et materiae tentationum docent tentatorisque calliditatem pandunt. *b) Omnes homines* a diabolo vexari deducunt ex tentatione Christi; etenim « quem tentare non audeat, qui nec ab ipso D. N. J. C. conatus suae fraudis abstinuit? » [64] *c) Omnibus modis* diabolum tentare saepe depingunt; ipse enim « offert *oculis* formas illices et faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. *Aures* per canoram musicam tentat, ut soni dulcioris auditu solvat et molliat christianum vigorem. *Linguam* conviciis provocat, *manum* injuriis lacessentibus ad petulantiam caedis instigat, ut fraudatorem faciat : *lucra* opponit injusta ut animam pecunia captet... et cum *latenter* non potest fallere, *exerte* atque *aperte* minatur, terrorem turbidae persecutionis intentat ad debellandos Dei servos; *inquietus semper* et semper infestus; in *pace* subdolus, in *persecutione* violentus » [65]. *d)* Astutiam diaboli Patres describunt dicendo quod circuit sciens « *cui* adhibeat aestus cupiditatis, *cui* illecebras gulae, *cui* apponat incitamenta luxuriae, *cui* infundat virus invidiae; *quem* horrore conturbet, *quem* gaudio fallat, *quem* metu opprimat, *quem* admiratione seducat » [66] : diabolus « multos decipit persona in se accepta et non factus angelus lucis » [67]; impedire conatur orationes ne vincatur [68], et aliquando

[57] Matth. **13**. 28 — Luc. **8**. 12 — **22**. 31.

[58] Ephes. **6**. 11.

[59] 1 Petr. **5**. 8.

[60] 2 Corinth. **11**. 14.

[61] 1 Petr. **5**. 9; Jac. **4**. 7.

[62] 1 Petr.; 1 Corinth.; Eph. *l. c.*

[63] TATIAN. *Exort. c. Graec.* n. 16; TERTUL. *Apol.* 22; LACT. *De div. inst.* II c. 15; etc.

[64] LEO M. *Quadr.* serm. 2 n. 3.

[65] CYPR. *De Zelo et Livore* n. 2; P. CHRYS. *serm.* 11; BERNARD. *Medit.* 15; AUG. supra n. 535.

[66] LEO M. *De Nativ.* serm. 7; CYPR. *l. c.*; GREG. M. *Moral.* XXXIII c. 10 et 11.

[67] CHRYS. in *2 Corinth.* **11**. 14, hom. 24.

[68] CHRYS. *Hom. de Canan.*

« instare formidat, quia frequentius refugit triumphari » [69]. — **Ratio** possibilitatem diabolicae tentationis pandit *ex parte diaboli* qui, in malo obstinatus [70], corruptionem bonorum quaerit; *ex parte Dei* qui scit de malis bene facere [71]; *ex parte modi* quia mediantibus sensibus diabolus potest pravas cogitationes excitare [72].

542. **Secunda pars.** *Daemones etiam physice homines impugnant.* Nam **Scripturae** saepe daemonibus tribuunt mala physica [73], et referunt diabolica commercia [74], ad quae revocant idolorum cultum [75] quaeque absolute vetant [76]. — **Patres** *a)* docent cum GREG. M. quod « diabolus occupat incautos, inermes sauciat, timidos expoliat, alios caecat, alios captivat, alios suffocat [77], *b)* diabolico commercio tribuunt apparitiones mortuorum, quas daemones simulant ad errores gentilium confirmandos [78], necnon oracula et prodigia « quae, si negare voluerimus, eidem ipsi, cui credimus, Sacrarum Litterarum adversabimur veritati » [79]: tandem *c)* peccati damnant implicitam daemonis invocationem, quae fiat divinatione et sortilegiis [80]. — **Ratio** petitur ab *experientia;* constat enim in phaenomenis *hypnotismi, magnetismi* et *spiritismi* plura esse quae produnt causam intelligentem omnino distinctam ab homine, a Deo, et ab angelo bono [81].

---

[69] AMBR. in *Luc.* 4. 13.

[70] Supra n. 521.

[71] Supra n. 196, 202, 212.

[72] Supra n. 537.

[73] *Tradita fuerat* (Sara) *septem viris, et daemonium nomine Asmodaeus occiderat eos.* Tob. **3**. 8; Job **2**. 7-8; Ps. **77**. 49; Matth. **12**. 22; **17**. 14 sqq.

[74] 1 Reg. **28**. 8 sqq.; 4 Reg. **1**. 2 sqq.; Ezech. **21**. 21.

[75] *Nequaquam ultra immolabunt hostias suas daemonibus, cum quibus fornicati sunt.* Lev. **17**. 7; Deut. **32**. 17; 1 Corinth. **10**. 20.

[76] *Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriatur.* Lev. **20**. 27; Deut. **18**. 10 sqq.

[77] GREG. M. *Super Ps. poenit.* **7**. 11; AUG. *De Civ. Dei* XX c. 19; in *Ps.* **77**. n. 28-9; in *Ps.* **130**. n. 7.

[78] AUG. *De Civ. Dei* X c. 11; CHRYS. *Matth.* hom. 29 ant. med.; TERTUL., CYRIL., THEOD., BEDA super evocationem Samuelis per pythiam apud *A Lapide* in 1 Reg. **28**. 11.

[79] AUG. *De Civ. Dei* XXI c. 6; MINUC. Fel. *Octav.* c. 27; TERTUL. *Apol.* 21. 22; JUST. M. *Apol.* I n. 18; ORIG. in *Num. hom.* 16; ATHAN. *De Inc. Verbi* n. 46 sqq.; CYRIL. Alex. in *Os.* **4**. 12; HIER. in *Os.* **4**. 12; THEOD. *Curat. graec. aff.* or. 10; etc. apud *Palm.* p. 483-6.

[80] ATHAN. in *Luc.* **4**. 35; AUG. *De Doct. Chr.* II c. 23; *Confes.* IV c. 3 n. 1; HIER. in *Mich.* **3**. apud *S. Thom.* 2-2 q. 95 per tot.

[81] Supra n. 493.

543. **Tertia pars.** *Daemonis infestatio usque ad obsessionem pertingit.* Revera **Scripturae** *a)* enarrant miraculosam liberationem obsessorum [82], *b)* referunt quae per obsessos locuti sunt daemones [83], atque *c)* docent Christum dedisse Apostolis potestatem ejiciendi daemonia [84], eamque exhibuisse uti signum veritatis suae missionis [85] et fidei credentium in eum [86]. — **Patres** *a) docent* « plurimos esse daemoniis agitatos in orbe » [87]; e christianis « nonnullos in veritate et absque omni dubio daemones expellere » [88], et sic distingui a paganis qui id facere nequeunt [89]: *b)* enarrant quomodo daemones e corporibus in fugam resilibant *signo crucis* [90] et praesentia *sepulchri Christi* [91], atque « ejulantes et gementes humana voce, et potestate divina flagella et verbera sentientes, venturum judicium confitebantur » [92]. CONFIRMATUR *ordine exorcistatus* qui frustra esset, si obsessi non darentur, et *sensu Ecclesiae* quae de obsessis plura in conciliis statuit [93]. — **Ratio** ostendit *possibilitatem physicam,* quia daemones movere possunt corpus, cui contactu virtutis uniri queunt: *possibilitatem moralem,* quia obsessio generatim non impedit libertatem voluntatis, quam si perturbatione phantasmatum totaliter auferrent, « ratione sic ligata, quidquid homo ageret, non imputaretur ei ad peccatum [94]: *possibilitatem theologicam* quia infestatio diabolica non obstat divinae bonitati, cui congruit ut in exercitium virtutis vel in poenam peccati illam permittat vel causet [95].

---

[82] Marc. **1**. 32-4; Luc. **8**. 2; **11**. 14; Act. **5**. 16; **16**. 16; **19**. 2.

[83] *Daemonia multa* (Christus) *ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.* Marc. **1**. 34; **5**. 9 sqq.; Luc. **4**. 41.

[84] Matth. **10**. 1.

[85] Matth. **12**. 26 sqq.

[86] *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient;* etc. Marc. **16**. 17.

[87] JUST. M. *Apol.* II n. 6.

[88] IREN. *Adv. haer.* II c. 32 n. 4; CYPR. *De idol. vanit.*

[89] TERTUL. *Apol.* c. 12.

[90] CHRYS. *De Laud. Pauli* hom. 4.

[91] HIER. *ad Marc.* epist. 46 n. 8.

[92] CYPR. *Ad Demet.* c. 15.

[93] CONC. ELIBER. a. 305; CARTHAG. IV a. 398; ARAUS. I a. 441; TOLET. IX a. 675 apud *C. Mazzella* n. 489.

[94] S. THOM. 1-2 q. 80 a. 3.

[95] Supra n. 539. *NB.* Apud christianos non tam frequens est daemonis obsessio, quia morte Christi, cujus fructus abundatior est in Ecclesia, diaboli potestas est eversa (AUG. *Serm.* 197 *De temp.* circa med.; S. THOM. 3 p. q. 49 a. 2). Ceterum sicut hostis terrenus non iisdem semper armis impetit civitatem, sed conditioni defensorum bellica instrumenta parat; ita daemones tentationes et infestationes suas pro opportunitate temporum mutant, nostris diebus obsessione temporanea potius quam permanenti laqueos animabus injicientes.

CAPUT III.

De elevatione et lapsu humanae naturae.

544. **Historia dogmatis et capitis divisio.** Cum sine fide impossibile sit placere Deo [1], eaque sit fundamentum rerum sperandarum [2], revelatio dogmatis de elevatione nostrae naturae ipsam creationem Adami attingere debuit [3]. Homine lapso, novam salutis viam Deus patefecit cum serpentem damnavit et promisit redemptorem [4] in protoëvangelio [5]. Saeculorum decursu revelatio eorum, quae oculus non vidit nec auris audivit [6], confirmata est Patribus, in quorum semine benedicendae erant omnes nationes [7], ac praefigurata in populo Israël qui divino auxilio assecutus est terram Chanaan [8], prius declarata est per prophetas, dein vero per Christum et per Apostolos qui de necessitate redemptionis locuti sunt [9], atque, originali peccato proposito [10], exal-

---

[1] Hebr. **11**. 6.

[2] Hebr. **11**. 1.

[3] *Quid* Deus Adam revelaverit nescimus; cum quadam probabilitate dicere possumus una cum prohibitione manducandi de ligno scientiae boni et mali (Gen. **2**. 17) manifestasse electionem ejus ad munus capitis moralis in ordine ad derivationem gratiae in filios suos, aliaque plura notionem Dei remuneratoris attinentia. De *modo* item nihil est certum, sed ex Gen. **3**. 9 sqq. aestimare possumus Deum specie humana per angelum allocutum esse Adamum.

[4] *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Gen. **3**. 15.

[5] Cur vocetur *protoëvangelium,* seu breviata quaedam ejus enuntiatio, facile apparet. Nam occisio serpentis *a)* enuntiabat eversionem sui regni et consequentem nostram liberationem, *b)* occisio per filium mulieris praedicebat Christum redemptorem, *c)* eosque tantum fore salvandos qui Ecclesiam, quae est corpus Christi (Gal. **3**. 16 coll. 1 Corinth. **12**. 27), ingressuri erant, *d)* et sic influxum gratiae recepturi (Joan. **15**. 1 sqq.), *e)* contritio (lect. hebr. calcanei) exhibebat mortem Christi nostrae redemptionis causam: conjunctio tandem redemptoris cum matre, *f)* adumbrabat incarnationis mysterium, *g)* immaculatam conceptionem Mariae, *h)* ejus partum virgineum, et *i)* mediatricis officium, quemadmodum demonstrabimus in tr. de *Verbo Incar.* et de *B. V. M.*

[6] 1 Corinth. **2**. 9.

[7] Gen. **22**. 18.

[8] V. T. erat *umbra futurorum bonorum* (Hebr. **10**. 1); quare terra Chanaam ceteraque bona temporalia promissa populo Israël erant figura eorum quae Deus praeparavit diligentibus se.

[9] *Hic est lapis... qui factus est in caput anguli: et non est in alio aliquo salus.* Act. **3**. 11-2.

[10] *Per unum hominem peccatum in hunc mudum intravit... in quo omnes peccaverunt.* Rom. **5**. 12.

tarunt gratiam Dei sine qua nec opus bonum incipere [11], vel perficere possumus [12] nec naturalem ipsam honestatem diu servare [13]. **Primis saeculis** Patres operam in defensione dogmatis trinitarii impedentes [14], pauca de natura et de efficacia gratiae locuti sunt, potius *practice* quam *theoretice* necessitatem gratiae profitentes; sed saec. 4 contra inimicos gratiae pro hoc coelesti dono fortiter dimicarunt. Hujus pugnae tres periodi possunt distingui: PELAGIANORUM contra quos *existentia* doni nostrae naturae indebiti est vindicata, NOVATORUM contra quos *natura* gratiae est explicata, RATIONALISTARUM contra quos *possibilitas* et *cognoscibilitas* ordinis supernaturalis est defensa. **Prima periodus** *(Saec. 4-6).* Omnia, quae a nobis procedunt, esse fructum naturalis virtutis jam blasphemaverat THEODORUS Mopsuestenus hypostaticam unionem in Christo explicans ex meritis Jesu filii Mariae, qui bonis operibus promeruerat unionem cum Verbo [15]; pater tamen hujus haeresis habetur monachus quidam ex Britannia oriundus ingenii fortissimi, celerrimi et acutissimi PELAGII nomine [16]. Ut contra Manichaeos liberum arbitrium defenderet, et adversus Fatalistas bonorum actuum necessitatem vindicaret, negato originali peccato, dicebat hominem in eo statu nasci in quo Adam creatus est, suisque viribus legem Dei servare aeternamque assequi felicitatem [17]: comitem habuit COELESTIUM [18], et patronos nactus est episc. JULIANUM, ANIANUM et SENECAM [19], sed strenue impugnatus ab *Aurel., Paul., Hier., Cyril.* Alex. [20] et maxime ab *Aug.* [21], proscriptus est a RR. PP. *Innoc.* I, *Zosim* [22], *Coelest.* I, *Leon. M.* et a *Conc. Carthag.* (411), *Carthag.* (416), *Milev.* (416) [23], *Rom.* (417), *Carthag.* (418), *Ephes.* (431) [24]. Haeresim Pelagianam secuta est SEMIPELAGIANA, quae, originali peccato agnito, et necessitate gratiae admissa pro consecutione ultimi finis, initium tamen bonorum operum a natu-

---

[11] *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis.* 2 Corinth. **3.** 5.

[12] *Sine me nihil potestis facere.* Joan. **15.** 5.

[13] *Video aliam legem in membris meis... captivantem me in lege peccati... Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per J. C.* Rom. **7.** 23-5.

[14] Supra n. 261.

[15] HERGENR. II p. 212-5.

[16] C. MAZZELLA *De Gratia* 232.

[17] De PELAGII tergiversationibus dicemus in tr. *de Gratia,* interim vide HERGEN. II p. 275 sqq.

[18] HERGENR. II p. 266-7.

[19] HERGENR. II p. 273-4.

[20] Apud *Hergenr.* p. 266 sqq.

[21] HERGENR. p. 279.

[22] ZOSIMUS ab initio aestimavit mitius esse procedendum contra personas, unde haeresim proscribens, noluit damnare *Pelagium* et *Coelestium,* sed dein utrumque excommunicavit.

[23] CONC. MIL. non fuit oecum. convocatione, neque celebratione (adfuerunt circ. 60 episc.), sed approbatum est ab INN. 1 et ZOSIM.

[24] HERGENR. II p. 266-74.

rali virtute repetebat [25]: auctores habuit VITALEM, sacerdotes plurimos MASSILIENSES et maxime monac. CASSIANUM et epis. FAUSTUM [26]; at impugnata est ab *Aug.* [27] et dein a *Prosp., Auct. libri de Voc. Gent.* [28], *Fulg.* et *Caes.* Arel., ac tandem proscripta in syn. *Araus.* II (529) a *Bonif.* II (530) approbato [29]. **Periodus secunda** *(Saec. 15-18)* Differentiam inter statum Adami ante peccatum et nostrum fassi sunt REFORMATORES, sed originale peccatum constituentes in corruptione naturae, aeternam beatitudinem dixerunt primo homini *naturalem,* nobis vero ex amissione liberi arbitrii *impossibilem:* neque haec impossibilitas ablata est redemptione Christi, juxta Reformatores enim justificatio mere extrinseca est per imputationem meritorum Salvatoris, quin anima a peccatis solvatur vel auxilio gratiae praeservetur [30]. Novatorum haeresis proposita ab HUSS, LUTHERO, CALVINO, ZWINGLIO, MELANCHTHONE, BEZA, fautores habuit BAJUM, JANSENIUM, QUESNELLUM et SYN. PISTORIENSEM, proscripta autem est a *Mart. V* (1418), *Leone X* (1520), *Conc. Trid.* (1565), *Pio V* (1567), *Inn. X* (1653), *Clem. XI* (1713) [31], catholicam doctrinam illustrantibus *Scholasticis* qui, licet de intima natura gratiae non consenserint, duce tamen *S. Thoma,* peccatum originale constituerunt in privatione doni indebiti, quod per Adam amissum, est restitutum per Christum intrinseca renovatione animae, quae gratia *sanctificante* ad dignitatem filiorum Dei elevatur et gratia *actuali,* salvo libero arbitrio, ad opera salutaria movetur [32]. **Tertia periodus** *(Saec. 18-20).* Deificatio humanae virtutis haereses Pelagianorum et Novatorum induxit, idololatria humanae rationis viam aperuit RATIONALISMO revelationem neganti, SEMIRATIONALISMO mysteria scrutabilia facienti nostro intellectui, et MODERNISMO ex vitae necessitatibus religionem ipsam supernaturalem deducenti. Qui fuerint auctores et fauctores horum systematum alias diximus [33]: his autem ordinem supernaturalem destrui

---

[25] HERGENR. II p. 284 sqq.

[26] Non sunt haeretici, quia defuit obstinatio; VITALIS enim ad veritatem per Aug. est revocatus, CASS. et FAUST. mortui sunt ante haeresis proscriptionem, unde et sanctitatis cultum alicubi obtinuerunt. HERGENR. II p. 294.

[27] Ante episcopatum etiam AUG. semipelagianismi fuit infectus, humanae virtuti tribuens actum fidei, sed dein errorem agnovit et impugnavit. HERGENR. II p. 283.

[28] Quidam tribuerunt AMBR., alii PROSP., alii LEONI, sed probabilius ignoti est auctoris.

[29] CONC. ARAUS. adfuerunt tantum 14 episc. sub *Caes.* Arel., sed approbatum a BONIF. II (530), in universam Ecclesiam receptum est.

[30] CALVINISTAE et JANSENISTAE loquuntur etiam de gratia actuali interna, at non est elevans naturam, sed determinans et cogens voluntatem.

[31] Cf. DENZINGER *Enchirid. symb. et def.* locis signatis.

[32] De his plura dicemus in tr. de *Gratia.*

[33] Vol. I n. 65.

manifestum est, quippe *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* [34] : rationalismus proscriptus est in *Conc. Vatic.*, semirationalismus damnatus est a *Pio IX* in Günther et Froschammer, modernismum profligavit *Pius X* enc. *Pascendi* [35]. Porro speciales quaestiones de natura et de necessitate donorum, quibus homo elevatur ad ordinem supernaturalem, remittentes ad tr. de *Gratia*, in praesenti de elevatione et lapsu nostrae naturae agemus dicentes : 1 *De protoparentum justificatione*, — 2 *de dono integritatis*, — 3 *de immortalitate*, — 4 *de ceteris originalis justitiae donis*, — 5 *de peccato Adae*, — 6 *de originalis peccati existentia*, et — 7 *transfusionis modo*, — 8 *natura ac poena*.

ART. 1 - DE PROTOPARENTUM JUSTIFICATIONE.

545. **Quae protoparentum gratia.** Distinguere oportet inter dona *accidentalia* integrantia statum originalis justitiae, et eorum fundamentum seu dona *essentialia* : de illis agemus infra, dona vero essentialia fuisse gratiam sanctificantem, virtutes infusas [1] et dona Spiritus S. cum opportunis auxiliis gratiae actualis [2] sequitur ex notione elevationis ad finem supernaturalem [3], et ex redemptione Christi, qui venit ut restitueremur in statum a quo, Adami culpa, ruimus [4]. Quod attinet ad *quantitatem gratiae*, certe magna fuit, sed probabilius gradu inferior

---

[34] 1 Corinth. 2. 9.

[35] Vol. I *l. c.*

[1] Quoad virtutes infusas S. THOM. distinguit inter eas, quae nullam imperfectionem supponunt in subjecto, et alias quae imperfectionem subaudiunt. De illis nulla difficultas, quoad istas considerare oportet an earum exercitium repugnet tantum perfectioni vitae aeternae, vel etiam perfectioni status innocentiae : primae, ut *fides* et *spes* fuerunt in Adamo quoad habitum et quoad actum, aliae quoad habitum tantum, prout « erat primus homo sic dispositus, ut, si peccatum praecessisset, doleret ; et similiter, si miseriam in alio videret, eam pro posse repelleret ». S. THOM. 1 p. q. 95 a. 3.

[2] AUG. *De corr. et grat.* c. 11 n. 31 dicit Adamo datum esse « adjutorium quo desereret, si vellet, et in quo permaneret, si vellet ; *non quo fieret ut vellet* », per Christum vero dari gratiam « qua etiam fit *ut* (homo) *velit*, et tantum velit... ut carnis voluntatem... vincat ». Haec ne intelligas quasi gratia Adami fuerit entitative diversa a nostra : AUG. considerat tantum terminum gratiae, et superexaltat gratiam Christi, quia gratia justitiae originalis finaliter fuit *tantum sufficiens*, nobis vero datur gratia etiam finaliter *efficax*, h. e. donum finalis perseverantiae.

[3] Nam beatifica visio debetur filiis, qui gratia tales constituuntur.

[4] Profecto, si per Christum restituimur in statum justitiae originalis, tunc aderant nostra dona supernaturalia.

extitit gratia angelorum [5], et indubie minor illa quam Christus et B. V. in primo conceptionis instanti habuerunt [6].

546. **Quandonam gratia data sit protoparentibus et an statim amiserint.** Etsi CONCIL. TRID. noluerit CREATIONEM PROTOPARENTUM IN GRATIA definire, unde, proposito commati « *in qua* (Adam) *conditus fuerat* », substituit « *in qua constitutus fuerat* » [7]; tamen contra MAG. SENT., BONAV. [8], SCOT., RICARD. aliosque communius tenetur cum S. THOM. quod in primo creationis instanti homo « fuerit jam conditus in gratia » [9]. Hoc certe est conformius SCRIPTURIS quae hominis *rectitudinem* et *similitudinem* cum Deo non proponunt uti effectum meritorum Adae, sed uti beneficium Dei, qui *fecit* seu creavit hominem ad *imaginem* et *similitudinem suam* [10]: consonat PATRIBUS qui docent Deum *fecisse* hominem rectum [11], *creasse* eum in gratia, quam propria culpa amisit [12], condidisse « spiritum propter gratiam... ut (cum Deo) *maneret,* eumque, cujus beneficiis ornatus fuerat, concelebraret » [13]: suadetur RATIONE, quia non decet alium fuisse *ultimum finem* hominis in exordio et in progressu, et quia in creatione Adam obtinuit immortalitatem [14] quae innitebatur gratiae sanctificanti [15]. — QUOAD TEMPUS quo in gratia permanserunt, certum est protoparentes *potuisse* ante peccatum aliquo tempore diligere Deum, siquidem homo non firmatur immobiliter in bono electo [16]; *de facto* ceciderunt ante filiorum generationem quia *omnes in Adam peccaverunt* [17], dum filii in statu innocentiae geniti fuissent immunes ab originali culpa [18]; non peccarunt tamen statim, quia

---

[5] Scil. probabile est ut, sicut angelis juxta naturam Deus dedit gratiam, ita et homini dederit: homo autem natura inferior est angelo.

[6] Nam gratia Christi est gratia capitis quae tota simul collata est ei; gratia B. V. est gratia condecens matrem Domini.

[7] CARD. PALL. *Stor. del Coc. di Trento* VII c. 9.

[8] MAGIST. SENT. *II Dist.* 24; BONAV. in *II Dist.* 29 a. 2 q. 2.

[9] S. THOM. 1 p. q. 95 a. 1.

[10] Gen. **1.** 27. *Similitudinem* Dei et *rectitudinem* exprimere statum gratiae, infra demonstrabitur.

[11] AUG. *De Corr. et Grat.* c. 11.

[12] HILAR. paud AUG. *C. Jul.* II c. 27; HIER. *Adv. Jov.* I c. 29; DAMASC. *De fide orth.* II c. 12.

[13] GREG. NAZ. *Or.* 42.

[14] *Deus mortem non fecit.* Sap. **1.** 13; *invidia... diaboli mors introivit in orbem.* Sap. **2.** 24.

[15] S. THOM. 1 p. q. 95 a. 1. *NB.* Creatio in gratia non impedit cooperationem Adae in prima sua sanctificatione, siquidem « cum motus voluntatis non sit continuus, nihil prohibet etiam in primo instanti suae creationis primum hominem gratiae consensisse ». S. THOM. l. c. ad 5; 1-2 q. 112 a. 2 ad 1; 113 a. 8 ad 2.

[16] S. THOM. *II Dist.* 20 q. 2 a. 3 ad 5.

[17] Rom. **5.** 12.

[18] S. THOM. 1 p. q. 100 a. 1.

ex Genesi apparet aliquandiu perseverasse in statu justitiae, in quo Deum super omnia diligentes [19], ex abundantia gratiae [20] multum meruerunt.

547. **Errores — Veritas.** *Factum* elevationis protoparentum ad statum supernaturalem negarunt PELAGIANI, SOCINIANI et NATURALISTAE reputantes Adamum creatum in eodem statu in quo nos nascimur : *supernaturalitatem* donorum, quibus Adam et Eva sunt a Deo cumulati, impugnarunt REFORMATORES, JANSENISTAE et implicite saltem MODERNISTAE [21]. — **Veritas** contra primos definita est in CONC. TRID. « S. q. non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, *in qua constitutus fuerat,* amisisse... a. s. » [22] : contra alios proposita est damnatione hujus prop. : « Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est et non supernaturalis » [23].

THES. 56. *Adam, cum creatus est, — 1 accepit gratiam sanctificantem, — 2 sibi indebitam.*

548. **Prima pars.** *Adam in statu gratiae est creatus.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. Per Christum constituimur in statu justitiae : atqui opus Christi est opus restaurationis : ergo aliquando fuimus in statu justitiae : atqui tales non fuimus personaliter inspecti, siquidem *omnes peccavimus* [24], et *natura sumus filii irae* [25] : ergo justi fuimus in Adamo, qui proinde in statu gratiae creatus est. MAJOREM demonstrabimus in tr. *de Verbo incarnato,* probantes *gratiam et veritatem* factam esse per Christum [26], quo *sanctificamur* [27] et *justificamur* [28]. MINOR. Nam Christus dicitur *alter Adam* [29] qui factus est nobis *redemptio* [30], *renovatio* [31], et *reconci-*

---

[19] S. THOM. *Quod.* I a. 8.
[20] S. THOM. q. 95 a. 4.
[21] Supra n. 544.
[22] CONC. TRID. Sess. V. cn. 1 ; c. 2.
[23] PROP. 21 *Baji* Cf. alia documenta citata n. 544.
[24] Rom. **5**. 12 sqq.
[25] Ephes. **2**. 3.
[26] Joan. **1**. 17.
[27] Joan. **17**. 19 ; 1 Corinth. **1**. 2 ; 31 ; **6**. 11 ; Hebr. **12**. 10 etc.
[28] Rom. **3**. 24 ; **4**. 25 ; **5-9** ; 1 Corinth. **6**. 11 ; Gal. **2**. 16, etc.
[29] Rom. **5**. 15 ; 1 Corinth. **15**. 45.
[30] Matth. **20**. 28 ; Rom. **5**. 24 ; 1 Tim. **2**. 6 ; 1 Petri **1**. 18 ; Apoc. **5**. 9.
[31] 2 Corinth. **4**. 16 ; Eph. **4**. 23 ; Colos. **3**. 10.

liatio [32] : atqui damna *reparantur* cum damnificatus in priorem gradum restituitur, *redimitur* servus cum pristinam libertatem accipit, *renovatur* senex cum ad primam juventutem redit, *reconciliatur* filius cum in antiqua Patris amicitia recipitur : ergo opus Christi est opus restaurationis. — ARGUM. 2 : *Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis* [33]. In hoc testimonio Apostolus loquitur de vera et proprie dicta justificatione : atqui hanc tribuit Adamo ante peccatum : ergo Adam conditus est in statu verae et propriae justitiae. PROB. MAJOR. *a)* Nam Apostolus loquitur de renovatione *spiritu mentis :* atqui *spiritus,* qui distinguitur a *mente,* non est principium vitae naturalis, sed superior hominis pars « quatenus gratia sanctificante instructa et cum Spiritu S. unita [34] principium supernaturalium actionum constituit » [35] : ergo. *b)* Item, Apostulus loquitur de renovatione, qua *recedimus a vetere homine* [36], scil. a conditione hominis peccatoris qui sequitur desideria carnis :atqui a peccatis sola gratia Christi liberamur : ergo. *c)* Accedit quod proposita renovatio perficitur, dum induimus *novum hominem :* atqui novus homo in doctrina Apostoli est Christus qui ab eodem vocatur *novissimus Adam* et *secundus homo* [37], cujus primus fuit *typus* [38], quemque christiani debent induere [39], profecto in ordine supernaturali : ergo. *d)* Tandem opus renovationis in eo est ut recipiamus *justitiam* et *sanctitatem veritatis :* atqui notissimum est in Scripturis *justitiam* [40] et *sanctitatem* [41] dici de ordine supernaturali : ergo. PROB. MINOR. *a) Ex verbo renovamini.* « Nam certum est inter *innovationem* et *renovationem* plurimum interesse : *inno-*

---

[32] Rom. **5**. 10; 2 Corinth. **5**. 18; Colos **1**. 20.

[33] Ephes. **4**. 23-4.

[34] Rom. **8**. 9 sqq.

[35] CORNELY in *1 Corinth.* p. 70.

[36] Eph. **4**. 17 sqq.

[37] 1 Corith. **15**. 45-7.

[38] Rom. **5**. 14. Cf. CORNELY in com. *h. l.*

[39] Rom. **13**. 14. *NB. Novum hominem* esse *Christum* docent AUG. *De Gen. ad litt.* VI c. 26 n. 37; HIER., S. THOM. et A LAPID. in *h. l.:* alii tamen aliter explicant. PALM. p. 408. HURTER II n. 363, TANQUEREY n. 153, etc. intelligunt de Adam, PESCH n. 172. TEPE II n. 753, PADOV. in *h. l.* de *justo :* sed *Adam* numquam vocatur novus homo, *justus* vero dicitur novus homo prout incorporatur Christo, non secus ac peccator dicitur *vetus homo* prout communicat corruptioni Adae (CORNELY in Rom. **6**. 6).

[40] Maxime quae opponitur peccatis *veteris hominis.*

[41] Maxime quae *veritatis nota* insignitur.

vatum enim intelligi potest quod numquam fuit, et noviter extitit : *renovatum* quod utique jam erat, in vetustatem pervenerat, quod, si renovetur, dicitur renovatum » [42] : atqui sensum proprium vocis *renovari* in nostro testimonio esse retinendum constat ex *prima interpretationis regula* quae sensum improprium maxime excludit cum in proprio fidei dogma proponitur [43], ex constanti *usu Scripturae* [44], ex *parallelismo* verbali et reali [45] necnon ex *Patrum explicatione* [46], quibus sensus proprius tam fuit manifestus, ut ex eo CYRIL. Alex. argueret divinitatem Christi [47] : ergo. Item *b) ex allusione ad Gen.* **1.** *26.* Nam Apostolus dicens Christum *creatum* et non *factum* vel *missum,* alludit ad primam effectionem hominis quem *Deus creavit ad imaginem suam* [48] : atqui allusio, quae est descriptio unius ex alio, supponit identitatem conditionis eorum, quae allusione conjunguntur, et exhibet sensum dictionis quae in altero testimonio est obscura : ergo Apostolus supponit Adam creatum in statu justitiae, et docet *imaginem* et *rectitudinem*, in qua Adam est conditus [49], juxta communem Scripturae [50] et Patrum [51]

---

[42] MARIUS MERCATOR apud *Palmieri* p. 408. GLOSS. ORD. *ex Chrys.* ait : « *Renovari* est quando quod inveteravit aliud ex alio factum renovatur » Et S. THOM. in *h. l.* : « Si Adam corruptus non fuisset *renovatione* non indiguisset, nec nos etiam. Sed quia corruptus fuit, renovatione indiguit, et ejus posteri. Et ideo oportet renovari nos in praesenti secundum *animam* et in futuro secundum *corpus* ». Ex eadem notione AUG. *De Trin.* XIV c. 17 concludebat quod « Deus *renovari* non potest, quia nec veterascere potest ».

[43] Vol. 1 n. 555.

[44] Ps. **38.** 3; **102.** 5; **103.** 30; Eccl. **46.** 16; **50.** 29; 1 Mach. **4.** 36 et alias saepe; 2 Corinth. **4.** 16; Hebr. **6.** 6.

[45] Colos. **3.** 10.

[46] BASIL. *Serm. Ascet.* n. 1; GREG. Nyss. *De opif. hom.* c. 30 in fine; AUG. *De Gen. ad Litt.* VI c. 24; LEO M. *De jejun. dec. mens.* serm. 1 c. 1.

[47] Scil. si Christus non est Deus, non potest nobis conferre gratiam qua privamur, unde ipso non restitueremur in statum originalis justitiae; redemptio scil. esset « *regressus* nullo modo ad superiora sortita et recursum non habens ad id quod initio eramus ». CYRIL. Alex. *De Trin.* dial. 3 in *Ps.* **102** n. 5.

[48] Gen. **1.** 27. Allusio est adhuc evidentior in testimonio parallelo Coloss. **3.** 10 : *Secundum imaginem eius qui creavit illum,* ubi « praep. κατά respondet haebraicae כ *(caph),* quae similitudinem significat ». PALMIERI p. 410.

[49] Gen. **1.** 26-7; Sap. **2.** 23.

[50] 3 Reg. **11.** 38; Job **1.** 18; Ps. **32.** 1; **106.** 42; **111.** 2; **139.** 14 etc.; Cant. **1.** 3; Rom. **8.** 29; 1 Corinth. **15.** 49; Joan. **3.** 2.

[51] IREN. *Adv. Phaer* V c. 6; METHOD. *Conv.;* BASIL. *Serm. ascet.* 1; CYRIL. Hier. *Catech.* 2; GREG. Nyss. *De beat.* or. 3; HIER. *C. Jovin.* 1; AUG. *De Civ. Dei* XIV c. 11; c. 27; *De nat. et grat.* c. 15; *De corr. et grat.*

usum, esse intelligendam de supernaturali repraesentatione divinae bonitatis. — **Patres** saepe affirmant quod Adam « fuit in paradiso quousque gratiam creatoris *Spiritu S. inhabitante servavit* »[52]: quod « *acceptam divinitus gratiam* patientia custode non servavit »[53], sed « per peccatum anima ad vitiosas cupiditates impulsa *deformavit imaginis pulchritudinem* »[54] quod fuit *creatus* in statu sanctitatis[55]: atqui haec aperte exhibent notionem status gratiae: ergo.

549. **Secunda pars.** *Gratia data Adamo fuit donum indebitum suae naturae.* Nam gratia sanctificans tribuit *consortium divinae naturae, filiationem adoptivam* et jus ad *beatificam visionem:* atqui haec sunt indebita cuilibet naturae creatae et creabili: ergo[56]. CONFIRMATUR. Nam, ut patet ex prima parte, gratia data Adamo est illa quae nobis confertur per Christum: atqui haec est indebita, siquidem obtinetur *incorporatione* ad Verbum, quod libere est incarnatum: ergo.

ART. 2 - DE DONO INTEGRITATIS.

550. **Quae fuerint dona originalis justitiae.** Sicut in ordine naturali rerum essentiae perficiuntur accidentibus naturae proportionatis, ita in supernaturali gratiam habitualem consequuntur dona plurima quae intellectum et voluntatem elevant et corpus nobilitant: in coelo ex gratia orietur glorificatio corporis, in sacramentis cum gratia recipiuntur specialia auxilia ad bene agendum et malum vitandum, in statu originalis justitiae gratia radicabat quaedam dona praeternaturalia, quae nobis non conferuntur ,et possunt revocari ad *scientiam* quae perficiebat animam, ad *immortalem* quae corpus servabat, ad *integritatem* quae ordinabat compositum. Qua ratione haec dona integrarent statum originalis iustitiae disputatur: P. LOMB., A. MAGNUS et SCOTUS[1] docent fuisse data Adamo ante gratiam sanctificantem, cui *ab extrinseco,* h. e. ex speciali Dei providentia, conjuncta fuerunt[2]; S. THOM., quem sequuntur BELLAR.

---

c. 11; *De spir. et anima* c. 10; CYRIL. Alex *in Joan.* II c. 1; MAX. *De carit. cant.* 3 n. 25.

[52] CYRILL. Alex in *Joan.* II c. 3; LEO M. *De jejun. dec. mens.* serm. 1 c. 1; DAMASC. *De fide orth.* II c. 30.

[53] CYPR. *De bono pat.* c. 19.

[54] BASIL. *Serm. Ascet.* n. 1; IREN. *Adv. haer.* III c. 23 n. 5; AUG. *De Gen. ad Litt.* VI c. 24.

[55] Supra n. 546.

[56] Supra n. 509.

[1] PETR. LOMB., *II Dist.* 24; ALB. M. et SCOT. in com. *h. l.*

[2] Etiam PALM. consentit p. 431-2.

et SUAREZ [3], aestimat etiam *ab intrinseco* illi adhaesisse quasi ejus complementum seu perfectionem, nec in meris auxiliis constitisse sed in habitualibus quibusdam dispositionibus.

551. **Quid donum integritatis.** Erat nobilissimum inter dona justitiae originalis, eoque pars inferior seu animalis subdebatur superiori. Ut alias [4] vidimus, ex substantiali unitate humani compositi sequitur quaedam harmonia nostrarum potentiarum, qua sensus inservit intellectui, et ratio (seu melius voluntas rationalis) principatur operationibus sensitivis; at hujusmodi principatus non est *dispoticus*, et operatio sensitiva saepe praevenit imperium rationis eique nonnumquam resistit: in statu justitiae originalis Deus huic insubordinationi occurrerat DONO INTERITATIS, quo « omnes *motus animi* atque *appetitiones*, ita temperaverat, ut rationis imperio numquam non parerent » [5]. Porro subordinationem FACULTATUM SENSITIVARUM ne cogites quasi mens sine phantasmatibus intellexerit; hoc enim sequitur naturam animae nostrae, et aderat in statu innocentiae [6]: sed tunc *sensibilia* erant tantum *media* et non *regula* seu norma cognitionis intellectivae, quae sine similitudinibus corporeis facillime spiritualia scrutabatur; *concupiscentia* vero non movebatur directe a sensibili cognitione, ex qua sequitur ut saepe contra rationem insurgat, sed directe et dispotice regebatur a ratione [7]. Quod attinet ad MOTUS ANIMI nota in uno eodemque intellectu [8] (secundum differentiam objectorum) theologos distinguere partem *superiorem* et *inferiorem*: illa est intellectus prout in *practicis* curat electionem finis et in *speculativis* attendit rerum ordinem ad supremam causam quae est Deus; haec est intellectus prout in *practicis* curat electionem mediorum et in *speculativis* res considerat per ordinem ad rationes temporales, puta quod aliquid sit superfluum vel diminutum, utile vel honestum, etc. [9]. Jamvero donum integritatis non subordinabat

[3] S. THOM. 1 p. q. 95 a. 1; *Cg.* IV c. 52; BELLARM. *De Grat. primi hom.* c. 30; SUAREZ *De oper. sex dier.* III c. 20 n. 21-3. Consentit MAZZELLA 661; PESCH n. 197-8.

[4] Supra n. 489.

[5] CATECH. ROM. p. 1 c. 2 n. 19.

[6] S. THOM. 1 p. q. 94 a. 2; 101 a. 1 et 2.

[7] BILLOT *De Sacr.* I p. 40-1.

[8] Cum pars *superior* et *inferior* non in intellectu seu ratione attenditur sed in *homine*, diversitatem etiam potentiarum signat, et *rationem* opponit *concupiscentiae*. S. THOM. 1-2 q. 30 a. 1; 31 a. 5; 59 a. 5; *De Verit.* 25 a. 4; etc.

[9] S. THOM. *II Dist.* 21 q. 2 a. 3 ad 6; *Dist.* 24 q. 2 a. 2. Cf. Opusc. meum *De natura et remiss. peccati* n. 223.

tantum appetitum sensitivum rationi, sed etiam rationem inferiorem superiori, quatenus « in statu innocentiae... erat infallibilis ordinis firmitas, ut semper inferius contineretur sub superiori, quamdiu summum hominis contineretur sub Deo, ut etiam AUG. [10] dicit » [11].

552. **Integritatis corollaria.** Tria sunt praecipua corollaria doni integritatis : *a) pax et tranquillitas animi, b)* immunitas a peccatis quae ex corpore oriuntur, ut *luxuria, gula, furor,* etc. et *c)* praeservatio *a peccatis venialibus.* Profecto — *a)* lucta sequitur multitudinem imperantium ; unde, cum in praesenti potentiae sensitivae moveantur a ratione simul et a sensu, in nobis *caro concupiscit adversus spiritum* [12], et adsunt timores irrationales, spirituum commotio, phantasiae perturbatio et aestus passionum nos undique agitantium : in statu originalis justitiae nil horum aderat ; nam « caro concupiscit adversus spiritum per hoc quod passiones rationi repugnant » : atqui hoc « in statu innocentiae non erat » [13] : ergo tunc fuit summa *pax et tranquillitas* spiritus [14]. — *b)* In praesenti appetitus sensitivus praevenit imperium rationis, et ideo moveri potest in bonum irrationale cui, si voluntas consentiat, peccat : at in statu innocentiae appetitus sensitivus subdebatur dispotico imperio voluntatis, quae per se in bonum materiale sibi repugnans moveri nequit : ergo tunc *nullum peccatum carnis* fuit possibile. « Manifestum est, inquit S. THOM., quod primo invenitur inordinatio in motu interiori animae, quam in actu exteriori corporis... Inter motus autem interiores prius movetur appetitus in finem, quam in id quod quaeritur propter finem : et ideo ibi fuit primum peccatum hominis, ubi potuit esse primus appetitus inordinatus finis. Sic autem homo erat in statu innocentiae institutus, ut nulla esset rebellio carnis ad spiritum. Unde non potuit esse prima inordinatio appetitus humani ex hoc quod appetierit aliquod sensibile bonum, in quod carnis concupiscentia tendit praeter ordinem rationis » [15]. — *c)* Peccatum veniale est deordinatio circa medium salva ordinatione in finem [16], unde importat insubordinationem rationis inferioris ad superiorem : atqui in statu innocentiae pars inferior superiori necessario subdebatur : ergo in statu innocentiae *nullum fuisset peccatum veniale.* « Peccatum veniale, inquit S. THOM., in nobis contingit vel propter imperfectionem actus, sicuti subiti motus in genere peccatorum mortalium, vel propter inordinationem existentem circa ea quae sunt ad finem,

---

[10] AUG. *De Civ. Dei* XIV c. 13.

[11] S. THOM. 1-2 q. 89 a. 3 ; 1 p. q. 95 a. 1.

[12] Galat. **5**. 17 ; Rom. **7**. 23.

[13] S. THOM. 1 p. q. 95 a. 2 ad 1 ; a. 3 ad 2.

[14] Cf. S. THOM. 1 p. q. 95 a. 2 a. 3 ; *De Verit.* q. 28 a. 8 in fine et ad 6.

[15] S. THOM. 2-2 q. 163 a. 1.

[16] S. THOM. *II Dist.* 42 q. 1 a. 3 ad 5.

servato debito ordine ad finem. Utrumque autem horum contingit propter quemdam defectum ordinis, ex quo inferius non continetur firmiter sub superiori... In statu autem innocentiae... erat infallibilis ordinis firmitas, ut semper inferius contineretur sub superiori, quamdiu summum hominis contineretur sub Deo... Ex quo patet quod homo in statu innocentiae non potuit peccare venialiter » [17].

553. **Errores — Veritas.** *Donum* integritatis negarunt PELAGIANI aestimantes homines nunc nasci sicut Adam creatus est : *supernaturalitatem* illius doni impugnarunt REFORMATORES cum BAJO, JANSENIO et QUESNELLO fomitem concupiscentiae habentes uti corruptionem naturae [18]. **Veritas.** *Existentia integritatis* indirecte saltem est proposita a CONC. TRID. cum docuit concupiscentiam ab Apostolo vocari peccatum quia *a peccato est* [19], quod profecto supponit in Adamo non fuisse : *supernaturalitas* hujus doni continetur in cond. BAJI : « Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio » [20].

THES. 57. *Protoparentes — 1 a Deo receperunt donum integritatis — 2 quod est indebitum humanae naturae.*

554. **Prima pars.** *Protoparentibus Deus largitus est donum integritatis.* **Ex Scripturis** [21]. *Erat uterque nudus, Adam scil. et uxor ejus, et non erubescebant* [22]. ARGUM. 1 Profecto *erubescentia* est « timor de committenda turpitudine opinionem laedente » [23], et excitatur cum aliquid apprehenditur ut dedecens simul et inclinans, nempe uti occasio seu periculum mali maxime moralis; *non erubescentia* ergo protoparentum in statu nuditatis oriebatur *a)* vel ex *absoluta ignorantia* eorum quae ad incontinentiam pertinent, *b)* vel ex *summa corruptione,* qua inordinatos motus concupiscentiae et actus impudicos non reputabant turpes, *c)* vel denique ex *immu-*

---

[17] S. THOM. 1-2 q. 89 a. 3.

[18] Supra n. 544.

[19] CONC. TRID. sess. V cn. 5.

[20] PIUS V cond. prop. 26 *Baji.*

[21] Argumentum deducitur etiam ex Eccle. 7. 30, ubi dicitur quod Deus *fecit hominem rectum et ipse se infinitis miscuit quaestionibus*; licet enim ignoremus de quibus *quaestionibus* loquatur Salomon (A LAPIDE multipliciter explicat), certum est agere de miseriis hujus vitae quarum praecipua est concupiscentia.

[22] Gen. 2. 25. Testimonium est historicum siquidem decr. COM. BIBL. *30 Jun.* 1909 ad 3 inter cetera, quae sensu litterali- historico sunt sumenda, enumerat « originalem protoparentum felicitatem in statu *justitiae, integritatis et immortalitatis* ».

[23] S. THOM. 1-2 p. q. 41 a. 4.

nitate a concupiscentia, qua removebatur *timor* de committenda turpitudine opinionem laedente, prout timor « est de futuro malo quod excedit potestatem timentis » [24], et dono integritatis arcebatur hoc periculum, imo possibilitas ipsa inordinati motus concupiscentiae : atqui protoparentum *non erubescentia* in statu nuditatis non debebatur *ignorantiae,* quia erant adulti, et conscii legis conjugii [25]; non debebatur *corruptioni,* quia erant recti seu sancti [26] : ergo debebatur dono integritatis. ARGUM. 2. Commisso peccato, *aperti sunt oculi amborum : et cum cognovissent se esse nudos consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata* [27]; Deus autem exprobrans Adamo dixit : *Quis indicavit tibi quod nudus esses nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti ?* [28]. In his testimoniis concupiscentia ponitur poena peccati : atqui poena ante culpam non infligitur : ergo. PROB. MAJ. Nam *aperitio oculorum* et *cognitio nuditatis* non possunt intelligi sensu physico, siquidem ante peccatum Adam et Eva habebant oculos ad videndum et mentem ad cognoscendum; « aperti sunt (igitur eorum oculi) ad aliquid intuendum et cogitandum quod antea numquam adverterant, scil. ad *invicem concupiscendum,* quod antea non fuerat » [29] : Porro notitiam rebellionis carnis proponi tamquam poenam peccati, manifestum est; siquidem *aperitio oculorum* conjungitur enarrationi transgressionis protoparentum part. *et* quae nexum causalitatis praesefert, et Deus notitiam nuditatis tribuit comestioni ligni prohibiti [30]. — Etiam **Patres** *a)* docent quod protoparentes ante peccatum « quasi angeli versabantur in paradiso, non concupiscentiis flagrantes, non ab aliis affectionibus infestati » [31], quia primus homo « sicut nullam in anima poterat sentire esuriem, ita etiam omnem, quae ex carne nascitur, ignorabat passionem » [32] : *b)* hanc vero doctrinam, quam eruunt ex Scripturis [33], tam manifestam

[24] S. THOM. *l. c.*

[25] Gen. **2**. 22-4.

[26] Supra n. 548.

[27] Gen. **3**. 7.

[28] Gen. **3**. 11.

[29] AUG. *De Gen. ad Litt.* IX c. 31. Adde homini subjecto concupiscentiae, cognitionem turpitudinis incontinentiae esse bonum, quod rationem poenae non induit : atqui, ut mox probamus, cognitio turpitudinis concupiscentiae effertur poena peccati : ergo.

[30] *Quis indicavit...* NISI QUOD *ex ligno comedisti ?* Gen. **3**. 11.

[31] CHRYS. in *Gen.* hom. 15 n. 4.

[32] GREG. M. proëm. in *Ps.* **3** *poen.;* AUG. *De Civ. Dei* XIV c. 9-11; 17; *De Gen. ad litt.* XI c. 1 sqq.; *C. Jul.* IV c. 16; *De nup. et conc.* etc.; FULG. *De ver. praed. et grat.* III c. 16 n. 25; DAMASC. *In fic. aref.* n. 3; *De fide orth.* II c. 30.

[33] AUG. *De Gen. ad litt.* XI c. 1; CHRYS. in *Gen.* hom. 15 n. 4.

habent, ut aliquando exagerando dicant protoparentes ante peccatum ignorasse matrimonium [34] nuptiasque esse inductas ob Adami iniquitatem [35]. — **Ratio** apodictica non datur [36], « sed tamen si quis recte considerat, satis *probabiliter* poterit aestimare, divina providentia supposita, quae singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, quod Deus superiorem naturam inferiori ad hoc conjunxit ut ei dominaretur, et, si quod hujus dominii impedimentum ex defectu naturae contingeret, ejus speciali et supernaturali beneficio tolleretur » [37]. Hinc AUG. ex magnitudine malorum, quibus in ordine physico et morali praemimur, existentiam originalis peccati contra Julianum arguebat [38].

555. **Secunda pars.** *Donum integritatis erat indebitum.* **Ex Scripturis.** Nam ex simplici testimoniorum lectione apparet agi de dono extraordinario quod, sicut sola Dei benevolentia est inductum [39], ita sola gratia reparatur [40] : atqui quod privilegio obtinetur et gratia reparatur est indebitum : ergo. **Patres** *a)* docent « hominem *sua essentia* perturbationibus obnoxium esse » [41], « concupiscentiae radicem habere *a natura* principium » [42], et « pertinere affectiones (inordinatas) *ad naturam* » [43] ; unde *b)* immunitatem a fomite concupiscentiae habent dotem corporis glorificati [44], quam *c)* in Adamo [45], non secus ac in Cristo [46], deducunt *ex benevolentia* et *gratia* Dei. **Ratio.** Cum enim cognitio intellectualis incipiat a

---

[34] IREN. *Adv. haer.* III c. 32 n. 4.

[35] ATHAN. in *Ps.* **50**. 7 ; DAMASC. *De fide orth.* II c. 11 ; IV c. 25 ; GREG. Nyss. *De opif. hom.* c. 17. *NB.* Ante peccatum esse institutum matrimonium constat ex Gen. **2**. 22-4, et probatur a S. THOM. 1 p. q. 98 a. 1 et 2.

[36] Nam agitur de dono gratuito.

[37] S. THOM. *Cg.* IV c. 52.

[38] AUG. *c. Jul.* IV c. 16 n. 79.

[39] Nam in Gen. **2**. 25 exibetur tamquam res extraordinaria, Gen. **3**. 11-21 conjungitur dono immortalitatis et Eccle. **7**. 30 sub ratione *rectitudinis,* quae est per gratiam, effertur.

[40] *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* (h. e. de concupiscentia) ? *Gratia Dei per J. C. D. N.* Rom. **7**. 24-5.

[41] CLEM. Alex. *Strom.* IV.

[42] CHRYS. hom. 19 *ad pop. Antioc.*

[43] MAXIM. M. *Cent.* 2 c. 20 *De Virt. et Vit.;* NEMES. phil. *De Nat. hom.* c. 1 ; DAMASC. *De fide orth.* III c. 20. Hinc AUG. (*C. Jul.* V c. 5) irridet quosdam haereticos qui, ne Deum facerent causam concupiscentiae, dicebant « a lumbis usque ad pedes diabolum fecisse corpus hominis ».

[44] AUG. *ad Marc.* epist. 145.

[45] AUG. *De Gen. c. Manich.* II c. 16 ; *De Lib. Arb.* III c. 20 ; CHRYS. in *Gen.* hom. 16.

[46] CLEM. Alex. *Pedag.* I c. 2 ; DAMASC. *De fide orth.* III c. 20.

sensu, connaturale est homini ut appetitus sensitivus praeveniat voluntatem : atqui in hac praeventione et consequenti inobedientia consistit concupiscentia [47]. Ergo.

ART. 3 - DE DONO IMMORTALITATIS.

556. **Quae protoparentum immortalitas.** Immortalitatis donum non consistebat in solo *facto* transitus ad aeternam vitam, non gustata morte, quod probabiliter eveniet etiam sanctis in fine mundi [1]; sed in *jure* seu melius *impossibilitate* moriendi [2]. Porro tripliciter intelligitur impossibilitas moriendi : « *ex parte materiae,* eo quod vel non habet materiam sicut angelus, vel habet materiam, quae non est in potentia nisi ad unam formam, sicut corpus coeleste [3]... ; *ex parte formae,* quia rei corruptibili per naturam inhaeret aliqua dispositio, per quam totaliter a corruptione prohibetur, et hoc dicitur incorruptibile secundum gloriam ; *ex parte causae efficientis,* et hoc modo homo in statu innocentiae fuisset incorruptibilis et immortalis... Non enim corpus ejus erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed inerat animae vis quaedam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione praeservare, quamdiu ipsa Deo subjecta mansisset » [4].

557. **Quae immortalitatis causae.** « Incorruptio et immortalitas corporis Adae principaliter veniebat ab *anima,* sicut a continente et influente ; a *corporis* bona et aequali complexione, sicut a disponente et suscipiente ; a *ligno* autem, sicut a vegetante et adminiculante ; a *regimine* vero *divinae providentiae,* sicut interius conservante et exterius protegente » [5]. MORS VIOLENTA arcebatur *bona dispositione* corporis cujusvis infirmitatis expertis, *sapientia* et *rectitudine* Adami qui nec fluminibus, nec flammis, nec abyssis se praecipitem dare poterat, atque *providentia* Dei terremotus, fulgura, tempestates, etc. impediente vel prohibente nocere hominibus. MORS NATURALIS ordinarie removebatur *cibo* [6] ; produxerat enim Deus de humo omne lignum pulchrum visu et

---

[47] Supra n. 489.

[1] Cf. 1 Thess. **4**. 16. CORNELY in *1 Corinth.* p. 509.

[2] S. THOM. *II Dist.* 19 q. 1 a. 2.

[3] Omnes modo sciunt corpora coelestia iisdem constare elementis quibus terra nostra resultat.

[4] S. THOM. 1 p. q. 97 a. 1.

[5] BONAV. *Brevil.* II c. 10.

[6] S. THOM. 1 p. q. 97 a. 1.

ad vescendum suave, praecipiens protoparentibus ut comederent [7]: extraordinarie *ligno vitae* quod Deus plantaverat in medio paradisi [8]. De virtute hujus ligni disputant auctores. *a) Quoad originem* SUAREZ et PERERIUS censent vim conferendi immortalitatem arbori vitae fuisse *naturalem*, BONAVENTURA e contra fuisse *supernaturalem: b) quoad efficaciam* BELLARMINUS aestimavit tam absolutam, ut, semel sumptus, induxisset perfectam immortalitatem; SCOTUS ex opposito tenet vim habuisse ad servandam vitam pro aliquo tempore, quo transacto, Deus in beatam immortalitatem hominem recepisset [9]; S. THOM., media via incedens, docet lignum vitae restituisse juventutem *illimitate* quoad numerum comesturarum, *limitate* quoad effectum uniuscujusque; scil. « habebat virtutem fortificandi virtutem speciei contra debilitatem provenientem ex admixtione extranei. Unde AUG. dicit [10] quod « cibus aderat homini, ne esuriret; potus, ne sitiret; et lignum vitae ne senectus eum dissolveret. » ...Non tamen simpliciter immortalitatem causabat... quod ex hoc patet quia virtus cujuscumque corporis est finita. Unde non poterat virtus ligni vitae ad hoc se extendere ut daret corpori virtutem durandi tempore infinito, sed usque ad determinatum tempus...; quo finito, vel homo translatus fuisset ad spiritualem vitam, vel indiguisset iterum sumere de ligno vitae » [11].

558. **De impassibilitate.** Impassibilitas erat corollarium immortalitatis; « ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud quam quaedam prolixitas mortis? » [12] Revera mors est effectus ultimae infirmitatis quae malis vitae praevenitur et praeparatur; in paradiso ergo voluptatis, ubi mors non regnabat, mala locum invenire nequibant. « Quid, inquit AUG., timere vel dolere poterant homines in tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo, nec aberat quidquam, quod bona voluntas concupisceret, nec inerat, quod carnem animamve hominis feliciter viventis offenderet? » [13]. Verum « passio dupliciter dicitur: uno modo proprie, et sic pati dicitur quod *a sua naturali dispositione removetur*... alio modo... communiter *secundum quamcumque mutationem*, etiamsi pertineat ad perfectionem naturae, sicut intelligere vel sentire dicitur pati quoddam. Hoc igitur

---

[7] Gen. **2**. 9; 16.

[8] Gen. **2**. 9; **3**. 22.

[9] Apud *Mazzella* 762; *Pesch* n. 205.

[10] AUG. *De Civ. Dei* XIV c. 26.

[11] S. THOM. 1 p. q. 97 a. 4. Cf. etiam A. CELLINI *La Bib. e la Filos. nella risur. dei mor.* in *Scuola* Apr. 1910.

[12] GREG. M. in *Evang.* hom. 37.

[13] AUG. *De Civ. Dei* XIV c. 10; c. 26; CHRYS. in *Gen.* hom. 16. De hac impassibilitate memoria extat in mythis de *aurea aetate*, apud omnes populos celebratis. Cf. VIRGIL. *Georg.* I; OVID. *Metamorph.* I; PALMIERI p. 430-1; MAZZELLA 792-4; PESCH 217-22.

secundo modo homo in statu innocentiae passibilis erat et patiebatur, et secundum animam et secundum corpus; primo autem modo erat impassibilis et secundum animam, et secundum corpus, sicut et immortalis » [14]. Erat igitur in statu innocentiae *intellectio a sensibus derivata,* sed sensibus non subordinata; erat *appetitus sensitivus* animae inserviens in operationibus compositi, sed contra spiritum non reluctans [15]; erat *somnus* sine lassitudine, erat *fames* et *sitis* sine molestia, erat *opus* sine labore. Haec autem perfecta sanitas obtinebatur divina *providentia* qua omnia subjiciebantur homini, copia *ciborum* quibus protoparentes abundabant, *sapientia* qua utilia ad vitam agnoscebant, *sanctitate* qua a creaturarum abusu servabantur [16].

559. **Errores — Veritas.** *Immortalitatem* protoparentum negarunt PELAGIANI, *supernaturalitatem* eius CALVINISTAE, BAJUS et JANSENIUS [17]. **Veritas** contra primos est definita in CONC. MILEV.: « Quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore... necessitate naturae, a. s. » [18]; contra alios prostat in condem. pr. BAJI: « Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio » [19].

THES. 58. *Protoparentes — 1 donati sunt immortalitate — 2 quod fuit donum praeternaturale.*

560. **Prima pars.** *Protoparentes immortales creati sunt a Deo.* **Ex Scripturis.** Nam in Gen. *mors physica* exhibetur ut sanctio legis seu poena a Deo prius comminata [20], et dein protoparentibus inflicta [21], ob transgressionem praecepti de non comedendo ligno scientiae boni et mali: atqui naturalis conditio naturae constitui nequit sanctio legis: ergo. PROB. MAJOR. Licet enim verbum *mors* in Scripturis dicatur etiam de *peccato,* et de *aeterna damnatione* [22],

---

[14] S. THOM. 1 p. q. 97 a. 2.

[15] BILLOT *De Sacr.* I p. 40-1.

[16] Ex defectu alimentorum vel ex nimio cibo et potu quasi ex communi radice fere omnes infirmitates oriuntur.

[17] Supra n. 544; HERGENR. II p. 275. Quoad modernistas vide ARM. DELLA FEDE 10 Sett. 1907 p. 151.

[18] CONC. MILEV. II cn. 1; ARAUS. II cn. 2; TRID. Sess. V cn. 1.

[19] PIUS V cond. pr. 78 *Baji;* PIUS VI cond. pr. 17 *Synod. Pistor.*

[20] *De ligno scientiae boni et mali ne comedas: in quacumque* ENIM *die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. **2.** 17.

[21] *Quia... comedisti de ligno, ex quo, praeceperam tibi, ne comederes... in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Gen. **3.** 17.

[22] CORNELY in *Rom.* **5.** 12 p. 278.

in nostro tamen testimonio exclusive vel saltem praecipue intelligi debet de *morte corporis, a)* quia hic est vocis sensus communior et obvius, praesumendus in comminatione legis, *b)* quia in tota legislatione mosaica *mors,* cum de sanctione agitur, sumitur de morte corporali, *c)* quia in damnatione ad poenam comminatam Deus locutus est de resolutione in pulverem quae profecto in morte corporis contingit, et *d)* quia Apostolus mortem per Adae transgressionem inductam exhibet *effectum* et *visibile signum* peccati [23], comparatque poenae mortis comminatae in lege Moysis [24]. Non agi vero de sola circumstantia temporis vel modi (puta mortis subitaneae vel violentae) [25], sed de ipsa substantia facti, apparet ex forma absoluta comminationis [26], ab Eva revocata in disputatione cum serpente [27], et ex modo quo est inflicta [28]; unde « SYMMACUS vertit θνητὸς ἔσῃ, i. e. *mortalis* eris » [29], et PS. JONAT. ac TARG. HIER.: *reus eris mortis* » [30]. PROB. MIN. Nam poena comminatur ad observantiam legis urgendam: atqui nemo abstinet a violatione legis timore poenae quam aeque incurreret observando: ergo [31].

---

[23] *Per peccatum mors.* Rom. **5**. 12. Causam et signum ab effectu et signato distingui manifestum est.

[24] *Usque ad legem... peccatum non imputabatur* (ad mortem), *cum lex* (comminans mortem) *non esset; sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen.* Rom. **5**. 13-4. « Mortem, inquit CORNELY in *h. l.,* hic non *spiritualem,* qua anima gratia justificante privatur, neque directe *aeternam,* quae damnatos spectat quamque S. Joannes *secundam* appellat; sed *physicam,* qua anima a corpore separatur, intelligendam esse, inde a S. AUG. et CHRYS. aetate plerique recte tenent, quoniam Apostolus non solum ad Gen. (**2**. 17 et **3**. 17) aperte alludit, sed etiam statim (vv. 13, 14) ex physica mortis universalitate universalitatem peccati originalis demonstrat. Libenter tamen aeternam connotari concedimus, quia id contextus postulare videtur; regnum enim mortis per Adami delictum introductae mox regno vitae per Christum allatae opponitur ». CORNELY *in Rom.* l. c. p. 278.

[25] HUM. *in Gen.* p. 141 comminationem explicat de morte illico secutura, quam Deus « mox benignius exequi differt »; sed de morte *statim infligenda* non loquitur Genesis, siquidem ly *in quocumque die* refertur ad comestionem, qua statim ablatum est donum immortalitatis, et mors intravit in mundum. Cf. AUG. *De Civ. Dei* XIII c. 23 n. 1.

[26] *Morte morieris.*

[27] *Ne forte moriamur — nequaquam morte moriemini.*

[28] DONEC *revertaris in terram de qua sumptus es.*

[29] A LAPIDE *in Gen.* **2**. 17 cum HIER., AUG., THEOD.

[30] Apud HUM., p. 141.

[31] Ne objicias mulierem etiam ante peccatum subjectam fuisse homini (1 Corinth. **11**. 7-9), et tamen (Gen. **3**. 16) in poenam peccati ei subijci; agitur enim de duriore subjectione, quae saepe in servitutem transiit.

Accedunt alia testimonia, nam SAPIENTIA ait : *Deus creavit hominem inexterminabilem..., invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum;* ECCLI. : *A muliere initium factum est peccati et per illam omnes morimur;* et APOSTOLUS : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors* [32]. — **Patres** *a)* affirmant « ab initio hominem incorruptibilem et immortalem factum fuisse » [33], siquidem « Deus mortem non fecit » [34], sed « homo sua inobedientia mortem sibi adscivit » [35] : *b)* immortalitatem vero Adami explicant non ab intrinseco, quasi *non posset mori,* sed ab extrinseco, quia Dei gratia poterat non mori [36]; « si enim Deus Israëlitarum vestimentis et calceamentis praestitit quod per tot annos non sunt obrita, quid mirum si obedienti homini ejusdem potentia praestaretur... a mortalitate ad immortalitatem, sine media morte venturus? » [37]. — **Ratio** congruentiae, petitur ex natura animae quae, corporis forma, ex unione ad corpus perfectionem mutuatur; unde sicut ei convenit creari cum corpori infunditur [38], et, supposita morte, resurgere [39]; ita ei congruit non mori : quare, cum initio perfectissima creata est, corpori immortali uniri decuit.

561. **Secunda pars.** *Protoparentum immortalitas fuit donum gratuitum.* Nota imprimis, non obstare gratuitati immortalitatis quod mors in **Scripturis** dicatur poena, quae invidia diaboli et malitia hominis est inducta; poena enim non infligitur tantum impositione oneris, sed etiam subtractione doni, ceteroquin indebiti; ut patet de principe foedifrago qui a principatu, benevolentia regis gratuito accepto, rejicitur. — Porro **Patres** cum CYRIL. docent quod « homo est rationale quaedam animal, compositum ex anima nimirum et hac fragili atque terrena carne... *non habens ex propria natura incorruptionem et immortalitatem* » [40]. Hinc damnant eos qui « ajunt mortalibus deberi immortalitatem » [41]; « non enim pote-

---

[32] Sap. **2**. 23-4; Eccli. **25**. 33; Rom. **5**. 12.

[33] CHRYS. *in Gen.* hom. 15; TATIAN. *C. Graec.* c. 7.

[34] AMBR. *De bon. mort.* c. 4; AUG. *De Civ. Dei* XIII c. 15.

[35] THEOPH. *ad Autol.* II c. 27; TAT. *l. c.* CYPR. *De bono pat.* n. 11-19; ATHAN. *de Verb. Inc.* n. 3.

[36] ATHAN. *De Verb. Inc.* n. 5; AUG. *De Gen. ad Litt.* VI c. 25; *C. Julian.* op. imp. VI c. 12.

[37] AUG. *De pecc. mer. et remiss.* I c. 3.

[38] Supra n. 476.

[39] S. THOM. *Cg.* IV. c. 79; 81.

[40] CYRIL. Alex in *Joan.* I c. 15.

[41] DIONYS. *De div. nom.* c. 8.

ramus aliter incorruptelam et immortalitatem percipere, nisi adunati fuissemus incorruptelae et immortalitati »[42] : homines quippe « secundum naturam corruptibiles, *gratuita* tamen communione Verbi *vitium illud naturae,* si boni permassissent, evasuri fuisset »[43]. — **Ratio** est manifesta, nam « materia hominis est corpus tale, quod est ex contrariis compositum, ad quod sequitur ex necessitate corruptibilitas : et quantum ad hoc *mors est homini naturalis*... quia oportebat corpus humanum esse organum tactus, et per consequens medium inter tangibilia; et hoc non poterat esse, nisi esset ex contrariis compositum »[44].

ART. 4 - DE SCIENTIA ORIGINALIS JUSTITIAE.

562. **Adam habuit excellentissimam scientiam.** Nam *formatis, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus coeli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animae viventis ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia coeli, et omnes bestias terrae*[1]. Jamvero patet *nomina* non posse multiplicari si res ab invicem non distinguuntur, nec *propria* seu convenientia imponi si rerum essentiae et operationes ignorantur. Licet ergo ex nominum impositione non sequatur Adamum habuisse cognitionem anatomicam omnium animalium, nec omnium specierum philosophicam distinctionem, quippe nomina « ex forma, indole et usu » solent imponi[2]; sequitur tamen habuisse claram et distinctam notitiam omnium rerum. Hinc AUG. dicit impositionem nominum « excellentissimae fuisse indicium sapientiae (Adae)...; nam ipse Pythagoras, a quo philosophiae nomen exortum est, dixisse fertur illum fuisse omnium sapientissimum, qui vocabula primus indidit rebus »[3]. Rationis argumentum S. THOM. desumit ex notione *capitis;* etenim, « quia res primitus a Deo institutae sunt, non solum ut in seipsis essent, sed etiam ut essent aliorum principia, ideo productae sunt in statu

---

[42] IREN. *Adv. haer.* III. 19.

[43] ATHAN. *De Inc. Verb.* n. 5; CYRIL. *C. Jul.* VIII.

[44] S. THOM. 2-2 q. 164 a. 1 ad 1; 1 p. q. 76 a. 5; ARIST. *De Anima* II text. 3 sq.

[1] Gen. 2. 19-20.

[2] HUM. in *Gen.* p. 143.

[3] AUG. *C. Jul.* opus imper. V c. 1; CLEM. Alex. *Eglog.* n. 32; CHRYS. in *Gen.* hom. 15 n. 4; CYRIL. Alex. in *Joan.* I c. 9.

perfecto, in quo possent esse principia aliorum. Homo autem potest esse principium alterius, non solum per generationem corporalem, sed etiam per instructionem et gubernationem. Et ideo sicut primus homo instructus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut statim posset generare, ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere et gubernare. Non potest autem aliquis instruere, nisi habeat scientiam. Et ideo primus homo sic institutus est a Deo, ut haberet omnium scientiam in quibus homo natus est instrui » [4].

563. **De qualitatibus scientiae Adae.** Scientia Adae a nostra distinguebatur ratione *temporis,* ratione *objecti,* ratione *perfectionis,* et ratione *modi* quo habuit. Et primo quidem scientia Adae fuit nostra perfectior RATIONE TEMPORIS; nos enim ab absoluta ignorantia, in qua nascimur, paullatim scientiam acquirimus; Adam, ut modo audivimus a S. Thoma, creatus est in plenitudine aetatis et scientiae. QUOAD OBJECTUM, Adam non cognoscebat Deum intuitive [5], neque scrutabatur secreta cordium et futura contingentia [6], sed angelos [7] et essentiam animae [8] melius quam nos agnoscebat; perfecte autem intelligebat omnia principia ordinis speculativi et pratici, necnon physici et moralis cum suis conclusionibus; « unde quidquid umquam homo aliquis... naturali ingenio assequi potuit, hoc totum Adam naturali cognitione habitualiter scivit »; quae vero erant ordinis supernaturalis, Adam cognoscebat « quantum sibi divinitus revelabatur » [9]. QUOAD PERFECTIONEM, scientia Adae erat sine errore; nam « quamdiu anima manebat Deo subjecta, tamdiu in homine inferiora superioribus subdebantur, nec superiora per inferiora impediebantur. Manifestum est autem quod intellectus circa proprium objectum semper verus est: unde ex seipso numquam decipitur. Sed omnis deceptio accidit, in intellectu ex alio inferiori, puta phantasia. vel aliquo hujusmodi... Unde manifestum est quod rectitudo

---

[4] S. THOM. 1 p. q. 94 a. 3.

[5] S. THOM. 1 p. q. 94 a. 1; 95 a. 3; *De Veritate* q. 18 a. 1; a. 2.

[6] S. THOM. 1 p. q. 94 a. 3; *De Verit.* q. 8 a. 12 ad 9.

[7] S. THOM. 1 p. q. 94 a. 2.

[8] S. THOM. *De Verit.* q. 18 a. 5 ad 9.

[9] S. THOM. *De Verit.* q. 18 a. 4. *NB.* Quamvis S. THOM. dicat scientiam Adami tam fuisse perfectam ut comprehenderit omnia quae naturali virtute possunt cognosci, atque ideo nec proficere potuisse quoad numerum scitorum (1 p. q. 94 a. 3; ad 1; 101 a. 1 ad 1; *II Dist.* 32 q. 2 a. 2; *De Verit.* q. 18 a. 3; a. 4; a. 5); quia tamen plura non erant Adae necessaria uti capiti humanitatis, nec conveniebat humanitatem in exordio terminum suae perfectionis attingere, merito PESCH n. 212 negat Adamo cognitionem telegraphiae, machinarum vaporatarum, calculi integralis, etc.

primi status non patiebatur aliquam deceptionem circa intellectum » [10]. Quod attinet ad MODUM assecutionis, Adam habuit quidem scientiam *acquisitam,* quam phantasmatum abstractione e rebus sensibilibus intellectus humanus deducit [11], sed « in ipsa sua conditione » [12] accepit a Deo etiam *infusam per accidens* [13] quae, ab acquisita specie non distans, in usu a phantasmatibus pendebat [14].

564. **Quae scientia filiorum Adae in statu originalis justitiae.** Cum perfectio scientiae Adae fundaretur in munere *capitis,* in filios venire non debebat; et ideo licet filii Adae immunes fuissent ab erroribus [15], non habuissent tamen scientiam infusam, « sed eam in processu temporis absque difficultate acquisivissent inveniendo, vel addiscendo » [16]; « pueri (autem)... non habuissent perfectum usum rationis, sicut habituri erant in perfecta aetate » [17].

ART. 5 - DE PECCATO ADAE.

565. **Quid peccatum.** In generica sua ratione peccatum est *actus a fine sibi debito deficiens* [1]; quia ergo inter omnes fines praecipuus est ultimus, quippe ejus consecutione homo fit simpliciter bonus ac beatus, et ejus amissione constituitur simpliciter malus et infelix; peccatum *stricte* sumptum in re morum habet locum, et est *defectio a debita ordinatione in ultimum finem* [2]. Verum duplex intelligitur deordinatio a fine ultimo; altera *absoluta* et perfecta qua homo simpliciter recedit seu avertitur ab illo, altera *imperfecta* et secundum quid qua, servato ordine ad ultimum finem, appetit

---

[10] S. THOM. 1 p. q. 94 a. 3; *De Verit.* q. 18 a 6. — Neque objicias Evam deceptam esse a serpente et Adam Evae cessisse, quia « seductio mulieris, etsi praecesserit peccatum operis, subsecuta tamen est peccatum internae elationis » (S. THOM. 1 p. q. 94 a. 4 ad 1); perfectio vero scientiae, etsi difficilior reddat peccatum, libertatem et consequentem possibilitatem peccandi non aufert.

[11] S. THOM. 1 p. q. 94 a. 3 ad 3.

[12] S. THOM. *l. c.; De Verit.* q. 18 a. 4.

[13] Scientia *per se infusa,* quae specifice differt ab acquisita, et habetur speciebus independentibus a phantasmatibus, fuit quidem in Christo quia caput angelorum et quia in *termino,* sed non conveniabat Adamo qui erat *in via,* et constitutus fuerat magister eorum qui scientiam tantum acquisitam habituri erant.

[14] S. THOM. 1 p. q. 94 a. 2 c.

[15] S. THOM. 1 p. q. 94 a. 2

[16] S. THOM. 1 p. q. 101 a. 1.

[17] S. THOM. *l. c.* a. 2.

[1] S. THOM. *II Dist.* 35 q. 1 a. 1 ex ARIST. *II Phys.* tex. 82.

[2] S. THOM. 1-2 q. 21 a. 1; ad 2.

medium in finem ultimum non ordinabile : si primum contingit peccatum est *mortale* [3], si alterum *veniale* [4].

566. **Quid peccatum actuale.** Peccatum actuale est *actus* quo homo recedit a Deo ultimo fine : atqui « quicumque avertitur a fine debito, necesse est quod aliquem finem indebitum sibi praestituat, quia omne agens agit propter finem » [5] : ergo peccatum mortale actuale constituitur *aversione* a Deo et *conversione* ad creaturam [6]. At ille ipse actus, quo homo recedit a Deo et convertitur ad creaturas, est simul *violatio legis,* qua Deus in ordine naturali et supernaturali nos et opera nostra in se ordinavit; peccatum itaque actuale est etiam violatio legis divinae [7], unde definitur ab AUG. : « *factum, vel dictum, vel concupitum aliquod contra legem aeternam* » [8]. Neque hic sistit malitia peccati; « quicumque enim rem aliquam digniorem indigniori postponit, injuriam ei facit, et tanto amplius, quanto res est dignior : quicumque autem in re temporali finem sibi constituit, ex hoc ipso quantum ad affectum suum praeponit creaturam creatori, diligens plus creaturam quam creatorem; finis enim est quod maxime diligitur. Cum ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccantis mortaliter contra Deum *infinita offensa* ex parte dignitatis ejus cui per peccatum quodammodo injuria fit, dum ipse Deus contemnitur et ejus praeceptum » [9].

567. **Quid peccatum habituale.** Sive in peccato actuali attendas *aversionem* a Deo, sive consideres Dei *offensam,* apparet reatum peccati non cessare cum actu; qui enim recedit a fine, manet habitualiter ab eo aversus quousque ad illum iterum convertatur; qui vero aliquem offendit, incurrit reatum seu moralem imputationem culpae et poenae quae manet donec injuria fuerit reparata satisfactione vel condonatione; « id namque sensus communis dictat, id omnia jura velut inconcussum fundamentum habent » [10].

---

[3] S. THOM. 1-2 q. 1 a. 7 ad 1; 2-2 q. 104 a. 3; *De Malo* q. 3 a. 1.

[4] S. THOM. 1-2 q. 72 a. 5; 88 a. 2; *II Dist.* q. 2 a. 1 q. 1 ad 3; *De Malo* q. 7 a. 2. — *NB.* Ratio nominis ex etymologia derivatur : scil. *mortale* aufert gratiam quae est *vita animae,* et ideo inducit mortem et est ex sese irremissibile; *veniale,* quasi *dignum venia,* mortem spiritualem non inducit, unde, non excludens gratiam, relinquit in subjecto radicale remissionis principium. Cf. Opusc. meum *De nat. pecc.* n. 8 et 210-1.

[5] S. THOM. 2-2 q. 45 a. 1 ad 1; *De Malo* q. 7 a. 2 ad 20.

[6] « Peccatum, inquit S. THOM., consistit in hoc quod homo, contempto Deo, commutabilibus bonis inhaeret ». 2-2 q. 104 a. 3; AUG. *De Lib. Arb.* I c. ult.

[7] S. THOM. 1-2 q. 71 a. 6; ad 4; *De Malo* q. 7 a. 7.

[8] AUG. *C. Faust.* XXII c. 27.

[9] S. THOM. *De Verit.* q. 28 a. 2; 3 p. q. 88 a. 4; AUG. *De nat. et grat.* c. 29.

[10] BILLOT *De nat. et rat. pecc.* p. 63.

568. **In quo propria ratio peccati habitualis verificetur.** In ordine purae naturae habitualis inordinatio, consequens actum peccati, foret ordinis intentionalis, et constitueretur sola morali imputabilitate culpae actualis nondum sufficienter reparatae; sed « homo in praesenti ordine non est habitualiter conversus ad finem suum, nisi supernaturali habitu caritatis et gratiae; ergo non est ab eodem fine habitualiter aversus, nisi per hoc quod gratia et caritate privatur; quapropter in hac quoque privatione peccatum habituale consistat necesse est, quamvis non in ea seorsim accepta a voluntario actu a quo inducitur, quia, ut ait S. THOM. [11], privatio gratiae non habet rationem culpae sed poenae, nisi inquantum ex voluntate est » [12]. Peccatum ergo habituale resultat ex privatione gratiae et ex ordine ad peccatum actuale quod illius privationis est causa; unde potest definiri, *privatio gratiae ex actuali peccato inducta*. Quod si subtilius quaeras quomodo actus peccati inducat privationem gratiae, dicam non esse *formaliter*, neque *efficienter* [13], sed *dispositive*, quatenus, aversa voluntate ab ultimo fine, decet Deum substrahere donum indebitum quo homo ad illum convertebatur, ne simul sit actu *aversus* et habitu *conversus* [14].

569. **Quale fuit Adae peccatum.** Non secus ac Evae [15], Adae peccatum adaequate inspectum malitiam *superbiae, curiositatis, gulae, infidelitatis* et *inobedientiae* habuit [16]; sed si quaeritur de primo peccato, « communis jam sententia tenet fuisse *superbiam* » [17]. Hoc quod Scriptura [18] et Traditio [19] innuunt, S. THOM. deducit ex immunitate a fomite concupiscentiae; etenim « ibi fuit primum peccatum hominis, ubi potuit esse primus appetitus inordinati finis. Sic autem homo erat in statu in-

---

[11] S. THOM. *II Dist.* 33 q. 2 a. 2.

[12] BILLOT *l. c.* p. 64. *NB.* Revoca pr. 46 damn. in Bajo: « Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum esse debeat voluntarium ».

[13] Privatio gratiae, inquit BILLOT (*l. c.* 73), « considerata absolute, prout est physica destitutio radicalis principii supernaturalis beatitudinis, non habet causam nisi eum solum, a cujus physico influxu pendet gratiae infusio et conservatio, et pro tanto ad poenam inflictam pertinere dicenda est ».

[14] C. MAZZELLA *De Deo Creante* n. 1001.

[15] S. THOM. *Comp. theol.* c. 190.

[16] S. THOM. *De Malo* q. 4 a. 8 ad 1; AUG. *Enchir.* c. 45; *De Gen. ad Litt.* XI c. 42.

[17] C. MAZZELLA n. 906.

[18] *Initium superbiae hominis, apostatare a Deo; quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor ejus: quoniam initium omnis peccati est superbia.* Eccli. **10**. 14-5; Tob. **4**. 14.

[19] AMBR. in *Ps.* **118** oct. VII vers. 51; AUG. in *Ps.* **118** serm. 11 n. 6; BERNARD. *De adv.* serm. 1.

nocentiae institutus, ut nulla esset rebellio carnis ad spiritum. Unde non potuit esse prima inordinatio appetitus humani ex hoc quod appetierit aliquod sensibile bonum, in quod carnis concupiscentia tendit praeter ordinem rationis... Unde relinquitur quod primum peccatum hominis fuit in hoc quod appetiit quoddam spirituale bonum supra suam naturam; quod pertinet ad superbiam » [20]. Neque objicias Apostolum docere peccatum Adae fuisse *inobedientiam* [21]; respondet enim S. THOM. quod peccatum superbiae fuit etiam inobedientia, siquidem « cum praeceptum legis actus omnium virtutum ordinet, consequens est ut quodlibet vitium *transgressionem* annexam praecepti habeat et *inobedientiam* » [22]. Si vero cum SUAREZ, PALMIERI et CORNELY dicere mavis inobedientiam formalem, seu transgressionem praecepti vetantis comestionem ligni scientiae boni et mali [23], respondebis quod « in peccato actuali primi parentis, *ex quo peccatum originale causatur,* fuit multiplex peccati deformitas: fuit enim ibi *superbia, inobedientia, gula* et *furtum* » [24].

570. **De gravitate peccati protoparentum deque eorum conversione.** Etsi peccatum protoparentum fuerit minus grave quam peccatum angelorum [25], fuit tamen gravissimum [26], tum ex plenitudine scientiae et ex immunitate a concupiscentia, tum ex immani ruina totius generis humani, quam Adam non latebat, tum ex facilitate implendi praeceptum ceteroquin gravissimum ratione finis ostendendi dependentiam hominis a Deo [27]. Porro protoparentes poenitentiam egisse et aeternam salutem esse consecutos innuit SCRIPTURA [28], docent PATRES [29] et suadet RATIO; ut enim notat IREN., Adam et Eva poenitentiae signa dederunt, a Deo non sunt maledicti et ex eorum salute melius apparet victoria Christi et clades serpentis [30].

---

[20] S. THOM. 2-2 q. 163 a. 1.

[21] Rom. **5**. 12-4.

[22] S. THOM. *II Dist.* 22 q. 1 a. 1.

[23] SUAREZ *De vit. et pecc.* Disp. 9 sect. 3 n. 7; PALM. *De pecc. orig.* p. 10-11; CORNELY in *Rom.* p. 284, 287, 292, 302.

[24] S. THOM. *De Malo* q. 4. a. 8 ad 1. PALMIERI *l. c.* p. 110 modo contrario explicans, dicit formalem inobedientiam vocari superbiam prout haec « est *generale peccatum* seu modus cujusque peccati ».

[25] S. THOM. *II Dist.* 21 q. 2 a. 2 ad 4; 29 a. 2 ad 2.

[26] AUG. *De nupt. et conc.* II c. 32 n. 58; *C. Jul.* opus imp. VI c. 21 et 23.

[27] « Deus, inquit AUG. (*De Civ. Dei* XIV c. 15 n. 1)... uno brevissimo atque levissimo (praecepto) ad obedientiae salubritatem adminiculaverat » Cf. CYRIL. Alex. *De Inc. Dom.* n. 5; S. THOM. 2-2 q. 163 a. 3; *II Dist.* 21 q. 2 a. 2.

[28] Sap. **10**. 1.

[29] IREN. *Adv. haer.* I c. 30 et 31; III c. 34; TERTUL. *De praescr.* c. 52; *C. Marc.* II; GREG. Nyss. *Or.* 31 in *Matth.* **19**; EPIPH. *Haer.* 46; AUG. *C. Jul.* opus imp. VI c. 30; *De haer.* c. 23; epist. 99 *ad Evod.*

[30] BELLARM. *De Amis. Grat.* etc. III c. 12.

571. **Errores — Veritas.** *Peccatum* Adae non agnoscunt RATIONALISTAE, *circumstantias* vero a Genesi descriptas CAJET., JAHN, LACORDAIRE et LOISY [31] fabulis et mythis adscripserunt. **Veritas** prostat in CONC. TRID. « Si q. non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse... a. s. » [32]: quod vero attinet ad *circumstantias* in Genesi enarratas, COM. BIBL. damnavit eos qui negant habere sensum historium « *praeceptum* a Deo homini dato ad ejus obedientiam probandam; divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, *transgressionem;* protoparentum *dejectionem* a primaevo innocentiae statu; nec non Reparatoris futuri *promissionem* » [33].

THES. 59. *Adam, — 1 violando divinum praeceptum, — 2 grave peccatum commisit, — 3 quo originalem justitiam amisit.*

572. **Prima pars.** *Adam violavit grave praeceptum Dei.* **Ex Scripturis.** Nam prohibitionem comedendi de ligno scientiae boni et mali fuisse *gravem* constat ex verbo *praecepit* (צִוָּה *-jezav*), quod toties recurrit [34] et sensu proprio exprimit gravem obligationem, necnon ex comminatione poenae mortis quae omnium est maxima [35]: hanc vero prohibitionem protoparentes transgressos fuisse, patet ex tentatione serpentis et manducatione cibi vetiti [36]. **Patres** similiter docent quod « in origine mundi et generis humani, Adam praecepti immemor et datae *legis transgressor fuit* » [37]; gravitatemque praecepti desumunt *ex fine,* siquidem « Deus dederat mandatum, ut probaret obsequium; imposuerat legem, ut exploraret hominis voluntatem » [38]. **Ratio** ipsamet est quam a CHRYS. au-

---

[31] CAJET. in *Gen.* **3**; JAHN in *Herm.;* LACORD. *Conf.* 62; LOISY *Etud. Bibl.* 70 sqq.

[32] CONC. TRID. sess. V cn. 1.

[33] COM. BIBL. *30 Jun.* 1909 ad 3. Cf. etiam A. CELLINI *Il capo III della Gen. è storico?* in *Scuola Catt.* 1909.

[34] Gen. **2**. 16; **3**. 1; 3; 11, 17.

[35] Non refert quod mors aliquando inflicta fuerit pro culpis, quae videntur leves (I Reg. **6**. 19; 2 Reg. **6**. 6-7; **24**. 26 sqq.; Act. **5**. 3 sqq.); ut enim taceamus de gravitate culpae arduum esse judicium, in supradictis casibus non agebatur de *sanctione legis,* sed de punitione Dei, et de solo *tempore* et *modo* moriendi, non de *ipsa morte.* Cf. CORNELY in *Rom.* p. 287 et supra n. 553.

[36] Gen. **3**. 1-6.

[37] CYPR. *De Inc. Verb.* I; IREN. *Adv. hær.* V c. 19; CLEM. Alex. *Strom.* V; CHRYS. in *Gen.* hom. 16.

[38] CHRYS. apud *A Lapide* Gen. **2**. 17; AUG. *De Civ. Dei* XIV c. 12 et 15.

divimus; scil. manducatio ligni scientiae boni et mali non erat in se mala, sed ejus prohibitio erat gravis ratione finis, siquidem Adam ostendere debebat non sola ratione duci in fuga mali, sed praecipue auctoritate Dei, sui creatoris.

573. **Secunda pars.** *Protoparentes graviter peccarunt.* Nam **Scriptura** protoparentum transgressionem vocat *inobedientiam, peccatum, delictum,* et *praevaricationem* [39]; haec autem verba grave peccatum signant. **Patres** non solum manducationem cibi vetiti dicunt *transgressionem* et *praevaricationem* [40]; sed docent quod « Adam tanta impietate peccavit quantum nos metiri et aestimare non possumus » [41]; quia in praecepto « obedientia commendata erat, quae virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium custosque virtutum » [42], et quia « tanto major inobedientia fuit, quanto id, quod praeceptum est, nullius difficultatis fuit » [43]. **Ratio** deducitur ex prima parte; nam qui scienter violat grave praeceptum committit peccatum mortale : atqui praeceptum violatum a protoparentibus erat grave, et ipsi cognitum [44] : ergo.

574. **Tertia pars.** *Protoparentes amiserunt originalem justitiam.* Nam **Scriptura** *a)* opponit justitiam iniquitati [45] : si ergo Adam peccato factus est iniquus, justitiam amisit. *b)* Item loquitur de *condemnatione* quae ex Adam nobis provenit [46] : si ergo ex inobedientia Adae nos facti sumus natura *filii irae* [47], a fortiori [48] talis fuit Adam, qui proinde amisit gratiam filiorum Dei. **Patres** docent quod Adam « eam, quam habuit a Spiritu S. sanctitatis stolam, per inobedientiam amisit » [49] : quod « desivit coelestia sustinere posse » [50], et « de gratia in miseriam recidit » [51] : quod protoparentes « nudati (sunt) propter peccatum supernae gratiae amictu » [52]. **Ratio** theologica inde potest deduci quod peccato protoparentes amiserunt dona immortalitatis [53] et integritatis [54] : atqui

---

[39] Rom. **5**. 12-19; Eccli. **15**. 33; 2 Corinth. **11**. 3; 1 Tim. **2**. 14.
[40] CYPR., CHRYS. *l. c.*
[41] AUG. *C. Jul.* opus imp. III c. 65.
[42] AUG. *De Civ. Dei* XIV c. 12.
[43] AUG. *De Civ. Dei* XIV c. 15.
[44] Cf. Supra n. 562.
[45] 2 Corinth. **6**. 14; 1 Joan. **3**. 9.
[46] Rom. **5**. 16; 18.
[47] Eph. **2**. 3.
[48] Nam « propter quod unumquodque tale et illud magis ».
[49] IREN. *Adv. haer.* III c. 28.
[50] TERTUL. *De Patien.* c. 5.
[51] AMBR. *De parad.* c. 14 n. 70.
[52] CHRYS. in *Gen. hom.* 16.
[53] Gen. **3**. 17 sqq.
[54] Gen. **3**. 7 sqq.

haec radicabantur in gratia sanctificante [55]: ergo gratiam sanctificantem amiserunt.

ART. 6 - DE EXISTENTIA PECCATI ORIGINALIS.

575. **Quid peccatum originale.** Secundum nomen *originale* dicitur peccatum quod *origine* contrahitur, et distinguitur in originale *originans* et originale *originatum:* illud est ipsum peccatum Adae quo ejus filii constituti sunt peccatores; hoc, quod dicitur simpliciter originale, est peccatum ab unoquoque contracto titulo naturalis originis ex Adam. Et quia quod accipitur simul cum natura, ad naturam quodammodo pertinere intelligitur, peccatum originale « vocatur (etiam) *peccatum naturae* » [1]; non quasi non sit personae, cui inest, sed quia non est inductum libera ejus voluntate: ceteroquin « sicut personale transit ad naturam ita *naturale* ad personam » [2]. Notat autem AUG. quod « *originale* peccatum, propterea significantius quam *naturale* dicimus, ut non divini operis sed humanae originis (esse) intelligatur » [3].

576. **Errores — Veritas.** Peccatum originale *indirecte* impugnarunt GNOSTICI et MANICHAEI miserias hujus vitae non repetentes a peccato Adae sed a principio malo [4]: *directe* THEOD. MOPS., RUF. SYRUS et PELAGIANI, quos imitati sunt ABAELARDUS, ALBIGENSES, SOCINIANI, QUAKERI aliique protestantes, simpliciter negantes peccatum originale vel confundentes cum concupiscentia, ac tandem RATIONALISTAE quibus injustum visum est peccatum patris filiis imputari [5]. **Veritas** pluries proposita in synodis CARTH. et DIOSP., definita est a. 416 in CONC. MILEV. II et confirmata in EPHES., ARAUS. II, ac TRID. quod ait: « S. q. Adae praevaritionem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse...; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, *quod mors est animae,* a. s. » [6].

---

[55] Supra n. 550.

[1] S. THOM. 1-2 q. 81 a. 1.

[2] ANSELM. *De Conc. Virg. et orig.* c. 23.

[3] AUG. *C. Jul.* opus imp. V c. 9.

[4] Supra 145, 535 etc.

[5] Apud *Mazzella* n. 920. Nostris diebus eundem errorem renovarunt POTTER et TURMEL apud *P. Syst.* Not. Arch. II p. 1 c. 3 a. 10.

[6] CONC. TRID. cn. 2; SYN. CARTH. a. 412, 416, 417, 418; DIOSP. a. 415; CONC. MILEV. II cn. 2; EPHES. cn. 1 et 4 apud *Denzinger* n. 85; ARAUS. II cn. 1 et 2; TRID. cn. 2, 3, 4.

THES. 60. *Teste Apostolo* Rom. 5. 12 sqq., *datur peccatum originale, seu — 1 verum aliquod grave peccatum, — 2 quod omnibus inest, — 3 distinctum a peccatis personalibus, — 4 et ab actuali Adae, — 5 a quo tamen derivatur* [7].

577. **Prima pars.** *Apostolus l. c. loquitur de vero peccato mortali. a)* EX PROPRIETATE VOCIS. Nam peccatum, quod per Adam intravit, Apostolus exprimit nomine ἡ ἁμαρτία (peccatum) et verbo ἥμαρτον (peccaverunt) quae sensu proprio significant peccatum mortale : atqui sensus proprius in praesenti est retinendus ex communi interpretationis regula [8] et ex repugnantia metaphorae : ergo. PROB. MIN. « Peccatum enim, quo mors in mundum intrasse dicitur, ab ipsa *peccati poena* diserte distinguitur, atque velut poenae dictae *causa* i. e. velut *reatus culpae,* clare designatur. Atqui *concupiscentia* vel proclivitas ad peccandum ipsa poenam non meretur, licet mali actus, qui ex ea procedunt, culpae reatum inducant. Neque *mors* igitur, quae peccati illius est poena, neque *concupiscentia,* etsi eam Apostolus aliquando... peccatum appellat, nomine peccati hic designatur » [9]. *b)* EX POENA INFLICTA. Nam poena huius peccati est *mors* quae, omnium gravissima, talis apparuit Apostolo ut non potuerit infligi nisi violatoribus legis cujus expressa sanctio constituta fuerit [10]. *c)* EX CONTEXTU. Nam ἡ ἁμαρτία est peccatum quod opponitur justificationi vitae quae est per Christum, quodque infert condemnationem : atqui condemnatio consequitur grave peccatum, justificatio vero vitae habetur gratia : ergo.

578. **Secunda pars.** *Apostolus loquitur de peccato quod omnibus inest.* Universalitas hujus peccati constat *a)* imprimis ex nomine *mundi* in quem intravit peccatum, qui non est locus sed

---

[7] Existentia peccati originalis continetur etiam in Ps. **50.** 7 : *Ecce in iniquitatibus conceptus sum : et in peccatis concepit me mater mea,* et Job. **14.** 4 : *Quis potest facere mundum de immundo...? Nonne tu qui solus es?* quae testimonia, etsi extra contextum difficultates patiantur, in contextu et juxta traditionem agunt de culpa originali (PESCH n. 238-9). Idem evincitur ex Eph. **2.** 3 : *Eramus natura filii irae;* ira enim est poena aeterna debita peccato, « quomodo (autem) *natura,* nisi quia peccante primo homine vitium pro natura inolevit? » (AUG. *in Joan.* trac. 44 n. 1). Sed argumentum praecipium habetur in testimonio Rom. **5.** 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

[8] Vol. 1 n. 555.

[9] CORNELY *in Rom.* p. 276.

[10] Cf. vers. 13-14.

universalitas hominum [11]. Item *b)* ex adjectivo *omnis* [12] quod Apostolus saepe repetit cum, instituens antithesim inter Christum et Adam, ait : *Sicut per unius delictum* IN OMNES HOMINES *in condemnationem : sic et per unius justitiam* IN OMNES HOMINES *in justificationem vitae* [13]. *c)* Universalitatem peccati exigit etiam *contextus*. Nam si attendis praecedentia vides Apostolum inducere nostram pericopen ad ostendendam caritatem Dei, qui dedit Filium suum pro *injustis* et *peccatoribus ;* quare peccatum originale extendi debet quantum mediatio Christi qui *dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* [14] ; si vero inspicis sequentia, vides apodosim proponi constructione anacoluthica verbis *qui est forma futuri*, quibus Apostolus docet *omnes* in Adamo peccasse, non secus ac *omnes* (quoad aptitudinem) vivificantur in Christo, qui est *salvator omnium maxime fidelium* [15]. *d)* Nec solum Apostolus affirmat universalitatem peccati originalis, sed probat *ex universalitate mortis* quae peccati est signum et effectus ; dicit enim quod *in* OMNES *homines mors pertransiit in quo* (ἐφ' ᾧ = *eo quod, quia*) OMNES *peccaverunt* [16], unde tam late patet peccatum originale quam mors, quae profecto in *omnes* pertransit [17].

---

[11] Revera, ut notant CORNELY p. 276 et PALMIERI p. 38, *mundus* in secunda versiculi parte convertitur cum *omnes homines :* non itaque est terra, quam pedibus calcamus, sed sicut alias saepe sunt omnes homines quos peccatum corrupit.

[12] *In quo omnes peccaverunt.* v. 12.

[13] v. 18.

[14] 1 Tim. **2**. 5.

[15] 1 Tim. **4**. 10.

[16] Multum disceptar de praepositione *ἐφ' ᾧ* C. MAZZELLA (n. 936-42) praefert sensum relativum *in quo (Adamo),* quia talem exhibent « *Vetus Itala* — *Vulgata* — quatuor concilia — vetusti Patres Latini — Graeci aliqui Patres — communissime catholici interpretes et doctores » ; PALMIERI (p. 18-29) acriter dimicat pro sensu casuali quia Patres *Graeci* sensum relativum ignorant, et *Latini* post saec. 4 tantum communiter receperunt. Accedit proprietas vocis ; nam locutio *ἐφ' ᾧ* , « quae etiam a Syro hic pro causali conjunctione habetur,... a Paulo... tribus aliis in locis usurpata est. A vulgato quidem nostro interprete diversimode redditur (hic et Phil. **3**. 12 : *in quo,* sed 2 Corinth. **5**. 4 : *eo quod,* et Philip. **4**. 10 *sicut*) ; dubium autem non est, quin secunda interpretatio (*eo quod* vel *propterea quod,* nam *ἐφ' ᾧ* est pro *ἐπὶ τούτῳ ὅτι*) sit praeferenda. Causalis enim significatio et hic et 2 Corinth. **5**. 4 et Phil. **3** 12 *certa* dici potest, et Phil. **4**. 10 saltem est longe probabilior, quia comparativa, quae a *Vulg.* et *Syr.* ibi eligitur sensum parum aptum gignit ». CORNELY *in Rom.* p. 283.

[17] Si quis praeferat sensum relativum scil. *in quo Adamo* omnes peccaverunt, argumentum non infirmatur ; sicut enim sensus causalis revocat relativum, siquidem non peccaverunt vo-

579. **Tertia pars.** *Apostolus loquitur de peccato contradistincto a personalibus.* Nam *a)* cum loquitur de peccatis personalibus, nomini ἁμαρτία non praeponit articulum (v. 13), cum vero loquitur de peccato, quod in mundum intravit, constanter adhibet: ergo peccatum, quod in mundum intravit, est peccatum speciale a personalibus distinctum. *b)* Sed insuper peccatum, quod in mundum intravit, utpote causa mortis, inest omnibus qui moriuntur: atqui etiam parvuli, qui personaliter *nihil boni aut mali egerunt* [18], moriuntur: ergo peccatum, quod in mundum intravit, non est personale. *c)* Ceterum Apostolus in nostro testimonio aperte τὴν ἁμαρτίαν *origine* et *effectu* distinguit a peccatis personalibus: *origine* quia hoc peccatum intravit *per unum hominem (Adam)*, personalia vero *propria voluntate* committuntur: *effectu* quia mors non est poena cujusvis peccati sed illius tantum pro quo comminata est (v. 13-14): atqui mors fuit comminata in Eden manducantibus lignum scientiae boni et mali, sed dein usque ad Moysen non est facta sanctio alicujus legis naturalis vel positivae; ergo illi qui ante Moysen peccaverunt, sed non manducaverunt de ligno vetito, peccato personali mori non debebant: atqui *mors regnavit ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae* (v. 14): ergo praeter peccata personalia habebant aliud, scil. originale [19].

580. **Quarta pars.** *Peccatum de quo loquitur Apostolus non est peccatum personale Adae.* Nam « actus quo Adam mandatum Dei transgressus est, quum in hoc tractatu παράβασις (*praevaricatio* s. transgressio v. 14), παράπτωμα (*delictum* s. lapsus vv. 15. 17. 18. 20), ἁμάρτημα (*peccatum* v. 16 saltem secundum Vulg. et nonnullos cod. gr.), παρακοή (*inobedientia* v. 19) vocetur, suis jam nominibus ab illo peccato, de quo nostra in sententia agitur (ἡ ἁμαρτία), distinguitur » [20]. *b)* Sed insuper Adae peccatum ponitur

---

luntate propria sed Adami, ita relativus revocat causalem: omnes moriuntur QUIA omnes *in Adamo* peccaverunt.

[18] Rom. **9**. 11.

[19] Mortem non infligi nisi positiva lege comminata fuerit, non dicimus a priori sed assumimus ex Apostolo, qui ex speciali revelatione vel ex complexu Scripturarum infallibiliter cognovit.

[20] CORNELY *l. c.* p. 277; PALMIERI *l. c.* p. 37. Etiam in v. 19 peccatum Adae dicitur *inobedientia*, nostrum autem *ἡ ἁμαρτία*.

causa[21] peccati quod in mundum intravit et quo omnes constituti sunt peccatores : atqui causa re distinguitur a suo effectu : ergo. *c)* Ceterum si ageretur de peccato personali Adae profecto intrasset in mundum imitatione vel externa imputatione : atqui *non* intravit *imitatione,* quia Adam imitatus est Evam ; unde, si de imitatione ageretur, peccatum intrasset *per unam mulierem* et non *per unum hominem,* imo, ut notat AUG.[22], intrasset per *diabolum* qui ab initio peccavit[23], et Evam seduxit[24] : non intravit *externa imputatione,* quia intravit *sicut* mors, quae realiter nos afficit[25] : ergo. *d)* Tandem per Adam constituimur peccatores sicut per Christum efficimur justi[26] : atqui non justificamur extrinseca imputatione justitiae Christi, sed gratia sanctificante et reali immortalitate unicuique propria[27] : ergo. Hinc ANSELM. : « Infantes non portant peccatum Adae, sed *suum.* Nam aliud fuit pecatum Adae, aliud est peccatum infantium, quia differunt ; illud enim fuit causa, istud effectus. Adam caruit justitia, non quasi alius, sed quia ipse deseruit ; infantes carent ea, non quoniam ipsi sed quoniam alius deliquit »[28].

581. **Quinta pars.** *Apostolus loquitur de peccato derivato ab Adam.* Nam *a)* peccatum, quod omnibus inest independenter a voluntate personali, non potest esse nisi peccatum quod contrahitur generatione : atqui peccatum quod *omnes* generatione con-

---

[21] *Per unum* hominem peccatum intravit — *unius delicto* — *per unum peccatum* — *per unius delictum* — *per inobedientiam,* ubi fere semper est part. *διὰ* quae sensum causalem exhibet.

[22] AUG. *De Pecc. mer. et remis.* I c. 9 n. 9-10.

[23] Joan. **3.** 8 ; Sap. **2.** 24-5.

[24] Gen. **3.** 1 sqq. ; 2 Corinth. **11.** 3. *NB.* Si peccatum intrasset *imitatione,* omnes Adam imitassent : atqui Apostolus testatur non omnes imitasse Adam : ergo.

[25] Nota etiam juxta Apostolum nos constitui peccatores *τῇ ἁμαρτίᾳ*: atqui *constitutio* quid intrinsecum sonat, et *ἡ ἁμαρτία* contradistinguitur a peccato Adae : ergo.

[26] Nam Adam *est forma futuri* (v. 14) ; Apostolus vero in tota pericope 15-21 antithesim inter Christum et Adam prosequitur.

[27] Ne dicas argumentum laborare circulo vitioso, quippe in tractatu *de Gratia* ex veritate peccati originalis derivatur interior iustificatio ; sicut enim existentia peccati originalis non evincitur hoc solo argumento, ita interior justificatio non probatur ex sola antithesi cum peccato originali, sed directis argumentis, ex quibus vim accipit praesens confirmatio.

[28] ANSELM. *De Conc. Virg.* c. 26 ; S. THOM. 1-2 q. 82 a. 2.

trahunt illius tantum esse potest ex quo Deus *fecit omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae* [29]: ergo. *b)* Docet APOSTOLUS quod *per unum hominem* peccatum intravit in mundum: atqui prep. *per* graece est διὰ cum genit. quae causam seu instrumentum inducit: ergo Adam sua inobedientia est causa peccati originalis. *c)* Non minus tribuitur Adam peccatum, quam gratia Christo: atqui Christus est vera causa gratiae: ergo Adam est vera causa peccati originalis. *d)* Tandem in tota pericope est sermo de peccato quod per *delictum*, per *praevaricationem*, per *inobedientiam*, per *peccatum* Adae est inductum: atqui...: ergo.

THES. 61. *Peccatum quod omnes naturali origine ex Adam contrahunt, plena docet Traditio et ratio suadet.*

582. A sec. 5 et seqq. frustra adducerentur testimonia; notissimum quippe est, exorta haeresi pelagiana, non *singulos* tantum *episcopos* sed *Ecclesias* totius orbis insurrexisse pro dogmate originalis culpae. In *Oriente* coactum est CONC. PALEST. quod commemorat Aug. [30], in *Africa* CONC. MILEV. II et CARTAG., in *Hispania* TOLET. VI, in *Gallia* ARAUS. II, in *Germania* MOGUNT., in *Italia* datae sunt definitiones INNOC. I, ZOSIMI, LEONIS M. et GREG. M. quorum testimonia invenies apud Bellarminum [31]. Ex Patribus saec. 2-5, qui scripserunt ante manifestationem haeresis pelagianae, adducuntur IGNAT. M. († 107), JUST. M. († 165), IREN. († 202), TERTUL. († 245), ORIG. († 254), CYPR. († 258), HILAR. († 368), ATHAN. († 373), RETIC. († ?), OLIM. († ?), BASIL. († 379), AMBR. († 397), AMBROSIASTER († ?), OPT. Milev. († 384), CYRIL. Hieros. († 386), GREG. Naz. († 389), SIRIC. P. († 399), GREG. Nyss. († 403), CHRYS. († 407), PRUD. († 410), HIER. († 420), RUFIN. († 420), AUG. († 430), qui non solum *a)* testantur *existentiam* originalis culpae dicentes quod omnes « Deum in primo Adamo offendimus non facientes ejus praeceptum » [32], et ideo « omnes, qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur proavi sui damnatione collapsi » [33]; sed *b)* factum

[29] Act. **17**. 26.

[30] AUG. *C. Jul.* I c. 2; *epist.* 106.

[31] BELLARM. *De Amiss. gratiae* etc. IV. c. 6.

[32] IREN. *Adv. haer.* V c. 16 n. 3; ORIG. *C. Celsum* IV c. 40; BASIL. *Orat. de jejun.*

[33] ATHAN. *in Ps.* **50**. 7; RETIC. et OLYMP. apud *Aug.* C. Jul. I n. 32; GREG. Nyss. *De Vita Moysis* apud *Migne* tom. 44 col. 336; CHRYS. in *1 Corinth.* hom. 40 apud *Palm.* p. 70; hom. ad *Neophytos* apud *Aug.* C. Jul. I n. 26.

explicant ex naturali origine ab Adam, siquidem « in illo fuimus omnes, periit Adam et in illo omnes perierunt » [34]; scil. « Adam in mortem datus est, exinde totum genus de suo semine infectum, suae etiam damnationis traducem fecit » [35]. *c)* Non secus a Scriptura Patres *antithesim instituunt* Christum inter et Adamum, siquidem « in Adam omnes moriuntur, et ita cecidit orbis terrarum et indiget erectione, ut in Christo omnes vivificentur » [36]; unde « omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda quamdiu recenseatur » [37]. *d) Arguunt* ex pluribus testimoniis *Scripturae,* scil. ex *Job.* **14.** 4 [38], *Ps.* **32.** 6 [39], *Ps.* **50.** 7 [40], *Osea* **6.** 7 [41], *Rom.* **5.** 12 sqq. [42], *Hebr.* **4.** 15 [43], necnon ex *Traditione,* qua sic AUG. insectabatur Julianum: « Propter catholicam veritatem sancti ac beati, et divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes *Irenaeus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Joannes, Basilius,* quibus addo presbyterum, velis nolis, *Hieronymum,* ut omittam eos, qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam » [44]. *e)* Tandem ex originale peccato *deducunt* necessitatem *redemptionis Christi,* qui dedit « semetipsum pro nobis, ut nos mundaret *ab antiqua iniquitate* » [45],et *baptismi* infantis qui « recens natus nihil peccavit, nisi quod, secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit » [46]. Patrum testimonium confirmant documenta **archaeo-**

[34] AMBR. in *Luc.* VII c. 15.

[35] TERTUL. *Test. de anima* c. 3; CHRYS. in *1 Corinth.* hom. 40 collata adnot. *Palmieri* p. 70.

[36] ORIG. in *Jerem.* hom. 8 n. 1.

[37] TERTUL. *De anima* c. 40.

[38] ORIG. in *Lev.* hom. 8; HIER. in *h. l.*

[39] BASIL. in *h. l.*

[40] HILAR. in *Ps.* **118.** 175; AMBR. *Apol. David.* c. 11; *De poenit.* I c. 2; RUFIN. in com. *h. l.*

[41] HIER. in *h. l.*

[42] HIL. in com. *h. l.* apud *Palm.* p. 84 et apud *Aug.* ad Bonif. IV c. 4; ATHAN. super illud *Omnia mihi tradita* etc.; CHRYS. in *h. l.* apud *Palm.* p. 71-2; AMBROSIASTER in *h. l.*

[43] ABROSIASTER in *h. l.*

[44] AUG. *C. Jul.* II c. 10 n. 33; *De nupt. et conc.* II c. 12 n. 25.

[45] IGNAT. M. epist. ad *Trallianos;* JUST. M. *C. Tryph.;* IREN. *Adv. haer.* V c. 17; TERTUL. *De anima* c. 40; CYRIL. Hier. *catech.* 2 n. 4 et 5; *catech.* 13 n. 1; CHRYS. hom. *ad Neoph.* apud *Aug.* c. Jul. I c. 6.

[46] CYPR. *epist.* 64 ad *Fidem* n. 5; JUST. M. *C. Tryph.;* OPTAT. Mil. IV n. 6; CHRYS. in *1 Corinth.* hom. 40 coll. PALMIERI p. 70; PRUD. *carm. Apoth.* vers 909. Qua ratione Patres argumentum hoc ab impugnationibus Pelagianorum vindicarint, videbis apud HERGENR. II p. 276.

logiae, siquidem in catacumbis mors saepe proponitur ut effectus divinae voluntatis, h. e. poena peccati, quod contrahi ex Adami transgressione aperte docet inscriptio Agapis saec. 2 [47]. — Ex ratione sola nil proprie concluditur, sed supposita notitia pristinae felicitatis, cum AUG. deducitur argumentum. « Quid (enim) restat, nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas vel impotentia Dei, aut poena primi veterisque peccati? Sed quia nec injustus nec impotens est Deus, restat, quod non vis, sed cogeris confiteri, quod grave jugum super filios Adae non fuisset, nisi delicti originalis meritum praecessisset » [48].

583. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** APOSTOLUS dicit quod *multi* constituti sunt peccatores: non ergo loquitur de originali peccato quod *omnibus* est commune. **Resp.** « Locutione οἱ πολλοί *(multi illi)* juxta notissimum graecae linguae idiotismum hic, uti saepius [49], *omnes* designantur... Quam locutionem ideo, opinor, Apostolus elegit, ut et delictum et donum non tam in totam collectionem, quam in singula ejus membra, quamvis multa sint, efficaciam suam exercuisse clarius appareret » [50].

584. **Objic. 2.** Dicit Dominus: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur* [51]; et iterum: *Anima quae peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris* [52]: ergo mors non est inducta per Adam, neque ejus iniquitas nobis imputatur. **Resp.** *Nego suppositum.* In neutro testimonio agitur de *peccato* quod a patre transeat in filium, sed de *poena* patri debita quae filio innocenti non debet infligi; in thesi e contra agitur per prius de *ipso peccato,* et secundario tantum de poena, quae ejus propagationem consequitur. Ceterum objecta testimonia loquuntur de poena *positiva* infligenda ab hominibus, dum poena peccati originalis, ut videbimus, est tantum *negativa,* et consistit in subtractione donorum supernaturalium [53].

585. **Objic. 3.** Multi Patres inter quos ORIG., TERTUL., CLEM. Alex., CYRIL. Hieros., HILAR., OPTAT., CHRYS., THEOD. *a)* negant peccata patris imputari filio, *b)* dicunt ex Adamo nos habuisse mortem sed

---

[47] Cf. Append.; P. SYXT. *Not. arch.* II p. 1 c. 3 a. 10.

[48] AUG. *C. Jul.* IV c. 16 n. 83.

[48] ANG. *C. Jul.* IV c. 16 n. 83.

[49] Cf. v. 18; 19; 12-5; 1 Corinth. **10**. 17, et nota quod in v. 15, ubi Vulgata legit *in plures* abundavit, graec. habet *in multos.*

[50] CORNELY *in Rom.* p. 293.

[51] Deut. **24**. 16.

[52] Ezech. **18**. 20.

[53] Cf. PALMIERI p. 56-8, et vide 2 Reg. **12**. 14; **23**. 10 sqq.

non peccatum, et *c)* parvulos non baptizari in *remissionem* peccatorum sed in *justificationem* [54], atque ideo *d)* baptismum differri ad aetatem adultam : ergo doctrina de peccato originali non consonat Traditioni [55]. **Resp.** Patres qui dicuntur contrarii dogmati originalis culpae eam nonnumquam confessi sunt, ut patet ex testimoniis allatis in thesi et ex auctoritate AUG. et COELES., qui eos invocarunt contra Pelagianos; non ergo agitur de eorum *sententia* sed de quorumdam testimoniorum *expositione*. Porro notum est fidei securitatem locutiones improprias induxisse [56], nec repugnat ante diligens studium veritatis notionem alicujus dogmatis haud perspicuam haberi et praedicari. Cum Patres negant imputari filiis iniquitates parentum, loquuntur de parentibus proximis et de poena sensus : cum Adae peccatum a nobis removent, non excludunt peccatum *habituale*. quod mortis est causa, sed *actuale* quo transgressio Adae foret a nobis imitata : cum dicunt parvulos non baptizari pro remissione *peccatorum,* sed pro justificatione, non negant peccatum originale sed personalia [57] : cum vero dilationem baptismi ad aetatem adultam suadent, non impetunt ejus necessitatem, sed a relapsu fideles praecavere volunt.

586. **Objic. 4.** Velis nolis, injustitiae sapit aliquem damnari culpa aliena : ergo peccatum originale repugnat divinae justitiae et bonitati. **Resp.** *Nego suppositum.* Nam peccatum originale unicuique inest *proprium.* Ceterum condemnatio, quae Adae peccatum consecuta est, consistit in privatione donorum supernaturalium quae, ut gratuito collata fuerunt patri pro filiis, ita conditionate potuerunt ei conferri. Nonne principe insurgente contra regem, ejus filii, etsi non plectantur morte, neque in carcerem detrudantur, privantur tamen principatu, imo in exilium mittuntur? Quid ergo mirum quod, peccante patre nostro, amiserimus dona gratiae, ex quorum utique privatione plurima mala physica subsecuta sunt? [58]

587. **Objic. 5.** Si generatione contraheretur peccatum, non liceret filiorum generatio : atqui hoc est absonum : ergo. **Resp.** Peccati causa non sunt parentes sed transgressio Adae : ex generatione peccatum *per accidens* tantum sequitur [59]; ponere autem causam bonam, quae per accidens inducit peccatum, non est malum. Adde ex diffusione originalis

---

[54] Potius quam Patres, Pelagiani blaterarunt baptismum non dari in remissionem peccatorum sed in justificationem. HERGEN. II p. 276.

[55] WEGSCHEIDER *Inst. theol.* § 146, POTTER et TURMEL (n. 576 not.) dogma de originali peccato tribuunt S. Augustino.

[56] Supra n. 288.

[57] Attendas etiam nomen plurale.

[58] Cf. PALMIERI p. 134 sqq.

[59] Cf. PALMIERI p. 147.

peccati non augeri *offensam,* seu injuriam Deo illatam, sed tantum multiplicari eos qui sunt in statu aversionis a Deo [60].

ART. 7 - QUA RATIONE CONTRAHATUR ORIGINALE PECCATUM.

588. **Solum Adae peccatum transfunditur.** Nam Scriptura dicit per unum *hominem* peccatum intrasse in mundum; hunc autem esse *Adamum,* contextus [1] et antithesis ab Apostolo instituta inter Christum et Adamum [2] abunde testantur. Itaque *a)* PECCATUM EVAE non transivit in filios, et, *ipsa sola peccante,* homines in originali justitia nascerentur; secus enim « magis fuisset dicendum quod per *duos* intrasset (peccatum originale), cum ambo peccaverint, vel potius *per mulierem,* quae primo peccavit » [3]. *b)* Similiter non transfunduntur PECCATA PROXIMORUM PARENTUM, siquidem, non existente speciali lege, eorum peccata sunt personalia tantum, unde in filios, qui solam naturam mutuantur, non descendunt; quare si Adam perseverasset et ejus filii peccassent, parvuli nascerentur in justitia originali [4].

589. **Peccatum originale est AB Adam PER semen IN anima.** Est *ab Adam,* quia ipse est causa peccati originalis: est *per semen,* quia peccatum originale sequitur naturam, unde illo medio communicatur quo traditur natura quae per semen in filios descendit: est *in anima* quia peccatum originale constituitur formaliter privatione gratiae; privatio autem gratiae est in anima, siquidem privatio cujusvis formae est in subjecto in quo talis forma nata est inveniri, et gratia, utpote accidens supernaturale, in sola anima esse potest. « Dicendum, inquit S. THOM., quod aliquid potest esse in aliquo dupliciter: uno modo sicut in causa principali vel instrumentali; alio modo sicut in subjecto. Peccatum ergo originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adam sicut in prima causa principali, secundum illud Apostoli [5]: *In quo omnes peccaverunt.* In semine autem corporali est peccatum originale sicut in causa instrumentali, eo quod per virtutem activam seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana. Sed sicut in

---

[60] Adde baptismo deleri originale; unde sicut matrimonio proxime procreantur peccatores, remote procreantur justi.

[1] Nam mortem, quae per unum hominem intravit, expresse tribuit praevaricationi *Adae.*

[2] *Sicut... qui est forma* (typus) *futuri.* Rom. **5.** 12-4.

[3] S. THOM. 1-2 q. 81 a. 5 in *sed contra.* Cum mulier fuerit *prima,* quae peccavit, in Eccli **25.** 33 dicitur quod *a muliere initium factum est peccati;* quia vero ipsa induxit Adamum ad peccatum, additur quod *per illam* (graec. *propter*) *omnes morimur.*

[4] S. THOM. 1-2 q. 81 a. 2.

[5] Rom. **5.** 12.

subjecto peccatum originale nullo modo potest esse in carne, sed solum in anima » [6].

590. **Quomodo generatione contrahatur peccatum originale.** S. THOM. aestimans naturam corruptam non posse communicare donum integritatis, quod radicabatur in gratia sanctificante, aliquando dixit originale peccatum deberi concupiscentiae parentum [7]; sed, re melius perpensa, negavit, siquidem si peccatum esset ex concupiscentia, etiam, Adamo perseverante, contraheretur culpa proximorum parentum. Dicendum ergo quod radix derivationis peccati originalis fuit *positiva quaedam lex* qua Adam a Deo constitutus est *caput morale* totius humanitatis, sicut generatione ejusdem factus fuerat *caput physicum*. Deus nempe qui originalem justitiam poterat simpliciter non conferre, vel dare hominibus *singillatim* inspectis, liberrimo suo consilio dare voluit prout *simul* consideratis unam personam moralem constituunt in capite a quo procedunt, non conferendo proinde donum originalis justitiae « primo homini ut singulari personae tantum, sed ut cuidam principio totius humanae naturae, ut scil. ab eo per originem derivaretur in posteros » [8]. Hinc « peccatum originale hoc modo comparatur ad totam humanam naturam ex Adam propagatam, sicut peccatum actuale comparatur ad unam personam hominis singularem, ac si omnes homines, inquantum ab Adam derivantur, sint unus homo, cujus diversa membra sint diversae personae. Manifestum est autem quod peccatum actuale primo invenitur in aliquo principio, scil. in voluntate, quae primo est susceptiva peccati... et ab ea derivatur in alias potentias animae, et etiam in membra corporis, secundum quod moventur a voluntate... Sic ergo et peccatum originale primo considerandum est in Adam ut in quodam principio, a quo derivatur ad omnes qui ab eo moventur. Sicut autem moventur partes unius hominis per imperium voluntatis, ita movetur filius a patre per vim generativam... Sic ergo hujusmodi motio, quae est per originem a primo parente, derivatur in omnes, qui seminaliter ab eo procedunt; unde omnes, qui seminaliter ab eo procedunt, contrahunt ab eo originale peccatum » [9].

---

[6] S. THOM. 1-2 q. 83 a. 1.

[7] S. THOM. *II Dist.* 33 q. 1 a. 1 ad 3; *De Malo* q. 5 a. 4 ad 8.

[8] S. THOM. *De Malo* q. 4 a. 1. — NB. CATHARINUS et alii putarunt Adam constitutum esse caput hominum pro derivatione gratiae, quodam *pacto* Dei et Adae *mutuo consensu* firmato, sed negari debet quia donum a solo donante pendet, et humana voluntas non potest ligare divinam. Damus potius cum SUAREZ Deum revelasse Adamo munus ei collatum, ut *a)* majus beneficium aestimaret, *b)* cautius custodiret, et *c)* gravius obligaretur ad divinum praeceptum observandum. Cf. PALMIERI p. 132; MAZZELLA n. 1023; PESCH 274.

[9] S. THOM. *De Malo* q. 4 a. 6.

Art. 8 - De natura peccati originalis. seu de eius reatu culpae et poenae.

591. **In quo peccatum originale a personalibus differat.** Peccatum originale esse peccatum habituale unicuique proprium et distinctum a personalibus vindicavimus in thes. 60; si quis hanc distinctionem velit penitius rimare, invenient originale et personale tripliciter praecipue differre. Primo ratione *voluntarii;* licet enim quidam excogitarint de inclusione nostrae voluntatis in Adamo, per quem *non ipsi voluimus* transgressionem divinae legis [1], communius et verius tenetur originale voluntarium fuisse *solo Adamo;* « sicut (enim) est quoddam bonum, quod respicit naturam et quoddam bonum quod respicit personam; ita est quaedam culpa naturae et quaedam personae. Unde ad culpam personae requiritur voluntas personae...; ad culpam vero naturae non requiritur nisi voluntas in natura illa » [2]; voluntas autem naturae est voluntas capitis a quo processit [3]. Secundo ratione *conversionis* ad creaturas, quae in peccato originali non datur. Revera in peccato personali est inordinata conversio ad creaturas, quia « quicumque avertitur a fine debito, necesse est quod aliquem finem indebitum sibi praestituat, quia omne agens agit propter finem » [4]; sed in originali, ubi tota ratio voluntarii est extra subjectum, deest actus, quo peccator convertatur ad creaturas, et ideo « in peccato originali non est *conversio,* sed sola *aversio* (a Deo), vel aliquid aversioni respondens, scil. destitutio animae a justitia originali » [5]. Tertio ratione *poenitentiae* quae de peccato personali proprie est, quia « proprie dicimur poenitere de his quae nostra voluntate commisimus...; de peccato vero originali... proprie non est, quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum... In quan-

---

[1] Apud *C. Mazzella* n. 1009.

[2] S. Thom. *II Dist.* 30 q. 1 a. 2; 1-2 q. 81 a. 1; 82 a. 1 ad 2; 2-2 q. 108 a. 4.

[3] Ambr. apud *Aug.* C. Jul. op. imp. I c. 48; Aug. *De Civ. Dei* XVI c. 27; *C. Jul.* opus imp. IV n. 104-5; *De Nupt. et concup.* II c. 28 n. 47; *Retract.* I c. 13; Anselm. *De conc. Virg.* etc. c. 23; Bernard. *Dom. 1 post Epiph.* serm. 1 n. 3; S. Thom. *II Dist. l. c.; De Malo* q. 4 a. 1; q. 5 a. 1 ad 9; 1-2 q. 81 a. 1; 3 p. q. 84 a. 2 ad 3.

[4] S. Thom. 2-2 q. 45 a. 1 ad 1.

[5] S. Thom. *De Malo* q. 5 a. 2.

tum tamen large poenitentia accipitur pro quacumque detestatione rei praeteritae, potest dici poenitentia de peccato originali, sicut loquitur Augustinus » [6].

592. **Qui sensus effati: Originali culpa homo spoliatus est gratuitis, vulneratus est in naturalibus.** Ut quisque videt, hoc effatum exhibet poenam originalis peccati. Scil. PRIVATIO GRATIAE SANCTIFICANTIS quae, prout dicit aversionem a Deo, exhibet formalitatem culpae, prout infigitur a Deo induit rationem poenae [7], et integratur substractione CETERORUM DONORUM JUSTITIAE ORIGINALIS, quae, ut diximus [8], in gratia sanctificante radicabantur. Quod attinet ad *vulnera naturae* non una est theologorum sententia: quidam cogitant de partiali corruptione seu laesione eorum quae *consecutive (ab intrinseco)* vel saltem *exigitive (ab extrinseco)* pertinent ad naturam; de imminutione scil. virtutis intellectivae et liberi arbitrii [9], vel de ablatione aut imminutione auxiliorum quibus ultimus finis obtineri debet, vel saltem de permissione impugnationis daemonum [10]; alii, auctoritate et numero non inferiores, intelligunt de sola ablatione donorum praeternaturalium [11]. Hanc sententiam eligimus cum S. THOMA, qui diversa naturae vulnera explicans ait: « Per justitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animae vires et ipsa ratio a Deo perficiebatur ei subjecta. Haec autem originalis justitia subtracta est per peccatum primi parentis... et ideo omnes vires animae remanent quodammodo destitutae proprio ordine. quo naturaliter ordinantur ad virtutem; et ipsa destitutio *vulneratio naturae* dicitur. Sunt autem quatuor potentiae animae quae possunt esse subjecta virtutum...; scil *ratio,* in qua est prudentia; *voluntas,* in qua est justitia; *irascibilis,* in qua est fortitudo; *concupiscibilis,* in qua est temperantia. Inquantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum est *vulnus ignorantiae;* inquantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum est *vulnus malitiae;* inquantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum est *vulnus infirmitatis;* inquantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est *vulnus concupiscentiae* » [12]. Nec aliter sentiendum videtur de *servitute*

---

[6] S. THOM. 3. p. q. 84 a. 2 ad 3.

[7] C. MAZZELLA n. 1001.

[8] Supra n. 550.

[9] GREG. ARIM., ALVAREZ, CONTENSON, THOMAS DE LEMOS, ESPARZA, A. M. BENZA apud *Mazzella* n. 1067. *Pesch* n. 283. *Palmieri* p. 167.

[10] HURTER II n. 421; PESCH n. 283.

[11] « Ratio metaphorae, inquit SUAREZ (*De Grat.* prol. IV c. 8 n. 19), est clara; nam justitia originalis pacem et unionem inter appetitus hominis constituebat, quae unio per peccatum dissoluta est, ablata justitia; et ita factum est vulnus in natura, sicut fit in corpore per dissolutionem continui ».

[12] S. THOM. 1-2 q. 85 a. 3.

diaboli [13]; diabolus enim naturaliter potest infestare hominem sive quoad animam sive quoad corpus [14]; unde diabolica tentatio non est explicanda per positivam immissionem daemonum [15], sed per permissivam tolerantiam, prout, subtracta speciali protectione nostri, Deus quodammodo habenas daemonibus relaxavit.

593. **Errores — Veritas.** Ut alias notabamus, REFORMATORES peccatum originale considerarunt quasi corruptionem naturae [16], LUTHERANI et CALVINISTAE redigerunt ad concupiscentiam [17], et ILLYRICUS dixit substantialem imaginem diaboli, qua anima entitative vitiatur [18]. **Veritas** definita est in CONC. TRID. damnante eos qui negant ex Adae transgressione transfusum esse « peccatum, quod mors est animae », et docente « concupiscentiam... Ecclesiam catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat » [19].

THES. 62. *Peccatum originale — 1 non est quaedam forma substantialis mala, — 2 neque concupiscentia, sed — 3 sanctificantis gratiae privatio ex Adae inobedientia inducta.*

594. **Prima pars.** *Peccatum originale non est animae consubstantiale principium.* Quidquid enim est realitatis notionem entis induit et est a primo principio totius entis quod est Deus [20], malorum intentator [21]. Hinc PATRES contra Manichaeos constanter docent « nullam esse mali essentiam » [22], quippe « malum..., si substantia esset, bonum esset » [23]; quare « malitia *non substantialis* sed accidens est, quae a naturae bonitate deflectit... non ullam creaturae habens praerogativam, nec auctoritatem substantiae naturalis » [24].

---

[13] Colos **1.** 13; **2.** 14-5; Luc. **11.** 21-2; Hebr. **2.** 14.

[14] Supra n. 536-7.

[15] Etiam ante peccatum aderant, nam daemon Evam seduxit.

[16] Supra n. 544.

[17] Apud BELLARM. *De amis. grat.* V c. 5.

[18] L. c. c. 1. Accedunt quidam catholici cum H. GANDAV. G. ARIM., OCHAM (Apud *Vasq.* in 1-2 disp. 132 c. 4) constituentes originale in *morbida qualitate.*

[19] CONC. TRID. sess. 5 cn. 2 et 5.

[20] Supra n. 52.

[21] Jac. **1.** 13.

[22] GREG. Naz Or. in *S. Lavacr.*; HIER. ep. ad *Ctesiphontem.*

[23] AUG. *Conf.* VII c. 12; *C. Jul.* I c. 3.

[24] AMBR. *Hexaem.* I c. 8; EPIPH. *Haer.* 37.

595. **Secunda pars.** *Peccatum originale non est concupiscentia.* Nam *a)* concupiscentia metaphorice dicitur peccatum [25]: atqui, ut vidimus, Rom. 5. 12 sqq. nullum est indicium metaphorae: ergo. *b)* Ἡ ἁμαρτία est causa mortis *(per peccatum mors):* atqui concupiscentia non meretur poenam, utpote quae reatum culpae non involvit: ergo. *c)* Originali peccato omnes *peccaverunt* in Adam, quo omnes *constituti* sunt peccatores: atqui in lactentibus concupiscentia ne ad actum quidem materialem peccati inducit: ergo. *d)* Tandem peccatum ex Adamo contractum relaxatur gratia Christi: atqui gratia Christi a concupiscentiae fomite non liberamur: ergo. — Quod si concupiscentia non est ipsum peccatum originale, est tamen ejus corollarium; unde similitudine accepta ab exteriori actu peccati qui, voluntate remota, culpa vacat [26], dicitur *pars materialis* peccati originalis: sicut enim in peccato personali actus externus procedit a mala voluntate, ita concupiscentia est a peccato originali [27], et sicut actus externus integrat et complet peccatum voluntatis, ita concupiscentia quodammodo integrat peccatum originale pro quanto est privatio originalis justitiae, quae immunitate a fomite concupiscentiae perficiebatur [28].

596. **Tertia pars.** *Peccatum originale consistit in privatione gratiae ex Adae transgressione inducta.* Consistit in privatione *gratiae sanctificantis* [29], nam, ut vidimus, est verum peccatum

---

[25] *Concupiscentia* physice sumpta, est pars appetitus sensibilis, opponitur irascibili et dicit *appetitum sensibilis delectationis* (S. THOM. 1-2 q. 30 a. 1) etiam *secundum ordinem rationis* (S. THOM. *l. c.*, q. 82 a. 3 ad 1; *II Dist.* 30 q. 1 a. 1 ad 4); moraliter sumpta, exprimit privationem doni integritatis, dicit irascibilem et concupiscibilem *insubordinatos* rationi, et definitur a S. THOMA 3 p. q. 15 a. 2: « inclinatio sensualis appetitus in id quod est contra rationem ».

[26] S. THOM. *II Dist.* 30 q. 1 a. 3; 32 q. 1 a. 1 ad 3; *De Malo* q. 4 a. 2; 1-2 q. 82 a. 3; q. 83 a. 2 ad 4.

[27] SYLVIUS *Com.* in 1-2 q. 82 a. 3.

[28] SALMANT. *Theol.* trac. 13 Disp. 16 dub. 4 § 3; PALMIERI p. 136-42; C. MAZZELLA n. 1003. — *NB.* Cum dicimus concupiscentiam *integrare* peccatum originale, ipsam non constituimus in eodem ordine, in quo est privatio gratiae, sed huic addimus quasi accidentale complementum. Nota insuper concupiscentiam diversimode se habere in *renato* et in *non baptizato;* sicut enim habitus malus ante poenitentiam est *vitium,* in justo autem *malum physicum,* ita concupiscentia ante baptismum integrat peccatum originale, recepta autem gratia, meram formalitatem mali physici retinet.

[29] Communius dicitur cum S. THOM. (1-2 q. 82 a. 3) *privatio originalis justitiae;* sed quia in originali justitia pars formalis erat *gratia sanctificans* et in praesenti praescindimus a parte mate-

mortale habituale : atqui in praesenti ordine elevationis mortale habituale formaliter consistit in privatione gratiae sanctificantis [30] : ergo. Hinc CONC. ARAUS. originale peccatum vocat *mortem animae* et TRID. constituit in amissione *sanctitatis et justitiae,* quam sibi et nobis perdidit Adam, nobis vero redditur per baptismum quo incorporamur Christo qui factus est nobis *justitia, sanctificatio* et *redemptio* [31] ; patet autem animam mori privatione gratiae quae est vita animae, sanctitatem vero et justitiam esse per gratiam, qua filii Dei efficimur. Est autem vera *privatio* et non solus *defectus* seu *carentia* gratiae, quia « defectus simplicem negationem alicujus boni importat... unde carentia alicujus, etiamsi non sit natum haberi, defectus potest dici ; sed non potest dici malum (cujusmodi est peccatum) nisi sit defectus illius boni quod natum est haberi » [32] : atqui in statu elevationis gratia esse deberet in homine : ergo ejus defectus est verum malum, quod « nomen *privationis* est » [33]. Dicitur tandem *ex Adae transgressione inducta,* quia « culpa super hoc (defectum et privationem) addit rationem voluntarii : ex hoc enim aliquid culpatur, quod deficit in eo, quod per suam voluntatem haberi potest. Unde oportet quod secundum hoc quod aliquid rationem culpae habet, secundum hoc ratio voluntarii in eo reperiatur » [34]. Non ergo sufficienter definitur peccatum originale nisi exprimatur specialis modus quo in eo ratio voluntarii invenitur : originale autem peccatum ex solo Adamo desumere rationem voluntarii et ex ejus inobedientia esse derivatum ostendimus.

THES. 63. *Originali peccato — 1 non debetur poena sensus, et ideo — 2 parvuli sine baptismo decedentes non cruciantur in inferno.*

597. **Prima pars.** *Peccato originali non debetur poena sensus.* Nam « poena proportionatur culpae et ideo peccato actuali mortali, in quo invenitur aversio ab incommutabili bono et conversio ad bonum commutabile, debetur et *poena damni,* scil. carentia visionis

---

riali quae est concupiscentia, ideo cum eodem S. THOM. (1 p. q. 95 coll. *De Malo* q. 4 a. 2) peccatum originale vocamus *privationem gratiae sanctificantis.*

[30] Supra n. 568.

[31] CONC. ARAUS. II cn. 2 ; TRID. sess. V c. 1, 2, 3 ; sess. VI cn. 3.

[32] S. THOM. *II Dist.* 30 q. 1 a. 2.

[33] S. THOM. *l. c.*

[34] S. THOM. *II Dist.* 30 q. 1 a. 2 ; 1-2 q. 80 a. 1 ; AUG. *De vera Relig.* c. 14 n. 27 ; pr. 46, 47, 48 dam. in BAJO.

divinae respondens aversioni, et *poena sensus* respondens conversioni. Sed in peccato originali non est conversio, sed sola aversio... et ideo peccato originali *non debetur poena sensus, sed solum poena damni* » [35]. Hinc concupiscentia et infirmitates vitae non debent concipi quasi poena directe inflicta a Deo quae, utpote *taxata,* aequaliter omnibus applicaretur, sed tamquam corollarium poenae damni, prout, remota gratia, qua ligabatur fomes concupiscentiae, *indirecte* secuta est inclinatio in actus inordinatos [36], et ablata speciali providentia, qua infirmitates et mors praecavebantur, « consequuntur diversa incommoda, quae diversimode inveniuntur in diversis, licet habeant aequalem culpam originalis peccati » [37].

598. **Secunda pars.** *Parvuli sine baptismo decedentes non cruciantur in inferno* [38]. Nam « sicut culpa non fuit per *operationem* eorum, ita nec poena per passionem eorum esse debet » [39]; imo cum « numquam fuerunt proportionati ad hoc quod vitam aeternam haberent... nihil omnino dolent de carentia visionis divinae » [40]. Nec solum nulla poena positiva affliguntur, sed « in perfectionibus et bonitatibus, quae naturam sequuntur ex suis principiis, nullum detrimentum (patiuntur) » [41]; unde, quamvis « sint separati a Deo, quantum ad illam conjunctionem, quae est per gloriam; non tamen ab eo penitus separati sunt. Imo ipsi conjunguntur per participationem naturalium bonorum; et ita etiam de ipso gaudere possunt naturali cognitione et delectatione » [42].

599. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Apostolus non solum dicit concupiscentiam peccatum, sed exprimit ipsissima voce ἡ ἁμαρτία qua peccatum originale constanter nominat [43]: atqui identitas nominis identitatem rei supponit: ergo. **Resp.** *Neg. min.,* nam nomen etiam analogice et improprie sumitur; unde concupiscentia metonimice dicitur

---

[35] S. THOM. *De Malo* q. 5 a. 2.

[36] S. THOM. 1-2 q. 82 a. 1 ad 3.

[37] S. THOM. *De Malo* q. 5 a. 4.

[38] Non defuerunt e Patribus qui poenam aliquam positivam non removeret a decedentibus cum solo originali. Sic AUG. *Serm.* 294 (al. 14) *De verb. Apost.* c. 3; *De pecc. mer. et remiss.* I c. 16; *Enchir.* c. 93; *C. Jul.* V c. 11; FULG. *De incar. et grat.* c. 14 et 30; GREG. M. *Moral.* IX c. 21; ISID. Hisp. *Sent.* I c. 22; ANSEL. *De concep. virg.* c. 23. Nostris temporibus, idem docuerunt CARD. NORIS et SCHMID.

[39] S. THOM. *II Dist.* 33 q. 2 a. 1. Cf. INNOC. III cap. *Majores;* PIUM VI condem. prop. 26 *Syn. Pistor.*

[40] S. THOM. *l. c.* a. 2. Quomodo hoc possit intelligi videbis in opusc. *De natura et remiss. pecc.* n. 101 sqq.

[41] S. THOM. *l. c.* a. 1.

[42] S. THOM. *l. c.* a. 2 ad 5.

[43] Rom. **6**. 1 sqq.

peccatum quia a peccato est, ad peccatum inducit et peccati originalis est quasi pars materialis [44].

600. **Objic. 2.** AUG. saepe docet concupiscentiam esse peccatum [45] quod adversatur praecepto *non concupisces* [46]: atqui non est peccatum personale: ergo est originale. **Resp.** « Nusquam AUG. disertis verbis dicit concupiscentiam proprie esse peccatum sed contrarium affirmat in omnibus tomis operum suorum » [47]. Revera dicit quod concupiscentia est absque culpa in corpore non consentientis vel dormientis [48], comparat infirmitatibus physicis [49] quae profecto peccata non sunt, et notat esse servatam in renatis « ad magnam utilitatem (tamquam) materiam... certaminum, ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas » [50]; cum vero opponit praecepto *non concupisces,* considerat finem legis, in quantum scil. concupiscentia movet ad turpia et impedit illam perfectam subjectionem carnis quae immortali resurrectione complebitur [51].

601. **Objic. 3.** Si parvuli decedentes sine baptismo sensibili poena non mulctarentur, essent in statu naturalis beatitudinis: atqui definitum est quod incurrent *sinistram partem* [52], et descendent *in infernum* [53]: ergo. **Resp.** Distinguendum est inter *formalem* et *materialem* rationem status puerorum decedentium sine baptismate: *formaliter* non sunt in statu naturalis beatitudinis, siquidem sunt destinati ad aeternam beatitudinem, quam amittentes, sunt in vero et proprie dicto statu damnationis; sed *materialiter* habent eadem bona quae assecuti essent in statu purae naturae. « Non magis, inquit BELLARM., differt status hominis post lapsum a statu quidem in puris naturalibus, quam differt *spoliatus* a *nudo,* neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, neque magis ignorantia et infirmitate laborat, quam esset et

---

[44] *Τῇ ἁμαρτίᾳ* inquit CORNELY *in Rom.* **6.** 1 p. 312, « originale peccatum designatur (et quidem in hac sectione potissimum, ne dicam unice) secundum *partem quasi materialem* suam, i. e. secundum concupiscentiam, quae in renatis, reatu culpae deleto, remanet, ut eis sit ad agonem, quamque ab Apostolo aliquando simpliciter *peccatum* appellari certum est, non quia vere et proprie in renatis peccatum est, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat ».

[45] LUTH. *Ass. ar.* 2; PHILIP. *Apol conf. Aug.*

[46] AUG. *De Nupt. et conc.* I c. 24; c. 29; *epist.* 196 (alias 200) *ad Asellic.*

[47] BELLAR. *De amis. grat.* V c. 8 ubi affert 18 testimonia ex diversis Aug. operibus.

[48] AUG. *De Civ. Dei* I c. 25.

[49] AUG. *C. Jul.* VI c. 16; *De Trin.* XIV c. 17.

[50] AUG. *De voc. gent.* I c. 7; *De pecc. merit. et remis.* II c. 4.

[51] PALMIERI p. 93-99; C. MAZZELLA n. 990.

[52] CONC. MILEV. II cn. 3; DECR. INNOC. III *contra Petrob., Arnald., Wald.*

[53] CONC. FLOR. *De union. graec.* Vide tamen *Palmieri* p. 193.

laboraret in puris naturalibus condita. Proinde corruptio naturae non ex alicujus doni naturalis carentia, neque ex alicujus malae qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ab Adae peccato amissione profluxit. Quae sententia communis est doctorum Scholasticorum veterum et recentiorum » [54].

CONCLUSIO.

602. Qui recogitat innumerabilia mala quae originali culpa nobis obvenerunt, vellet maledicere ei per quem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors. Ne faciat! Vetat sane *pietas*, qui enim immane facinus commisit est pater noster, et *qui maledicit patri suo et matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris* [1]: vetat *conscientia propriae infirmitatis*, qui enim peccavimus non debemus lapidem in peccantem mittere [2]: vetat *Adae poenitentia, nihil* siquidem *damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu* [3]: vetant *ruinae fines*, siquidem, Adamo perseverante, adhuc nostra culpa deficere poteramus [4]: vetat *misericordia Dei*, qui noscens de malis bene facere [5], ut ostenderet divitias gloriae suae in vasis misericordiae quae praeparavit in gloriam [6], misit Filium suum in mundum [7], qui chirographum decreti affigens cruci [8], ruinam in resurrectionem vertit, salutem faciens ex inimicis nostris [9], secundum illud Apostoli: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis* [10]. Protoparentibus sit igitur nostra commiseratio, Christo autem gloria in saecula saeculorum. Amen.

---

[54] BELLARM. *De grat. primi hom.* c. 5.

[1] Prov. **20**. 20.

[2] Joan. **8**. 7.

[3] Rom. **8**. 1; Sap. **5**. 1.

[4] Adamo perseverante, S. ANSEL. *Cur Deus homo* I c. 18 quidem dixit omnes confirmatos futuros fuisse in gratia, sed S. THOM. 1 p. q. 100 a. 2 negat, quia « pueri in sua nativitate non habuissent plus perfectionis, quam eorum parentes in statu generationis; parentes autem quamdiu generassent non fuissent confirmati in gratia ».

[5] AUG. *C. Faust. manich.* XXII c. 45.

[6] Rom. **9**. 23.

[7] Joan. **3**. 17.

[8] Colos. **2**. 14.

[9] Luc. **1**. 71.

[10] Rom. **8**. 18.

A. M. D. G.

APPENDIX

DOGMATICA QUÆDAM MONUMENTA ARCHÆOLOGIÆ CHRISTIANÆ.

DEUS.

Primaeva monumenta, quae ad traditionem circa exposita in hoc volumine dogmata confirmandam adduci possunt, parum aut fere nihil de intimioribus quaestionibus ad essentiam divinam personarumque relationes attinentibus exhibent. Namque funeraria monumenta quid populus in vehementioribus affectibus sentiret nobis aperiunt, ac nonnisi indirecte meroque casu, ideoque quam rarissime, aliud quid innuunt quod Sacra Scriptura, Patres et scholæ dumtaxat plene explicateque docere valent. Nihilominus, parum illud quod in praefatis monumentis delibare possumus, testimonium haud exiguum aliquando catholicae veritatis evadit.

Sic de *Deo uno* innumeræ pene testantur epigraphicæ formulæ, quarum in aliquibus divina unitas etiam explicite significatur, ut in quodam saeculi III romano epitaphio in quo legitur:

IN VNV*m* DEV*m* CREDIDIT (Boldetti, *Osserv.*, p. 456).

Trinitatis autem vel a saeculo II habetur epigraphica formula in hoc a J. B. De Rossi titulo invento apud Flaviae Domitillae hypogeum:

*Iu*CVNDIANVS *qui credidit in*
CHRISTVM IES*um vivit in*
*Patr*E · ET · FILIO ET ISP*iritu sancto*

Ad *Jesu Christi divinitatem* quod pertinet, nullibi magis quam in monumentis fides priscorum christianorum in hoc dogma elucet; de quo quidem in Appendice tertii voluminis erit sermo.

Divinitas denique *Spiritus Sancti,* item credita, non minus perspicue apparet, licet rarius; cuius rei caussa in meo de *Christiana Epigraphia* libro fuse explicavi (pagg. 76, 77, 78 et 79). Etenim eadem prorsus formula superstites vitam in Deo, in Christo, in Spiritu Sancto ominabantur defunctis. Exempli gratia:

CAR(*o*) KYRIACO
FILIO DVLCISSIMO
VIBAS (*i*)N SPIRITO (sic) SA*ncto*

(Saec. III — Cœm. S. Callisti)

Praeterea, Christus *Filius* dicitur, et aliquando etiam *Natus,* ut in poetico epitaphio cuiusdam Agapes, sæculo II concinnato:

VOS PRECOR O FRATRES ORARE HVC QVANDO VENITIS
ET PRECIBVS TOTIS PATREM NATVMQVE ROGATIS
SIT VESTRAE MENTIS AGAPES CARAE MEMINISSE
. . . . . .

(Cœm. Priscillæ)

ANGELI.

Angeli in monumentis revera ut ministri Dei, hominumque adiutores apparent, nec solum hominum sed etiam civitatum et sepulcrorum custodes inveniuntur. Sic ab angelis iustorum animae accersitae dicebantur, qui quidem conceptus vel in antiquissimis liturgiis occurrit.

Epitaphium romanum.	*Liturgia funeraria.*
SEVERO FILIO DVLCISSIMO . . . . . . ACCERSITVS AB ANGELIS (Sæc. circiter III)	Subvenite sancti Dei occurrite angeli Domini. In paradisum deducant te angeli.

Iam liturgiae, iuxta formam qua ad nos pervenerunt, saeculo quinto quartove haud sunt antiquiores ; sed prototypon vetustissimum supponunt, quod ex eo praesertim colligitur quia persaepe formulae epigraphicae liturgiarum repetitiones sunt.

Inscriptio quaedam a clarissimo R. Weil relata sic habet :

. . . . . .

ἐνορκίζω ὑμᾶς τόν ὧδε εφεστῶτα ἄγγελος,
μὴ τὶς ποτε τολμὴ(ση) ἐνθάδε τινὰ χαταθέσθε.
Ἰησοῦ Χρειστε βοήθει τῷ γράψαντι πανοικί.

Id est : « Precor, propter angelum hic stantem, ne quis alterum huc cadaver introducere audeat. Iesu Christe, sculptorem eiusque familiam adiuva.»

PROTOPARENTUM LAPSUS.

Peccati originalis cuius consequentia, praeter alia, mors est corporis, proindeque animae a corpore temporalis separatio, eloquentissima extant in monumentis testimonia, tum insculptis tum depictis ; et exemplum nobis est ipso in Agapes epitaphio, in quo legimus parentes filiae carissimae aequo animo mortem tulisse, quia Dei voluntate atque ob originalem protoparentum culpam id evenerat :

DIXIT ET HOC PATER OMNIPOTENS CVM *pelleret Adam*
DE TERRA SVMPTVS TERRAE TRADERIS HVMANDVS
SIC NOBIS SITA FILIA EST AGAPE CHRISTO *que volente.*

NB. Curavit P. Syxtus monachus Abbatiae catacumbarum S. Callisti.

INDEX ALPHABETICUS.

(Indicantur numeri marginales — *n* notam signat).

A

Acaciani 261 *n.*

Accidentia non creantur sed concreantur.

Actio principiative, terminative, formaliter 290 *n.*

Adagia quaedam. *Primum ontologicum est primum logicum* 23, 35. — *Propter quod unumquodque tale, et illud magis* 36. — *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* 279-80. — *Ex nihilo nihil fit.* 359.

Adam non est *novus homo* de quo loquitur Apost. 548; fuit typus Christi 231 *n.*, caput physicum 592 sqq. et morale 590 totius humanitatis: corpus immediate a Deo habuit 450, de limo terrae 443: in primo creationis momento 546 constitutus est in gratia 548 sanctificante 545, sibi indebita 549, quam aliquo tempore servavit 546: cum gratia accepit a Deo donum integritatis 554, immortalitatis 560 et perfectissimae scientiae 562 sqq. revelationibus quoque auctae 377 *n.* 544 *n.*: graviter peccavit 572 sq., et sic amisit originalem justitiam 574, et factus est causa originalis culpae 588 sqq., quin inde nostram maledictionem mereatur 602.

Adonai nomen Dei 4.

Aegyptiaca trinitas cum christiana non est confundenda 264.

Aenigma; sermo obscurus 28 *n.*

Aeternitas quid 136: differt a tempore et ab aevo 137: ejus definitio 138. Mundus non est aeternus 376; sed aeternus est Deus 140, qui immutabiliter adest successioni rerum 141, et sua aeternitate futura cognoscit 163 *n.*, 180.

Aevum distinguitur a tempore et ab aeternitate 137.

Agnosticorum error 5.

Albigensium error 576.

Amor est proprius actus voluntatis 294 *n.*: duplex principium subaudit 148, 295: sed dubitatur an ejus terminus ab actione distinguatur 294 *n.*: in quo amor benevolentiae ab amore concupiscentiae differat 199, 371: personaliter acceptus est nomen Spiritus S. 326.

Anabaptistarum error 425.

Angeli nomen habent officii 419, analogice dicuntur ventus et flamma 430: existunt 429; sunt puri spiritus 427, 435, peracuto intellectu praediti 436, quamvis ignorent futura libera et secreta cordium 437; libertate gaudent 439: et sunt superiores hominibus, inferiores Deo 428: quando creati 420: eorum numerus 421, distinctio 422, ordines et hierarchia 423: commemorantur in hexaemero 429: *OPERATIO*. Quomodo appareant 413-2, sint et moveantur in loco 414, agant in corpus 441 et in

spiritum 441 ; invicem loquantur et se illuminent 439. Ipsi influunt in naturae cursum 412, 493, sed actiones animales non exercent 433, neque corpus Adae efformarunt 443. *ELEVATIO*. Quae angelorum gratia 519 ; plures in accepta justitia perseverando aeternam felicitatem sunt adepti 524, sed alii peccarunt et sunt damnati, v. *Daemones*. Angeli boni sunt deputati ad custodiam hominum 532 : qui quidem non sunt tantum electi 533, sed omnes a nativitate ad mortem 530, et probabilius etiam illi qui in purgatorio degunt 530 *n*. In quo angelorum custodia consistat 528 et qui angeli ad hoc officium deputentur 529.

ANIMA HUMANA a Deo creatur 475, 484, cum corpori infunditur 470, 476, 485 : est spiritualis 473, 477 sq., 499 sq. et immortalis 474, 479, minus tamen quam Deus 471 : unica in unoquoque homine 495, est sola 487 forma substantialis corporis 496, 499 sq. : huic intime vincitur 489, eumque movet 477, sed ab eo non pendet in esse et operari 465, 489 ; unde etiam separata a corpore potest intelligere 480. V. *Intellectus, Voluntas*.

ANIMAL irrationale subditur divinae providentiae 210 sed secundarie 213, nec potest ad supernaturalem ordinem elevari 506-7.

ANNIHILATIO rerum non datur 416.

ANOMAEORUM errores 103, 130.

ANSELMIANUM argumentum pro existentia Dei 21 reprobatur 30.

ANTHROPOMORPHISTARUM error 72.

APOLLINARISTARUM error 494.

APPROPRIATIONIS LEX quid in Trinitate importet 327.

ARCHAEOLOGIAE monumenta de Unitate 146 et Trinitate Dei 286, de angelorum existentia 426, de immortalitate animae 474 et de originali peccato 582.

ARIANORUM errores 261, 270, 300.

ARTEMONIS error 261.

ATHEISMUS quid 5 : atheistae 2, 139 negativi non sunt 5, positivi sunt inexcusabiles 8*n*.

ATOMISMUS improbatur 488 ; atomi non sunt incorruptibiles 60 : atomistarum errores 335, 494.

ATTRIBUTUM divinum quid et quotuplex 99 : quomodo a proprietatibus differat l. c. *n.* : quomodo divina attributa distinguantur 8, 104 sqq.

AUGUSTINUS (S.) ab ontologismi labe expurgatur 40.

B

BAPTISMUS quo sensu dabatur in nomine Christi 287, et qua de causa ejus collatio ad seriorem aetatem differebatur 585.

Barà an Gen. **1.** 1 notionem creationis praeferat 350 *n*, 351, 354.

BATYBION V. *Eozoon*.

BEATIFICA VISIO probabiliter est sine verbo intellectuali 291 *n*. 293 *n*.

BONAVENTURA (S.) ab ontologismo expurgatur 39.

BUDHISTARUM error 335.

C

CAJETANUS erravit in quaestione de corpore Evae 456 et de protoparentum lapsu 571.

CALVINISTARUM errores 231, 559, 593.

CAUSA quid 331, et quomodo dividatur 332 : quae mundi causae 333, causa efficiens est radix dominii 337 *n.* : quae causa exemplaris 360 et quae finalis 365 : an de causis ignotis judicari liceat 59. — Causalitatis principium ab impugnatione rationalistarum defenditur 54 sqq.

CHERUBIN nomen est naturae et non dignitatis 525.

CHRISTUS *novus homo* 548, et creationis finis 367.

CIRCUMSESSIO quid 328.
COADAMITARUM error 449.
COELUM ET TERRA quid in testimonio Gen. 1, 1, 351, 355.
COGNITIO propria et analogica, clara et obscura 3, sensitiva intellectiva et rationalis 459, vera etsi partialis 108, intuitiva et non comprehensiva 134-5 : sensitiva est immediata et propria 12 *n*, intellectiva quomodo a sensu sit independens 465, 489 : ejus genesis 17 *n*. et medium 172. V. *Deus, Angelus*.
COMPREHENSIO divinitatis Dei propria est 131, 160 sqq., 166; quo sensu dicatur de sanctis 132.
CONCUPISCENTIA quid 595 *n.* : aliter se habet in renato et in non baptizato *l. c.* : non est peccatum originale sed ejus pars materialis 595, 599 sq.
CONDITIO in quo a causa differat 331 *n*.
CONFIRMATIO in gratia non fuisset universalis in ipso statu innocentiae 602.
CONNOTATISTAE in quo erraverint 103.
CONSERVATIO quid et quotuplex 411; Deus omnia conservat 415 : quomodo 412.
CONTACTUS virtutis quid sit 477.
COR metaphorice dicitur de intellectu et de voluntate 5 *n*.
CORPORIS duplex compositio 85 *n.* : divina virtute potest agere in spiritum 432 : corpus humanum est a Deo 450, pluribus constat elementis 443, ab anima regitur imperio politico 489, et est ejus speculum 489.
COSMOGONIA V. *Hexaemerus*.
CREATIO quid improprie 343 *n*, et proprie 343-4 : activa 345 et passiva 346 : non est mutatio et fit in istanti a virtute infinita 347, cui creaturae ne instrumentaliter quidem possunt cooperari 348 : eam esse ab aeterno repugnat 373.
CREATURAE irrationales sunt vestigia, rationales imagines Dei 363 : illae in istas coordinatur 367, eisque subduntur 531 : creatura substantiâ supernaturalis repugnat 506 *n*.
CULTUS externi quae ratio 78.

D

DAEMONES peccarunt 525, sunt damnati 526 et reservantur in judicium 527 : de eorum numero et de tempore quo a justitiae statu defecerunt 520 : de peccati eorum malitia 521 et natura 522 : hierarchia carent sed non principatu 423 *n*, loquuntur sed non illuminant 438 : sunt media divinae providentiae et executores justitiae ejus 539, sed non fecerunt hominem a lumbis ad pedes 555 *n*. Multimode homines impugnant 535 : scil. moraliter tentatione 536, 541 et physice seu infestatione 537, 542-3 : hujus infestationis signa, occasiones 538 et causae 539 : cur apud christianos obsessio sit rarior 543 *n*.
DEAMBULATIO Dei quid sit 125.
DEBITUM an aliquid sit nobis a Deo 504 *n*.
DEGENERATI educatio utilis 490 *n*.
DEISTARUM error 209.
DEMONSTRATIONI existentiae Dei quae praesupponeda 13.
DESIDERIUM naturale frustrari nequit 474 *n*.
DETERMINATIO voluntatis an sit a Deo 181 *n*, 469.
DEUS est anonymus et polyonymus 65 : quae ejus nomina 4, 197 *n.* : quae nomina SS. Trinitatis 269, 326. *DEI COGNITIO* analogica et propria clara et obscura, vera et falsa 3, vulgaris et philosophica 44. Verus Deus, licet infinite distet a nostra mente 14, certo potest cognosci 8-10 et quidem uti a mundo distinctus 11. Dei cognitio non est per revelationem 27, neque simpliciter per parentes 32, sed ex virtute mentis, quae licet Deum non percipiat immediata vi-

sione 28, neque ideis innatis 29, neque argumento a priori 30, vere tamen assequitur argumento deductivo 15, et quidem non ex immanentiae placitis 31, sed causalitatis principio ex mundi visibilis consideratione 45-53. Dei cognitio comprehensiva creatae virtuti repugnat 131, ac proinde Deus a sanctis proprio nomine nequit vocari 65 *n.*; in hac autem vita sola cognitio analogica datur 62, nec est divinae intuitionis naturale desiderium 517. — Quo sensu Deus videri dicatur 33 et in ipso ac per ipsum omnia cognosci 38; quomodo ejus cognitio vocetur insita, conserta, congenita 41, vel ex dispositionibus animi eruta 43. *ESSENTIA.* Quid intelligatur nomine essentiae metaphysicae Dei 66, 69: essentia Dei in notione entis per se stantis est reponenda 68: in quo divina essentia differat a persona 259 et a relationibus 323-4. *PROPRIETATES.* Deus est purissimus spiritus 73, ac simplicissimus 74, nec in aliorum compositionem potest venire 75; Divinae autem simplicitati non obstant sensibiles ejus imagines 76, nec cultus externus 78, nec attributorum multitudo 80, neque Personarum distinctio 81, neque hypostatica unio ad humanam naturam 82. Deus est perfectissimus 83, 91, et a creaturis infinite distans 74 *n,* earum perfectiones eminenter continet 86, 92, vere infinitus 87, 93 sqq., vivus, verus, bonus, sanctus 88, admirabilis, adorandus et diligendus 89. — Quo sensu sit nobis debitor 504 *n. ATTRIBUTA.* Quid attributum divinum 99, quodnam fundamentum distinctionis eorum 102: in Deo attributa non distinguuntur realiter, neque formaliter, sed ratione tantum 104 sqq. Deus est immutabilis 113, suaeque immutabilitati non obstant operationes in tempore 111, neque diversae relationes ad creaturas 114 sqq. Est ubique 123 per praesentiam, potentiam et essentiam 118; unde adest peccatoribus 127 etsi specialiter habitet in justis 121: quae suae praesentiae sit radix 119 sq. Est immensus 124, incomprehensibilis 131, aeternus 140 sqq., et unus 146. *OPERATIONES.* Deus est summe intelligens 150, 155: divinae scientiae dotes 151, et divisio 152: an scientia Dei sit causa rerum 153. Deus se comprehendit 160, 166, cognoscit mala et infinita 158, 165, existentia 161, secreta cordium 162, futura 163, futuribilia 164. Medium necessarium divinae cognitionis est divina essentia adaequate inspecta 175: possibilia Deus cognoscit in essentia formaliter considerata 176, existentia in sua operatione 177, futurum autem et futuribile non in causis secundis 178, neque in se ipsis 179, neque in aeternitate formaliter inspecta 180, neque in decretis praedeterminantibus 181, sed futuribilia scrutatur in sua essentia prout est imago entis liberi 182, futura prout scientiae mediae 174 superadditur notitia decreti deducendi in actum quod praevisum erat futuribile 183. Est in Deo voluntas 192, quae distinguitur in antecedentem et consequentem, signi et beneplaciti 185, ordinatam et absolutam 188. Divina voluntas est perfectissima 206, causam non habet 187, et valde differt a nostra 186: Deus vult etiam alia a se ex pura benevolentia 199 sed propter semetipsum 193; porro mala physica vult indirecte 194, peccata autem non vult 195, 200, sed permittit 196, 202. Proprietates divinae voluntatis sunt omnipotentia 188, 197, 203 et libertas 198, 204: omnipotentiae autem Dei non obstat nostra libertas 189, quae ea potius firmatur 190,

quippe Deus movit infallibiliter 467 sed non determinat 469 .— Deus est creator 336 sqq. et conservator omnium 415, quae sua providentia 207 sine exceptione gubernat 210, specialem curam hominum gerens 211. — Est in Deo voluntas salvifica 218 universalis 221 sqq., quae diversimode respicit adultos et parvulos 219 : Deus aliquos gratuito 133, 245 praedestinat ad vitam aeternam 132, alios autem reprobat, sed voluntate tantum consequenti 133, 247-8.

DILUVIUM qualiter universale 447.

DISTINCTIO quid et quotuplex 100, quae distinctio in Deo ponenda 101, 280.

DONUM nomen Spiritus S. 326.

E

EBIONITARUM error 261.

EDUCATIONIS necessitas et utilitas 490.

EL Dei nomen 4.

ELECTI sunt finis proximus creationis 245 *n*, 367 : eorum numerus 227 : de electionis ordine sententiae plurimae 242 ; probabilius est ante praevisa merita 245, sed non independenter ab eis 246 : quomodo hoc possit explicari 244.

ELJON divinum attributum 4.

ELOHIM nomen Dei 4.

EMANANTISMI error 472.

EMBRYO hominis a foetibus animalium differt 404, 455 : successive triplici anima informatur 470.

ENS absolutum et universale 34, in actu et potentia 37, per se stans 67 : entis ratio an eadem in omnibus 18 : an primum logicum 33 *n*, 39 : efficienter non attingitur virtute creata 120 *n*.

ENTELECHIA evincitur 53, 60.

ENTROPIA quae lex 49, 60.

EOZOON seu batybion non explicat originem vitae 50 *n*.

EPICUREORUM error 209.

ERUBESCENTIAE radix 554 : in habente concupiscentiam est bona 554 *n*.

ESSENTIA quid 256 : in quo differat a supposito 257.

EUNOMIANORUM errores 103, 130, 261.

EVAE corpus a Deo 451 quomodo efformatum 444 : an Genesis enarratio metaphoricae possit exponi 456 : quo sensu Eva sit decepta 563 *n.* : ejus peccatum non transfunditur 588.

EVERSIO mundi quando 413 et quomodo 414 fiet.

EXISTENTIA summa est perfectio 94.

Ex nihilo nihil fit 359.

F

FATALISTARUM errores 191, 209, 335, 363, 462.

FIGURAM (in) quomodo Israëlitarum opera contingebant 454.

FILIUS nomen proprium secundae Personae SS. Trinitatis 269 : ejus synonyma 308, 326 : est verus Deus 272 : procedit 301, vera generatione 302 a solo Patre 303, cum quo est unum Spiritus S. principium 305-6 : quo sensu dicatur inferior Patre 275. — Quando nomen *filii Dei* in Scripturis sit intelligendum de vero Deo 272 — Filii Dei in Gen. **6**. 4 sunt filii Seth 433.

FINIS quid et quotuplex 365 : rerum finalitas multipliciter apparet 53, 393, 341, 402 : eorum finis ultimus est Deus 366, proximus homo, electi, Christus 367.

FLAMMA cur dicantur angeli 430.

FORMA substantialis quid 486 : unica est in corpore 487.

FORTUITO nihil fit 208.

FOSSILIA mundi antiquitatem probant 374 *n*.

FUTURIBILE quid 157 : habet determinatam veritatem 164, 171 : a Deo certo 169 cognoscitur 164, 170 non in seipso 179, neque in suis decretis

181, neque in aeternitate formaliter inspecta 180, sed in sua essentia prout est imago entis liberi 182.

FUTURUM quid 157 : futura Deus cognoscit 163 sua aeternitate 168, non in causis secundis 178, neque in se ipsis 179, neque in suis decretis praedeterminantibus 181, sed in sua essentia operationi conjuncta 183.

G

GENERATIO quid 292 : quando imperfectionem inferat 210-2, 276 : non est illicita 587, 484, etsi ipsa contrahatur originale peccatum 589 sq. — Generatio spontanea non datur 50 — Quid generatio in SS. Trinitatis mysterio 297.

GLORIA DEI est creationis finis 366, 369.

GNOSTICORUM errores 145, 261, 270, 335, 349, 363, 425, 576.

GRAECORUM schismaticorum errores 261, 300.

GRATIA improprie dicta est bonum naturae 504 *n*, propriissime sumpta habitus supernaturalis entitativus 505 *n*. — Quae gratia angelorum 519, et quae protoparentum 545 sqq. — Gratiae privatio sub diverso respectu est peccatum formale, et ejus poena 568, 592 — Gratiae actualis necessitas pro justo 505 *n*.

H

HEXAEMERUS Mosaicus quid 377 : est Moyse antiquior 377 *n*. De ejus sensu sententiae plurimae recensentur 378-81 et judicantur 382 : expositiones mythica, evolutiva, symbolica, liturgica, poëtica, idealistica et cosmogoniae popularis improbantur 383-5 ; quae vero litteralis dicitur, non scientifico sed vulgari sensu est exponenda 386-7. Difficultates plurimae solvuntur 388-92, 429.

HIERARCHIA quid 423, est in angelis l. c., sed non in daemonibus l. c. *n*.

HISTORIA dogmatis Trinitarii 261, et elevationis humanae naturae 544.

HOMO est *micros cosmos* 442 : non evolutione ortus 443-4, sed a Deo formatus 450 sqq. ad suam imaginem et similitudinem 77, 362, unde in pluribus differt a simiis 406 *n*. Ejus antiquitas non est remotissima 445, 457 : communi vero origini ab Adam 452 et probabilius a Noë 447 non obstat varietas stirpium 448. — Homo est intelligens 463 et liber 464 : ejus intelligentia imperfectior est angelica 459 et sensibilibus actionibus intime vincitur 489 : ejus libertas differt a divina 186, in qua quodammodo radicatur 190 : non impeditur a Dei praescientia 168 et omnipotentia. V. *Anima*. ELEVATIONIS STATUS. Dogmatis elevationis historia 544 : Protoparentes in primo creationis momento 546, gratiam sanctificantem 545, sibi indebitam 549, receperunt a Deo 548, et aliquo tempore servarunt 546. Quae fuerint dona originalis justitiae 550 : quid integritas 551 quam protoparentes gratuito 555 receperunt 554, et quae ejus corollaria 552. Quae immortalitas originalis justitiae 556 : ejus causae 557 et consequens impassibilitas 558 : hanc protoparentes a Deo 560 gratuito receperunt 561. Quae Adae scientia 562 sq. : et quae in ejus filiis fuisset futura si in justitia permansisset 563. V. *Peccatum*. Homo novus est Christus 548.

HYPNOTISMI majora et minora facta 493 *n.* : communi sententia hypnotismi usus sine gravi causa est illicitus 493 *n*, et probabilius majora saltem facta diabolico commercio debentur 493, 538.

HYPOSTASIS quid 257.

I

IDEARUM innatarum systema 24 impugnatur 29. — Quid idea in Deo 361.
ILLUMINATIO angelica quid 438 : in daemonibus locum non habet *l. c.*
IMAGO DEI in quo a vestigio differat 362 : et proprie consistat 548. — In divinis est nomen Filii 326.
IMMANENTISTARUM systema 20, 25 reprobatur 31, nullatenus vero suffragatur auctoritate S. Thomae 43.
IMMENSITAS quid 117 : Deus est immensus 124.
IMMORTALITAS stricte sumpta est Dei 471, 479, large accepta data erat Adamo in statu innocentiae 560, et competit animae nostrae 471.
IMMUTABILITAS quid et quotuplex 110 : Deus est immutabilis 113, suaeque immutabilitati non repugnant actiones variae in tempore 111, 114 sqq.
IMPASSIBILITAS originalis justitiae quae fuerit 558.
IMPERIUM animae in corpus non dispoticum est, sed politicum 489.
INCOMPREHENSIBILITAS quid 129 : Deus est incomprehensibilis 131.
INEXCUSABILES quo sensu dicantur athei 8 *n.*
INFALLIBILITAS quo sensu competat nostro intellectui 16.
INFANTES aliter quam adulti ordinantur in vitam aeternam 218. In statu originalis justitiae non habuissent scientiam infusam, neque perfectam 564. Decedentes sine baptismo sunt in statu damnationis 601, sed non cruciantur in inferno 598.
INFESTATIO diabolica quae 535 et quaenam ejus causae et occasiones 538-9.
INFINITUM quid 19, 87, 96 : ejus notio undenam deducta 87 *n.* : Deus est infinitus 93.
INGENITUS nomen proprium Patris 326.
INNATISTARUM errores 20, 24.
In principio aliter dicitur de Verbo et de mundo 351.
IN SEIPSO et non in seipsis Deus cognoscit futurum 179.
INSERTA quare dicatur Dei cognitio 41.
INTEGRITATIS donum quid fuerit 551 et quae ejus corollaria 552 : datum est protoparentibus 554 sine meritis naturae 555.
INTELLECTIONIS processio 293, genesis 17 *n*, certitudo 16, 563, objectum 515, ordo ad cognitiones sensibiles 465, 489.
Invisibilia Dei quae sint 29 *n.*

J

JACOB num Deum viderit 28 *n.*
JANSENISTARUM errores 220, 231, 508, 512, 544, 547, 553, 559.
JAVHE quid proprie exprimat 4.
JOACHIMITARUM error 261.
JÔM in Gen. 1 pro tempore diuturno sumitur 386, 389.
JUDAEORUM error 122.
JUSTITIAE originalis dona plurima 550, confirmationem in gratia non exigebant 602. V.*Homo.*

K

KADOSCH Dei attributum 4.
Κύριος nomen Dei 4.

L

LEGIS notio an cognitionem Dei causet vel subsequatur 46 *n.*
LIBER VITAE quid 226.
LIBERTAS re non differt a voluntate 184, et indifferentiam activam importat 460 : ad ejus perfectionem non pertinet potestas peccandi 198, 206. Homo est liber 461, 464, 468, et seipsum determinat 181 *n*, 190, 456, 469 : quo sensu voluntas Dei sit libertatis radix 190 : nostrae libertati non obstant Dei praescientia 168, providentia 216, praedestinatio 238, et omnipotentia 189, 203.

LINGUARUM origo 491 et divisio 457 *n.*
LINNÉ Dei existentiam testatur 53 *n.*
LUTHERANORUM error 593.

M

MACEDONIANORUM errores 261, 270, 300.
MALA Deus cognoscit 158 : physica indirecte vult 194, moralia seu peccata non vult 195, sed permittit 196, 201.
MANICHAEORUM errores 122, 141 *n.*, 145, 191, 335, 425, 494, 576.
MARIA B. V. cum Christo est praedestinata 367 *n.*
MASSILIENSES. V. *Semipelagiani.*
MATERIA invisa 356-7 : prima 486 : est creata a Deo 350-3.
MATERIALISTARUM errores 5, 139, 154, 349, 363, 466, 494, 512, 540.
MATRIMONIUM ante peccatum institutum est 554 *n.*
MEDIA SCIENTIA quo sensu admitti potest 174.
MEMBRA inutilia non sunt 402 : quaenam necessaria ad vitam 403.
METAMORPHOSIS transformismum non juvat 405.
METAPHORAE non facile concedendae 426 : supponunt existentiam rei assumptae in figuram 426 *n.*, unde non obstant sensu historico 453 : an metaphorica enarratio efformationis Evae 456.
MICROS COSMOS cur dicatur homo 442.
MIRACULA quo sensu neganda in prima mundi effectione 390.
MISSIO DIVINA quid 298 : est duplex, scil. interna et externa 299.
MODALISTARUM error 277.
MODERNISTAE non agnoscunt principium causalitatis 54 sqq., unde negant Dei notitiam ex mundi visibilis existentia posse deduci 25 : dogma SS. Trinitatis primis saeculis ignotum blaterant 284, successivae fidei evolutioni tribuentes 261, 263, 270 : notionem ordinis supernaturalis corrumpunt 508, 511 *n.*, negantes historicam veritatem lapsus Adami 571, et ex naturae exigentiis illum deducere conantes 544.
MOLINISTARUM sententia de praedestinatione 242 sq.
MONARCHIANORUM error 277.
MÒNERA quid 393 *n.*
MONSTRA non progressum sed specierum corruptionem ostendunt 408.
MORS in Scripturis dicitur etiam de peccato, sed praecipue de solutione vitae praesentis 560.
MOTUS quid 137.
MOVENS motum ab alio movetur 49.
MOYSES angelos agnovit 429 : quo sensu Deum viderit 28 *n.*
MULIERIS subjectio alia ante et post peccatum originale 560 *n.*
MULTI aliquando *omnes* intelliguntur 583.
MUNDUS pulcher et ordinatus 53, 393, 341, 402 : bonitate non caret 339 et est respective 341, licet non absolute 340, optimus : ejus causae 333. Non apparuit fortuito atomorum concursu 336, sed a Deo 337, libere 338, et in tempore 376 ex nihilo est creatus 350 sqq. : an evolutione suam perfectionem sit consecutus 339 : quo ordine V. *Hexaemerus*, et tempore sit factus 374. A Deo conservatur 412, 415, non annihilabitur 416, sed renovabitur 417. Ejus causa exemplaris est Deus 364 : finis ultimus gloria Dei extrinseca 366, 369, proximus homines, electi et Christus 367 — Metaphorice dicitur de hominibus 578.

N

NATURA quid 256, 503 : res naturae 257 : naturale ejusque divisiones 503 : natura creata supernaturalis repugnat 506. — Multiplex naturae status 511 : non minus naturae purae

514, quam elevatae 513, possibilis est status.
NATURALISTARUM error 547.
NECESSITAS finis quae 516.
NEOPLATONICORUM error 261.
NEUTRUM exprimit naturam et masculinum personam 331 *n.*
NIGRITAE an ignorent diluvium 447 *n.*
Noë an pater noster 447.
NOMINA Dei 4 et divinarum Personarum 269, 326.
NOMINALIUM error 103.
NOTIO in Trinitate quid et quotuplex 325.

O

OBJECTUM primarium et secundarium divinae cognitionis 156.
OCCASIO in quo differat a causa 331 *n.*
Oculorum aperitio quid in Gen. **3** exprimat 554.
OMNIPOTENTIA quid 188 : Deus est omnipotens 197, 203, omnipotentiae autem ejus non obstant nostra libertas 189 et peccata 203.
ONTOLOGISMI error 2, 23, 26 *n:* improbatur 28.
OPERATIO creaturae non attingit *esse* rerum 120 : dividitur in immanentem et transeuntem 291 : vitalis an semper immanens 293 *n.*
OPTIMISTARUM error 191, 335.
ORATIONIS efficacia 116 *n,* non obstat immutabilitati Dei 116, neque ejus providentiae 215 et praedestinationi 237 : pro omnibus preces sunt fundendae 221.
ORIGENISTARUM error 523.
ORIGINALIS justitia V. *Homo :* originale peccatum v. *Peccatum.*

P

PALAEONTOLOGIA mundi antiquitatem testatur 374, 387, sed transformismum non probat 396, 400.
PALAMITARUM error 103.
PANTHEISTARUM errores 2, 6, 72, 112, 139, 144, 191, 349, 375, 494 : pantheismus refutatur 11.
PARS SUPERIOR et inferior quae in homine dicantur 552.
PATER nomen primae personae SS. Trinitatis 269 : ejus synonyma 326 : est Deus 271, principium Filii 301 sqq. et Spiritus S. 304 sqq. ; venit ad nos, sed non mittitur 298 *n.*
PATRES antenicaeni SS. Trinitatem confessi sunt 286, etsi locutiones improprias nonnumquam adhibuerint 288.
PATRIPASSIANORUM error 261, 277.
PAULUS (S.) num viderit Deum intuitive 28 *n.*
PECCATUM quid 565 : mortale et veniale 565 *n,* actuale 566, habituale 567 sqq., originale 575 : in quo differat a personali 591 : non est forma mala 594, neque concupiscentia 595, sed privatio gratiae per Adae transgressionem inducta 596 ; unde non est a Deo 484, neque a parentibus 587-8, sed *ab* Adam *per* semen *in* anima 589 : ipso homo spoliatur supernaturalibus et vulneratur in naturalibus 592, sed poenam sensus non meretur 597, quare infantes decedentes sine baptismo non cruciantur in inferno 598. — Peccata non sunt necessaria ad manifestationem divinae gloriae 202 *n,* nec repugnant providentiae Dei 212, qui peccata prohibet 195, sed permittit 196, 201. — De peccato angelorum existentia 520, 526, malitia 521 et natura 522 : de peccato Adae existentia 572 sqq., natura 569 et gravitas 570 : de nostro peccato originali existentia 577 sqq. — In statu originalis justitiae non fuissent peccata carnalia, nec venialia 552. — Peccandi potestas non pertinet ad perfectionem libertatis 198, 206.
PELAGIANORUM errores 231, 508, 544, 547, 553, 559, 576.

PERFECTIO quid 83 et quotuplex 84 : qua ratione in subjecto inveniatur 19 *n*, 85 : Deus est perfectissimus 91, in eoque creaturarum perfectiones eminenter adsunt 86-92.
PERICHORESIS quid in SS. Trinitate 328.
PERSONA quid 257 : ejus definitio 258 : deversimode se habet in Deo et in creaturis 259 : hujus vocis significatio non semper fuit eadem 260. Divinarum personarum nomina 269, 326.
PESSIMISTARUM errores 209, 335.
PHILAUTIA non est creationis finis 370.
PHRENOLOGIA improbatur 492.
PLANETICULAE improbantur 446.
PLATONIS trinitas cum SS. Trinitate confundi nequit 264, 266.
PNEUMATOMACHORUM error 261.
POENA peccati originalis 592, 597-8. — Poena patris quando non est infligenda filiis 584, 586.
POENITENTIAE necessitas 490.
POLYPHYLOGENESIS reprobatur 390.
POLYTHEISMUS est atheismus 123.
POLYTHEISTARUM errores 90, 122, 145.
POSITIVISTARUM errores 5, 512, 540.
POSSIBILITATIS rerum quae radix 176 *n* : possibilia cognoscuntur a Deo in sua essentia 176.
POTENTIA quid 37 : quae obedientialis 507.
PRAEADAMITAE improbantur 446.
PRAECEPTUM Adamo impositum fuit grave 572, sed facilis implementi 570.
PRAEDESTINATIANORUM error 220.
PRAEDESTINATIO quid 225 in quo differt a reprobatione 230, distingui nequit in adaequatam et inadaequatam 241 : est certa 236, sed non obstat universalitati voluntatis salvificae 251, nec destruit libertatem 189, 238, neque excludit conatus ad virtutem 237. Praedestinationis signa 228 : praedestinatorum numerus 227 : caute de ea loquendum est 240. — Vere datur 232, et est gratuita 233 ; unde concipi debet ante praevisa merita 245, quamvis non independenter ab eis 246, 250 : quomodo hoc possit intelligi 244 : quo sensu ordo praedestinationis et executionis conveniant 249.
PRAEDICATA abstracta de natura, concreta de persona efferuntur 74 *n*.
PRAEEXISTIANISMUS improbatur 472 *n*.
PRAESCITI cur sint creati 239.
PRAESENTIA DEI in rebus triplex 118 : quae ejus radix 119.
PRAETERNATURALE quid 506.
PRINCIPIUM *quo* proximum et remotum, *quod* 255 *n*. — In divinis nomen est Patris 326.
PRISCILLIANISTARUM error 425.
PROCESSIO quid 290 et quotuplex 291 : intellectus 293 et voluntatis 294. Divina in quo ab humana differat 296.
PROTESTANTES V. *Reformatores*.
PROTOËVANGELIUM cur Gen. **3**. 15 dicatur 221 *n*, 544 *n*.
PROTOPARENTES creati sunt in gratia 546, acceperunt a Deo etiam dona integritatis 554, immortalitatis 560 et eximiae scientiae 562 sqq. : graviter peccarunt 572 sqq. superbia 569 sq., et amiserunt orginalem justitiam 574.
PROTOTYPUS et protoorganismus quid 393 *n*.
PROVIDENTIA quid et quotuplex 207 : est immediata 214 de omnibus 210, sed praecipue de homine 211 : solvuntur difficultates 212 sqq.
PRUDENTIA quid 207 *n*.
PURGATORII animae custodiuntur ab angelis 530 *n*.

Q

QUAKERORUM error 576.
QUIDDITAS idem quod essentia 256.

R

RATIO in quo differat ab intellectu 458.
RATIONALISTARUM errores 122, 159,

209, 261, 263, 270, 349, 368, 425, 494, 508, 512, 523, 531, 540, 544, 571.

REALISMI error 472 *n.*

REFORMATORUM errores 191, 220, 231, 462, 508, 512, 531, 540, 544, 547, 553, 593.

RELATIO quid et quotuplex 319-20 : respectus *in* et *ad aliquid* sunt distinguendi in ea 321. Quid divina relatio 323 : sunt in Deo relationes reales 322 : quomodo se habeant ad essentiam et personas 324. — Relativa quomodo simul sint in intellectu 58.

RENOVARI quid proprie dicat 548. — Renovatio mundi v. *Eversio.*

REPROBATIO quid 229 : in quo a praedestinatione differat 230, 249 : datur aliquorum reprobatio 234, quae puram negationem non dicit 239, sed voluntatem Dei, non tamen antecedentem, sive positivam 235 sive negativam 247, 253, sed consequentem tantum, et permissivam 248 : qui reprobationis ordo 244.

RES differunt meliori concretizatione entis 18.

S

SABAOTH attributum Dei 4, non solum referens militias terrae sed etiam coelorum 337 *n.*

SABELLIANORUM errores 261, 277, 300.

SADDUCAEORUM error 425.

SALVIFICA VOLUNTAS quid 218 : est universalis 219 : diversimode respicit adultos et parvulos 219 : non pugnat cum aliquorum reprobatione 251.

SCHADDAI attributum Dei 197 *n.*

SCIENTIA quid 150. Dei scientia qualis 151 et quotuplex 153 : ejus objectum primarium et secundarium 156-7 : quo medio Deus cognoscat 172 sqq. : an ejus scientia sit causa rerum 153. Deus est summe intelligens 155, se comprehendit 160 et cognoscit omnia 161, etiam mala et infinita 158, secreta cordium 162, futura 163 et futuribilia 164 sqq. — Quae scientia Adami 562 sqq. et status originalis justitiae 563.

SCOTISTARUM opinio 103.

SCRIPTURA evolutioni non subjacet 392 : an quaestiones scientificae in ea possint inveniri ? 391.

SEMIARIANORUM errores 261, 270.

SEMINALES rationes quid sint 410.

SEMIPELAGIANORUM errores 231, 544.

SEMIRATIONALISTARUM errores 261, 263, 270, 544.

SENSUS PROPRIUS maxime est retinendus cum dogma fidei exhibet 302.

SERMONIS origo 491 et multiplicatio 457 *n.*

SERPENTIS contritio nostram liberationem a peccatis docet 221 *n.*

SIMILITUDO ultra debitum non est praemenda 262 *n.*

SIMPLICITAS quid et quotuplex 71. Deus est simplicissimus 74.

SIMUL quo sensu omnia sunt creata 388.

SOCINIANORUM errores 112, 122, 159, 547, 576.

SOLIS obscuratio et stellarum lapsus quomodo contingent 413 *n.*

SPECIES naturales et systematicae quid 398 *n.* : earum evolutio improbatur 398, 406, 409 : undenam earum distributio 401.

SPECULUM quid 28 *n.* : quomodo speculum nostrae mentis sit obscuratum 39 *n.*

SPIRATIO divina quid 297.

SPIRITUALISTARUM errores 425, 523.

SPIRITUS quid secundum nomen et secundum rem 73 *n.* : est substantia immaterialis 435, ac diversimode dicitur de Deo, de angelo, de anima humana 73, 435, 471 et de justo 473 *n.* : spiritus creati non generant 309 : — Personaliter in divinis est nomen tertiae Personae 269, qui aliter quoque vocatur 326, est verus Deus 273,

non genitus 303, 314, sed unica spiratione 306, 316-7 procedens a Patre et Filio 305, 318.
STIRPIUM humanarum differentia unde explicanda 490.
STOICORUM errores 112, 209.
STUDII ad discendum necessitas unde repetenda 490.
SUBJECTIVISMUS 25 improbatur 31.
SUBJECTUM quid 257.
SUBORDINATIANORUM error 261.
SUBSISTENTIA quid 257.
SUPERNATURALE quid 504 : quibus donis integretur 505, et quomodo dividatur 506 : est donum omnino indebitum naturae 509, a qua propriis viribus nequit scrutari 510. Substantia creata supernaturalis repugnat 506 *n*, sed dono accidentali in supernaturali ordine potest constitui 513.
SUPPOSITUM quid addat naturae 74 *n*, 257.
SWEDENBORGIANORUM errores 277, 425.

T

TABULA rasa cur dicatur intellectus infantis 17 *n*.
TELEPATHIA quomodo exponenda 493.
TEMPUS quid 136 : in quo ab aevo et ab aeternitate differat 137.
TENTATIO quid 536 : datur 541, et quidem gravissima 535-6.
Θέος nomen Dei 4.
TESTIMONII 1 Joan. 5. 7 authentia vindicatur 285, 287.
THEODORI Mops. errores 544, 576.
THEODOTI error 261.
THOMISTARUM opinio de praedestinatione 242-3.
TRADITIONALISMUS 3, 20, 22, 26 *n.* : improbatur 27.
TRADUCE non multiplicantur animae nostrae 475, 482.
TRANSFORMISMUS quid et quotuplex 393, 449 : judicatur 394 : rigidus repugnat fidei 395, contradicit scientiae 396, et solido non innititur fundamento 397 ; mitigatus vero improbabilis apparet 398. Solvuntur difficultates 399-410.
TRICHOTOMIA improbatur 494-5, 497.
TRIMÛRTIS indica omnino differt a Trinitate christiana 264, 267-8.
TRINITATIS dogmatis historia 261 : symbola et imagines 262, caute sunt eligenda 282 *n*. Est mysterium altissimum 254 et inscrutabile 265, non deductum a philosophia graeca vel orientalium religionibus 264, sed divina revelatione manifestatum 266, et a primis temporibus in Ecclesia creditum 285-6. — SS. Trinitatis personarum nomina 269, 326, divinitas 271 sqq., distinctio 278 sqq., consubstantialitas 282 sqq. Quid in Trinitate processio 296, generatio et spiratio 297, missio 298-9, relationes 323-5, notiones 325, lex appropriationis 327.

U

UBIQUITAS quid 117 et quotuplex 118 : convenit Deo 123 .
UNITAS quid et quotuplex 143 : Deo convenit 144 ,146, nec Personarum distinctioni obstat 147, 274.

V

VENIALIA peccata in statu originalis justitiae non fuissent 522.
VENTUS quo sensu sint angeli 430.
VERBUM mentis quid sit et quomodo procedat 293 : ejus synonyma l. c. *n*. — In divinis est nomen secundae personae SS. Trinitatis 326 v. *Filius* : confundi nequit cum verbo Platonis et Philonis 269 *n.* : undenam vox sit deducta *l. c.* : Verbum non est missum ad naturam assumptam, sed ad homines 299 *n*.
VERITAS quid 35, 108 : quomodo eam in injustitia detineant ethnici 8 *n*.
Vespere et mane quid in Gen. 1 expri-

mant 389.
VESTIGIA Dei quae 362.
VIAE ad Deum quinque 45 : ducunt per remotionem, affirmationem et excellentiam 63 : via autem remotionis ceteris praestat 64.
VIGILANTIAE necessitas 490.
VIRTUTES infusae an fuerint omnes in statu innocentiae 545 *n.*
VOLUNTAS in quo differat a libertate 184 : ejus diviso 185, processio 294 et objectum 515. — Voluntas Dei valde a nostra differt 186, causam non habet 187, et est omnipotens 188. — Voluntas salvifica 218 est universalis 221 sqq., et diversimode se habet ad adultos et ad infantes 219. V. *Deus.*
VULNERA peccati originalis quinque 592.

Z

ZEBAOTH V. *Sabaoth.*

[illegible]

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1751.M327 C001 V002
COMPENDIUM THEOLOGIAE DOGMATICAE TURIN,
3 0311 00042 8198

WITHDRAWN

43963

BX
1751
.M327
AUTHOR
v.2
TITLE
43963
Marzoni, Cesare
COMPENDIUM THEOLOGIAE DOGMATICAE E PRAECIPIUS SCHOLASTICIS ANTIQUIE...
DATE DUE

[redacted]
3 0311 00042 [redacted]